

1700. 1710. 1720. 1730. 1740. 1750.
1760. 1770. 1780. 1790. 1800. 1810.
1820. 1830. 1840. 1850. 1860. 1870.
1880. 1890. 1900. 1910. 1920. 1930.
1940. 1950. 1960. 1970. 1980. 1990.

1900. 1910. 1920. 1930. 1940. 1950.
1960. 1970. 1980. 1990. 2000. 2010.
2020. 2030. 2040. 2050. 2060. 2070.
2080. 2090. 2100. 2110. 2120. 2130.
2140. 2150. 2160. 2170. 2180. 2190.
2200. 2210. 2220. 2230. 2240. 2250.
2260. 2270. 2280. 2290. 2300. 2310.
2320. 2330. 2340. 2350. 2360. 2370.
2380. 2390. 2400. 2410. 2420. 2430.
2440. 2450. 2460. 2470. 2480. 2490.
2490. 2500. 2510. 2520. 2530. 2540.
2550. 2560. 2570. 2580. 2590. 2590.

2590. 2600. 2610. 2620. 2630. 2640.
2650. 2660. 2670. 2680. 2690. 2690.
2690. 2700. 2710. 2720. 2730. 2730.
2730. 2740. 2750. 2760. 2770. 2770.
2770. 2780. 2790. 2790. 2790. 2790.

1214

1214
XIX-2.

621

J. M. J.

CURSUS TRIENNIALIS

THEOLOGO-SCHOLASTICUS,
COMPENDIUM COMPENDII, MEDULÆ QUE MEDULA

CURSUS CARMELITANI SALMANTINI,
CUIUS VESTIGIA PREMENS
AD MENTEM D. THOMÆ ASCENDERE CONATUR

EBIBENDAM, IN GRATIAM

JUVENTUTIS THERESIANÆ
CONCINNATUS,

UT PER BREVICULUM TRIENII TRACTUM CON-
ducat eam in omnium tractatum Thomisticæ Theologie
comprehensionem.

P E R

FRATREM JOSEPHUM A MATRE DEI,
olim à lectionibus Philosophiae, & Theologie, hodie à Defini-
tionibus Generalibus sui Ordinis honore consignitum.

TOMUS SECUNDUS.

CONTINENS TRACTATUS SEX

Septimum De Incarnatione.

Decimum De Coassumptis à Christo,

Octavum De Gratia Christi.

Undecimum De B. Virg. Maria,

Nonum De Scientia Christi.

Duodecimum De Angelis.

Escola Libre.
de Palencia

ANNO



de Carm Dacalio
Ano de 1774



PAMPELONÆ : Ex Typographia PASCHALIS IBÁÑEZ.

CLARKE
COUNCIL OF THE STATE OF MASSACHUSETTS
IN CONVENTION ASSEMBLED
AT BOSTON, ON THE EIGHTH DAY OF APRIL,
ONE THOUSAND EIGHT HUNDRED AND ELEVEN,
DO ENACT, AND IT IS ENACTED BY THE
SENATE AND HOUSE OF REPRESENTATIVES IN
CONVENTION ASSEMBLED, THAT
TOMAS SECUNDUS
C. CLARKE
RECEIVED
A
REB

J. M. J.

FR. Joannes à Sancto Joseph Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmeli Primitivæ observantia. De Consensu nostri Diffinitorii Generalis, ut Liber, cuius titulus est : *Cursus Triennialis Theologo-Scolasticus, Tomus secundus*, à R. P. Fr. Josepho à Matre Dei, suis elucubrationibus acuratè elaboratus, & à gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, & examinandum commissimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & ut in lucem prodeat, obtentis priùs facultatibus necessariis, tenore præsentium, licentiam concedimus. Data in hoc Conventu nostro Occaniæ, die vigesima secunda Octobris, anni millesimi septingentesimi septuagesimi primi.

*Fr. Joannes à Sancto Joseph,
Generalis.*

*Fr. Bonaventura à Sancta Maria,
Secretarius.*

NOS EL DOCTOR DON JUAN MIGUEL DE ECHE-
nique , Canonigo de la Santa Iglesia Cathedral de esta
Ciudad de Pamplona , Provisor , y Vicario General de
este Obispado , por el Iustrissimo Señor Don Juan Lo-
renzo de Irigoyen y Dutari , Obispo de él , del Con-
sejo de S. Mag. &c.

POR la presente , y por lo que à Nos toca , conce-
demos licencia , y facultad al R.P.Fr.Joseph de la Madre
de Dios,Definidor General del Orden de Carmelitas Descal-
zos , para que sin incurrir en pena , ni censura alguna,
pueda imprimir , è imprima un Libro , que ha compuesto ,
intitulado: *Cursus Trienalis Theologo-Scholasticus , Compen-
dium compendii, medulæque Medula,Cursus Carmelitani Salman-
tini, tomus secundus* : atento que haviendo sido visto , y reco-
nocido con nuestro mandato , nos ha constado no hallar-
se en él cosa alguna contraria à nuestra Santa Fè , y bue-
nas costumbres. Dada en Pamplona à veinte y ocho de
Abril de mil setecientos setenta y dos.

Doctor Echenique.

Por mandado del Señor Provisor , y Vicario General.
Don Juan Joseph de Navaz , Vic. Sec.

LICENCIA DEL REAL CONSEJO.

Nicolás Fermín de Arrastia , Secretario del Real , y Supremo Consejo de este Reyno de Navarra , &c. Certifico, que por los Señores de él , està concedida facultad al R. Padre Fr. Joseph de la Madre de Dios , Ex-Difinidor de la Religion de Carmelitas Descalzos, para que pueda hacer imprimir , y vender el segundo Tomo de Theologia Scolastica , que ha compuesto, por tiempo de diez años , y à seis maravedis por pliego , con prohibicion de otro alguno lo pueda hacer sin su consentimiento. Y para que conste dí el presente. En la Ciudad de Pamplona , à trece de Agosto de mil setecientos , y setenta y dos.

Nicolás Fermín de Arrastia,
Secret.

ERRATA.

Ag. 2. c. 1. lin. 11. iabent, leg. iubent. pag. 89. col. 1. lin. 26. agratiam leg. à gratia. Pag. 100. c. 1. l. 13. numera , leg. munera. Pag. 115. c. 1. l. 10. ex in, leg. ex vi. Pag. 117. c. 1. l. 19. unt, leg. funt. Pag. 152. c. 2. l. 5. {futuris, leg. futurus. Pag. 165. c. 2. l. 13. libertatem, leg. libertas. Pag. 246. c. 1. l. 16. conferri, leg. conferre. ibidem lin. 13. contrahendio, leg. contrahendo. Pag. 274. c. 2. l. 6. quia, leg. qua. Pag. 287. c. 1. l. 4. speciei, leg. superficiei. Pag. 295. c. 1. l. 3. fit , leg. fit. Pag. 335. c. 2. lin. 25. existens , leg. existentes. Pag. 336. c. 1. l. 35. huic, leg. hic. Pag. 350. c. 1. l. 42. brutoræum, leg. brutorum. Pag. 359. c. 1. l. 2. apprehensionem , leg. apprehensione.

Obedeciendo gustofo al Real Consejo , he visto el tomo , que me ha remitido , y corregidas estas erratas corresponde con su original. Pamplona, y Agosto doce de mil setecientos , y setenta y dos.

Fr. Agustín de S. Francisco Xavier.
Carmelita Delcalzo.

INDEX

OMNIUM TRACTATUUM , DISPUTATIONUM, ET
Dubiorum , quæ in hoc trienali cursu con-
tinentur.

TOMO SECUNDO.

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE INCARNATIONE VERBI DIVI-
ni. pag. 1.

DISP. II.

De causis Incarnationis. pag. 38.

Dub. 1. An ex vi præsentis decre-
ti , Adamo non peccante , Chriſ-
tus in hunc mundum veni-
ret ? ibid.

Quæres : An Christus veniret ex vi
præsentis decreti , existente pec-
cato originali , & deficientibus
actualibus ? pag. 44.

Dub. 2. Utrum pura creatura po-
tuerit esse instrumentum physicum
Incarnationis ? pag. 45.

Dubitabis , an Verbum divinum exer-
ceat aliquem influxum activum ,
quem reliquæ non exerceant per-
sonæ divinæ ? ibid.

Dub. 3. Quisnam fuerit termi-
nus formalis actionis Incarna-
tivæ ? pag. 48.

Dub. 4. Utrum gratia habitualis fue-
rit dispositio ad unionem hy-
postaticam ? pag. 52.

DISP. III.

De essentia Incarnationis. pag. 54.

Dub. 1. In quo facta fuerit unio
Verbi divini cum humanitate ? Et
an

- DUB. 1. Utrum Verbi Divini
Incarnatio sit possibilis ? ibid.
Dub. 2. An peccatum mortale sit
simpliciter infinitum in ratione
offensa ? pag. 7.
Dub. 3. Utrum homo possit satis-
facere ad æqualitatem pro pecca-
to lethali , sive proprio , sive
alieno ? pag. 16.
Dub. 4. An satisfactio Christi sit
simpliciter infinita , & superabun-
dans ex natura sua pro omnium
hominum peccatis ? pag. 21.
Dub. 5. An satisfactio Christi sit
ex toto rigore justitiae ? pag. 29.
Dub. 6. An Christi satisfactio ejus-
dem sit speciei cum nostra ? pag. 33.
Dub. 7. An Deus ex justitia de-
beat acceptare satisfactionem Chris-
ti pro peccatis nostris ? pag. 36.

*** ***

INDEX

- an Christus sit persona compo-
sita ? pag. 55.
- Dub. 2: An unio hypostatica sit dis-
tinguita realiter ab extremis? pag. 58.
- Inquires: An unio hypostatica maxima
sit unionum tam in esse unionis,
quam perfectionis ? pag. 62.
- Dub. 3: An Verbum divinum ter-
minaverit immediate humanitatem
per aliquid absolutum ? pag. 63.
- Inquires I. An Verbum divinum sup-
pleverit existentiam creatam per
divinam ? pag. 67.
- Inquires II: Utrum existentia divi-
na possit ad extram communicari,
non communicata divina subsis-
tentia ? pag. 68.
- Dub. 4: An Verbum divinum assump-
serit omnem sanguinem ? ibid.
- Dub. 5: An partes humanitatis prius
ut quod assumptae fuerint, quam
ipsa humanitas ? pag. 72.
- Dub. 6: An humanitas Christi ap-
petat subsistentiam sibi propriam,
& connaturalem. pag. 74.

DISP. IV.

*De his, quae circa hoc mysterium fieri
possunt.* pag. 76.

- Dub. 1: An eadem humanitas à
tribus possit terminari divinis per-
sonis ? ibid.
- Quæres I. An, in casu terminationis
unius humanitatis per tres divi-
nas personas, unus esset homo,
an tres ? pag. 78.
- Quæres II. Utrum persona una di-
vina possit plures terminare na-
turas humanas ? Et an in casu
tali plures, an unus esset ho-
mo ? pag. 79.

- Dub. 2. Utrum humanitas, retenta
propria subsistentia, possit ultrà
per divinam terminari ? ibid.
- Dub. 3: Utrum omnis natura crea-
ta possit à Verbo assumi, vel ab
aliquo prædicato divino ? pag. 83.
- Dub. 4: Utrum persona creata pos-
sit divinitus terminare alienam na-
turam creatam ? pag. 86.

TRACTATUS VIII.

DE GRATIA CHRISTI. pag. 88.

DISP. I.

De gratia substantiali Christi. ibi dem.

- Dub. 1: An humanitas Christi sanc-
tificetur per aliquid substantiale ex
unione ad Verbum ? ibid.
- Dub. 2: Utrum unio hypostatica sit
ratio formalis sanctificandi sub-
stantialiter humanitatem Chris-
ti ? pag. 90.
- Dub. 3: A quo sanctificetur substan-
tialiter humanitas Christi? pag. 91.

DISP. II.

*De gratia habituali Christi, & de vir-
tutibus eam consequentibus.* pag. 96.

- Dub. 1: Utrum anima Christi or-
nata fuerit gratia habituali ? Et
ad quid hæc fuerit necessa-
ria ? ibid.
- Quæres I. An in Christo fuerit gra-
tia habitualis à primo instanti suæ
conceptionis inclusivè ? Et an
illam habuerit in tota sua inten-
sione, quam habere potuit de po-
tentia ordinaria ? pag. 100.
- Quæres II. Utrum anima Christi or-
nata fuerit operaibus illis virtu-
tibus

tibus supernaturalibus, quæ compatiuntur cum unione hypothesica, & visione beata? ibid.

Quæres III. Utrum gratia habitualis Christi, ejusque virtutes dici possint passiones ab unione hypothetica dimanantes? pag. 101.

Quæres IV. An gratia habitualis Christi fuerit simpliciter infinita? pag. 102.

Quæres V. An gratia Christi habitualis ejusdem sit speciei, atque nostra? ibid.

Dub. 2: An Christus se disposuerit ad gratiam habitualem per proprios actus? ibid.

Dub. 3. An Christus habuerit virtutem pœnitentiarum? pag. 104.

Dub. 4: An virtutes morales, per se acquisibilis, fuerint in Christo per accidens infusa? pag. 107.

DISP. III.

De gratia capitali Christi: pag. 110.

Dub. 1. Utrum Christus constituantur caput Ecclesiae per gratiam habitualem, anve per unionis? ibid.

Dub. 2: Utrum Christus fuerit caput Adami in statu innocentiae? pag. 112.

Dub. 3. Utrum Christus sit caput Angelorum? pag. 115.

Quæres: Utrum Diabolus (dictus Lucifer) sit caput omnium malorum, etiam hominum quantum ad exteriorem gubernationem? pag. 117.

TRACTATUS IX.
DE SCIENTIA CHRISTI. pag. 119.

DISP. I.

De scientia Christi in communi. ibid.

Dub. 1: Utrum intellectus creatus Christi potuerit intelligere intellectio divina? ibid.

Dub. 2: Quotuplex scientia fuerit in anima Christi? pag. 122.

DISP. II.

De scientia beata Christi. pag. 126.

Dub. 1: An, si Christus cognosceret omnia possibilia in verbo, comprehendenderet Deum? ibid.

Dub. 2. Utrum per scientiam beatam cognoscat anima Christi, omnia, quæ Deus per scientiam visionis. pag. 130.

Quæres, num cuncta, quæ diximus scire Christum per scientiam beatam, ea simul sciat, & sciverit, num vero successive? pag. 133.

Dub. 3: Utrum visio beatifica Christi sit notitia intuitiva futurorum? pag. 134.

DISP. III.

De scientia per se infusa Christi. pag. 137.

Dub. 1. Utrum anima Christi per scientiam infusam supernaturalem cognoverit quidditativè, & comprehensivè omnia entia supernaturalia? ibid.

Dub. 2: An Christus per scientiam infusam cognoverit evidenter mysterium Trinitatis quod an est? pag. 142.

Dub. 3: Utrum anima Christi per scientiam

Scientiam infusam cognoverit cogitationes cordium, & futura contingentia? pag. 146.

DISP. IV.

De modo, & perfectione in Christo cognoscendi per scientiam hanc infusam. pag. 148.

Dub. 1. An Christus in exercitio scientiae infusa discursu usus fuerit, vel etiam conversione ad phantasmata? ibid.

Dub. 2: Utrum scientia Christi infusa maior fuerit, quam Angelorum scientia? pag. 151.

Appendix circa scientiam Christi naturalem per se infusam, & naturalem per se acquisibilem. pag. 156.

Dubitabis I. Quodnam sit obiectum extensivum scientiae Christi naturalis per se infusa? ibid.

Dubitabis II. An per scientiam naturalem per se infusam cognoscat Christus Angelos? ibid.

Dubitabis III. Utrum scientia per se acquisibilis fuerit in Christo per accidens acquisita? ibid.

Dubitabis IV. An Christus comparaaverit hanc scientiam subito ab initio suæ Conceptionis? an ve successivè tractu temporis? pag. 157.

Dubitabis V. An Christus per hanc scientiam cognoverit omnina. pag. 158.

**TRACTATUS X.
DE ALIIS COASSUMPTIS A VERBO.**
pag. 159.

DISP. I.

De impeccabilitate Christi. ibid.

Dub. 1. An Christus secundum se potuerit peccare? ibid.

Dub. 2: Utrum in Christo potuerit esse fomes peccati? p. 166.

Dub. 3: An in Christo potuerit esse transgressio consiliorum? pag. 168.

DISP. II.

De libertate Christi. p. 169.

Dub. 1: Utrum amor charitatis, quo Christus Deum dilexit, fuerit liber? pag. 170.

Dub. 2: An operationes naturales in Christo fuerint liberæ? p. 174.

Dub. 3. An Christo impositum fuerit rigorosum mortis præceptum? pag. 177.

Dub. 4: An libertas Christi fœderari valeat cum impeccabilitate, & præcepto? pag. 180.

DISP. III.

De merito Christi. pag. 182.

Dub. 1. An Christus sine aliqua gratia intrinseca superaddita unioni potuerit mereri de condigno præmium supernaturale? ibid.

Dub. 2: Utrum Christus per gratiam auxiliarem potuerit mereri de condigno gratiam habitualem? pag. 184.

Dub. 3: An Christus mereri potuerit suam incarnationem? Et quid si bi defacto meruerit? pag. 187.

Quæres I. An saltim Christus mereri.

- rerī potuerit continuationem Incarnationis? pag. 188.
- Quæres II: Num Christus mereri potuerit maternitatem Virginis M? ibid.
- Dub. 4: Utrum Christus meruerit Angelis gratiam habitualem, & gloriā essentialē? pag. 191.
- Dub. 5: An Christus meruerit antiquis Patribus gratiam ipsis datum? pag. 193.
- Dub. 6: An Christus meruerit nobis prædestinationem nostram? pag. 197.

DISP. IV.

De adoptione, filiatione, & servitute Christi. pag. 200.

- Dub. 1: Utrum Christus in quantum homo sit filius Dei adoptivus? ibid.
- Dub. 2: An Christus, ut homo verè, & propriè sit servus Dei? pag. 205.
- Dub. 3: An Christus, ut homo sit filius Spiritus S? anve filius Patris? pag. 207.

DISP. V.

De prædestinatione Christi? pag. 212.

- Dub. 1: An Christo conveniat propriè esse prædestinatum? ibid.
- Dub. 2: quisham fuerit terminus prædestinationis Christi? p. 214.
- Dub. 3: Quodnam sit subiectum in prædestinatione Christi? pag. 218.

TRACTATUS. XI.

DE BEATISSIMA VIRGINE, ET MATRE Dei Maria. pag. 225.

DISP. I.

De Beata Virg. Maria in hunc mundum ingressu. pag. 226.

- Dub. 1. An Beata V. Maria in gratia fuerit concepta, immunita à peccato originali. ibid.
- Dub. 2. An B. V. M. præter Conceptionem in gratia, habuerit confirmationem in illa? p. 250.

DISP. II.

De Beata V. Maria in hoc mundo vita progressu. pag. 253.

- Dub. 1. An B. V. Maria fuerit Virgo ante partum, in partu, & post partum? ibid.
- Quæres I. An B. V. Maria votum emiserit castitatis? pag. 261.
- Quæres II. An B. V. M. aureolas meruerit Virginitatis, Doctoratus, & Martyrii? ibid.
- Dub. 2: Fueritne inter Mariam, & Joseph verum matrimonium? pag. 263.
- Dub. 3. Quomodo B. Virgo sit Mater Dei? & qua ratione Christus dicatur Filius Virginis? pag. 265.

- Dub. 4: An B. V. Maria meruerit esse Mater Dei? pag. 270.
- Quæres I. quæ tanta sit dignitas Mariæ in ratione Matris? p. 272.
- Quæres II. An Maternitas Mariæ sit naturalis, sitve supernaturalis? pag. 273.
- Dub. 5: An B. V. Maria meruerit defactò, & de congruo incarnationem? ibid.
- Dub. 6: An B. V. Maria viderit in-

- intuitivè Deum in via , seu in vita? pag. 276.
 Dub. 7: An B. V. Maria suscep-
 perit aliqua Ecclesiæ sacramen-
 ta? pag. 279.

DISP. III.

- De B. Maria Virg. ab hoc mundo
 egressu.** ibid.

- Dub. 1: An B. V. Maria in mor-
 te amore defecerit ? anve dolore
 occubuerit? pag. 280.

- Quæres I.** An B. V. Maria in fine
 vitæ à Deo iudicata fuerit? & an
 in die universalis iudicii iudican-
 da erit? pag. 283.

- Quæres II.** An B. V. Maria resur-
 rexerit? sitque in Cœlo anima, &
 corpore? pag. 284.

- Dub. 2. An idem numero actus
 charitatis , quo Maria V. in ter-
 ris Deum diligebat , continua-
 tus fuerit post mortem & in Cœ-
 lis? pag. 286.

- Quæres**, quem locum inhabitet Vir-
 go M. in Cœlis? Quem cultum
 mereatur in terris? Quàm subli-
 mis sit in se ? Et quàm benefica
 erga nos. pag. 289.

TRACTATUS XII.

- DE ANGELIS.** pag. 294.

DISP. I.

- De Angeli substantia.** ibid.

- Dub. 1. Utrum dentur Angeli? Sint-
 que incorporei? ibid.

- Inquires , quas operationes possint
 Angeli elicere in corpore assump-
 to? pag. 301.

- Dub. 2. An divinitus possint dari
 plures Angeli numero distinc-
 ti? ibid.

- Dub. 3. Utrum Angelus sit ex natu-
 ra sua incorruptibilis ? pag. 309.

- Dub. 4. Utrum Angelus sit in loco?
 Et quomodo? pag. 311.

- Dub. 5. Quænam sit Angelo ratio
 formalis existendi in loco? p. 312.

- Dub. 6. Utrum Angelus possit esse
 in puncto , velut in loco? p. 314.

- Dub. 7. Utrum unus Angelus possit
 esse in pluribus locis ? & plures
 Angeli in uno? pag. 316.

- Dub. 8. Utrum Angelus possit mo-
 veri motu continuo & discreto?
 Et in quo uterque consistat mo-
 tuis? pag. 318.

- Dub. 9. Utrum Angelus possit tran-
 fire de extremo ad extremum,
 quin transeat per medium? p. 323.

- Dub. 10. Utrum motus Angeli tam
 continuus , quàm discretus fieri
 possit in initanti? pag. 326.

DISP. II.

- De Intellectu Angelorum.** pag. 22.

- Dub. 1. Ad quæ cognoscenda gerat
 munus speciei substantia Angelii
 cognoscentis? ibid.

- Dub. 2. Utrum Angelus (vel etiam
 substantia materialis) cognoscantur
 ab alio Angelo per hoc quod
 utrumque uniatur cum Angelo
 cognoscente per modum spe-
 ciei? pag. 332.

- Dub. 3. An species Angelii sint à
 Deo infusæ , anve à rebus de-
 sumptæ? pag. 334.

- Corollaria quædam. pag. 337.

- Inquires , utrum species Angelicæ
 fluant

- fluant ab ejus natura, tamquam
veræ passiones? pag. 338.
- Dub. 4. Utrum species Angelicæ sint
universales in repræsentando? ibid.
- Corollarium quoddam. pag. 341.
- Dub. 5. Utrum Angelus inferior
comprehendat superiorem? p. 342.
- Dub. 6. Utrum Angelus possit natu-
raliter cognoscere futura libera,
& secreta cordium? pag. 346.
- Dub. 7. Utrum Angelus possit certò
naturaliter cognoscere effectus su-
pernaturales, & mysteria gra-
tia? pag. 350.
- Dub. 8. Utrum Angelus possit si-
mul cognoscere plura, ut plura?
Possit etiam operari per discur-
sum? pag. 354.
- Aliqua Corollaria. pag. 358.
- se primum directè, & immediate
peccare contra legem natura-
lem? pag. 362.
- Dub. 3. An repugnet creatura in-
tellectualis essentialiter impecca-
bilis? pag. 363.
- Dub. 4. Utrum Angeli peccare po-
tuerint in primo suæ creationis
instanti? pag. 366.
- Dub. 5. Quale fuerit primum pec-
catum per Angelos commis-
sum? pag. 370.
- Dub. 6. Quodnam fuerit objectum
excellens, ex quo Angelus, pri-
mò superbire ausus est? pag. 373.
- Dub. 7: Utrum ad primum Angeli
peccatum præcesserit aliquis de-
fectus ex parte intellectus? p. 379.
- Dub. 8: Quot morulis, sive instanti-
bus absolutæ fuerint bonorum
beatitudo, & malorum ruina An-
gelorum? pag. 382.
- Quæres: quandiu duraverit hoc ne-
gotium per correspondentiam ad
nostrum tempus? pag. 385.
- Dub. 9: Undè proveniat in Dæmo-
ne obstinatio? ibid.
- Corollaria quædam. pag. 389.

DISPUT. III.

- De Voluntate Angelii.* pag. 359.
- Dub. 1. Utrum Angelus intelligat, &
amet se, & Deum finem natura-
lem omnino necessariò? pag. 360.
- Dub. 2. Utrum Angelus possit per

TRACI



TRACTATUS VII.

DE INCARNATIONE DIVINI VERBI.



POSTOLUS 1. ad Colosenses vocat hoc mysterium *absconditum à seculis, & generationibus.* Et 1. ad Cor. 2. Sapientiam in Mysterio, qua abscondita est. Hoc, cum ita sit, qui nos tantilli ut tantum argumentum nedum apprehendere, verum & attin gere conari audeamus? Nihil hercè, nisi Fidei luce duce, nihil equidem, nisi divina favente gratia, adjecta etiam humana in laborando vi, & efficacia. Igitur ostende nobis Domine viam, per quam in alto, atque per amplio hocce æquore si ne jactura pervagemur, sine offensione curramus, sine casu trajiciamus. Faxis, ò utinam!

DISPUTATIO PRIMA.

DE POSSIBILITATE, ET NECESSITATE INCARNATIONIS.

Si principia consulamus fidei, nihil super hac re erit peragendum, cum luce clariora adsint S. Scripturæ testimonia eam comprobantia; opportet autem, ut & rationem consulamus, ut ostendatur hoc sacramentum nedum esse supra rationem, sed & juxta illam, vel minimè contra illam.

DUBIUM. I.

UTRUM VERBI DIVINI INCARNATIO
sit possibilis.

Supponimus de Fide existentiam hujus sacratissimi mysterij, & tamen de possibilitate perscrutamur cum certum sit illud: de actu ad potentiam valet consequentia.
Tomo II.

Cæterum non intendimus certitudinem adjicere ex probanda ejus possibilitate, sed supposita notitia per Fidem, solum quod non sit dissonum rationi, nec contradictionem involvat, ostendere tentamus, id quod sine fidei lumine nec esse, nec possibile esse asserere possemus, cum ejus notitia, & cognitio etiam Angelorum transvolet captum, & con-

2 Tract. VII. de Incarnatione, Disp. I. Dub. I.

ceptum. *Fateamur*, inquit D. Aug. epist. 3. ad Volusianum de hoc loquens mysterio, *fateamur ergo Deum aliquid posse*, quod nos *fateamur investigare non posse*. Super quæ addit. Concil. Tolet. 11. *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile, si exemplo, non esset singulare*. Et licet hæc de humano solum loqui videantur intellectu, ratio verò, & paritas etiam ad angelicum ampliari jure jabent, & convincunt: quia nullus intellectus naturalis potest objectum attingere supernaturale nec immediate, quia est supra suam sphèram, nec mediante aliquo iuvamine naturali, cum hoc nequeat dicere connexionem cum supernaturali; sed intellectus angelicus sphèram non transcendit naturalem: ergo nullus, etiam angelicus potest hoc cognoscere naturaliter mysterium. Et addimus contra Scotum, ejusque discipulos, quòd nec post factum potest illud ullus intellectus percipere creatus: quia quòd factum sit, non tollit quòd sit supernaturale. Sed

2 Obs. 1. Anima Christi, & Angelus cognoscunt evidenter scientia naturali absentiam subsistentiæ naturalis in Christo; sed aliàs sciunt non posse sine subsistentia stare, nec superi creati: ergo à fortiori divinam esse demonstrabunt: ergo cognoscent illam. Variè in responsione hujus argumenti insudant Scholastici. Nos dicimus primò, quòd, cùm probabile sit naturam creatam posse sine illa esse subsistentia, Deo miraculose operante, & extrinsecè eam manuteneente, posset Angelus hoc in mysterio fieri Incarnationis existi-

mare: hancque doctrinam tenent, & tuentur N. Salm. hic disp. 8. à n. 87. cum Godoy, & aliis. Dicimus 2. Angelum scire, Deum plura etiam existentia, & naturalia ex ejus posse substrahere notitia, ut de partu Mariae Virginis, naturaliter cognoscibili, asserit D. Hieronymus in cap. 1. Matth. Angelis malis celatum esse: & cùm boni non se præcipites dent ad firmandum judicium de eo, quod non adest illis lumen ut cognoscant, ut assolent mali, & asserit D. Thom. 1. p. q. 58. art. 9. jure possent suspicari Deum abscondisse subsistentiam humanam, etiam habita humanitatis cognitione.

3 Obs. 2. Deus potest communicare Angelo lumen naturale ad cognoscendum omne id, quod ipse Deus ut Auctor cognoscit naturæ; sed Deus, ut Auctor naturæ cognoscit suam subsistentiam: ergo & Angelus per lumen naturale sibi datum. Resp. dist. min. cognoscit suam subsistentiam relativam, nego: absolutam, subd. terminatam ad effectus naturales, conc. ad supernaturales, nego min. & conseq. Solutio ex se patet; sed instabis: Angelus naturaliter cognoscit Humanitatem Christi intuitivè: ergo ut existentem: ergo cognoscit ejus divinam existentiam: ergo etiam subsistentiam: hæc patet consequentia à paritate: ergo & mysterium hoc cognoscet. Resp. quòd ad cognitionem intuitivam non opus est, ut existentia cognoscatur, sed solum res existens, & non res existens ut existens, sed aliàs quæ existens est. Patet hoc in visu corporali, qui colores intuetur existentes, non verò ut existentes

tentes; vel eorum existentiam, quia horum visio ejus capacitatem superat. Sic ergo in presenti potest Angelus intueri naturaliter Humanitatem; non verò ut existentem, neque divinam existentiam, quippe quam ejus virtutem excedentem.

4 Obs. 3. Mysterium Incarnationis esse possibile cognoscit intellectus creatus: ergo non adeò est altum, & superexcellens, ut suprà estimatum est. Ant. prob. Ex duabus contradictoriis una vera debet esse propositio; sed hæc sese mutuò contradicunt: *Mysterium Incarnationis est possibile, & ipsum est impossibile;* & infrà probabimus non esse impossibile: ergo naturaliter inferet quilibet creatus intellectus esse possibile. Resp. concessò antecedenti, dist. minorem probationis: cognoscit non esse impossibile positivè, vel demonstrativè, nego: remotivè, & probabiliter, conc. min. & nego conseq. Intellectus creatus non potest probare per positivas rationes (multo minus demonstrativas) hujus mysterii possibilitatem, sed tantùm removere contradictionem, & repugniam, quam falsò intendunt probare argumenta contraria: & ad summum aliquas dare congruentias; & hoc in sensu intelligenda est sequens.

NOSTRA RESOLUTIO.

5 **M**ysterium Incarnationis nullam involvit contradictionem, & consequenter est possibile. Sic expressè D. Thom. in 3. sent. ad illius limen; & prob. ratione: Non repugnat hoc mysterium

ex parte verbi (namque subsistere, & facere subsistere, quodque Verbum in Incarnatione munus obit, nihil est imperfectionis) sed aliàs nec ex parte humanitatis est repugnans, est enim subsistentia propria modus quidam distinctus realiter, atque separabilis ab ipsa: ergo nullo ex capite repugnat. ¶ Prob. 2. rat. cuius simili utuntur N. Salm. tr. 5. disp. 1. n. 15. Possibile est, imò convenientissimum Deum sese creaturis, quantum fas est, summo modo sub modo intelligibili communicari: ergo idem dicendum est de summa communicatione in ordine naturali; sed alius excellentior modus excogitabilis non est, quàm quem media unione hypostatica exercere credimus, (vel assignetur) ergo possibile est. Totum hoc fundatur in natura boni, quod sui diffusivum, & communicabile est: ex quo sequitur, quod summo bono summa ei respondet communicabilitas; cumque summa sit communictatio Incarnationis, hæc sine dubio ut possibilis concedenda est, quippe quæ sola summa correspondens bonitati.

ARGUMENTA PROPONUUNTUR INFIDELIUM.

6 **O**BS. 1. Ergo opportebit, ut & Angelis sic communicetur Deus, sicut nobis. Prob. hæc conseq. tum quia etiam Angelis communicatur sub esse intelligibili. Tum quia bonitas divina æquè bona est relativè ad illos, quàm ad nos: ergo &c. Resp. negando

conseq. & paritatem : quia Deus communicando se hominibus , omni aliquomodò se communicavit creaturæ , cum ut inquit D. Greg. Homil. 29. in Evang. *Omnis creature habet aliquid homo : habet namque commune esse cum lapidibus , vivere cum arboribus , sentire cum animalibus , intelligere cum Angelis.* Ex quo sequitur , quòd si solum Angelis sese Deus communicasset , natura corporea expers maneret hujus beneficii , si verò hominibus , omnis , vel Angelica nobilitata est natura. Sed replicabis: ergo nec conveniens fuit , ut Angelis se communicaret in esse intelligibili : nam sufficeret sic communicari hominibus , in quibus omnis comprehenditur natura : Neg. conseq. & paritat. nam unio maxima intelligibilis est finis peculiaris creaturæ intelle&tualis , non verò entitativa , sive hypostatica. Sed replicabis 2. &

7 Obs. 2. Si quia bonus est Deus , atque sui diffusivus , naturæ humanæ se comunicabit , sequitur Incarnationem fuisse necessariam , non liberam , neque gratiosam : quia illud est necessarium , quod ad causam sequitur naturalem , & necessariam ; atqui Deus naturaliter , & necessariò bonus est: ergo necessariò incarnatus est , quod absit dicere. Resp. Deum quidem necessariò bonum esse : at quid ex hoc? necessariò communicandum esse : Ecce ergo ab æterno illum ad intra tum Filio , & Spiritui S. jam communicatum. Et nonnè ex hac infertur communicatio ad extra[minimè] , si loquamur de ea in actu secundo exercita , sufficit verò si in actu primo

sit communicabilis. Ratio: quia cius communicatio debet verificari sine præjudicio suæ summæ perfectionis ; præjudicaret verò si sua summa libertas à suis creaturis liberè , & gratiosè productis , ut eis communi-caretur , cogeretur , quod inconveniens non occurrit in communicazione ad intra , cùm ejusdem ad se ipsum coactio nunquam interveniat.

8 Obs. 3. Ex mysterio Incarnationis sequitur imperfectio in divina subsistentia : ergo non est possibile. Prob. sequela : sequitur dimanatio à natura , quam terminat , & consequenter hanc in divinam influere subsistentiam , imò hanc in illa recipi : quo quid nequius ? ergo. Resp. negando , quòd subsistentia dimanet à natura propriè , sed ad summum impropriè , & similitudinariè , quatenus sequitur ad ipsam , non tamen per illius influum ; nam & quomodo influet natura in subsistentiam , cùm nequeat influere nisi ut subsistens , & existens est ? Nec itidem in natura recipienda est , si loquamur de subsistentia generaliter loquendo , sed ut magis hoc erit verum de creata : nam subsistentia ex terminis solum dicit terminare , & completere , quod imperfectio non est , sed perficere imperfectum : hoc autem Deum non dedecet , qui omnia perficit , & compleat. Videsis id in actione , quæ ex conceptu creatæ plurimas dicit imperfectiones , à quibus tamen omnino absolvitur divina : quia actio non ex se , sed in quantum creata imperfecta est. Sed replicabis , &

9 Obs. 4. Si quia subsistentia non dicit imperfectionem essentialiter (sed solum accidentaliter, & in quantum creata) potest per divinam suppleri, & subrogari. Poterit itidem lumen gloriae per divinam naturam unitam per modum luminis suppleri: quia nec lumen essentialiter, & in communi acceptum imperfectum est, ut patet in lumine increato, sed solum accidentaliter, & ut creatum est; at qui hoc supplementum, sive subrogatio a nobis improbat tr. 1. disp. 3. dub. 2. ergo & primum improbandum est. Ingens objectio! nec solutu facilis, si bene calleatur. Et nihilominus tamen resp. haud tenuem esse inter utrumque casum discrepantiam. Stat in hoc, quod lumen praeter hoc quod est illuminare, & completere (qua ex parte Deum non dedecet supplere) habet alia indispensabilia munia, quae absque indecentia Dei exerceri nequeunt, ut sunt recipere visionem, esse principium quo, partemque constituentem intellectum creatum aptum, ut in actu secundo exerat intellectionem: quae omnia imperfectionem exprimunt, atque ideo exterminanda sunt a Deo. Sed contra, &

10 Obs. 5. Subsistentia etiam divina partis obit munus: facit enim compositionem, & compositum cum humanitate, nempè, Christum Dominum: ergo ex hac parte non minus repugnat, quam luminis divinum supplementum. Resp. fatendo in Christo compositionem, quam fatetur etiam D. Thom. 3. p. q. 2.

art. 4. non tamen quae sit ratione parium, sed potius ratione numeri, hoc est duarum naturarum (vel etiam humanæ, & subsistentiæ divinæ) quae faciunt hypostasim ex utraque compositam juxta Damasc. à D. Thom. ibi laudatum. Rationem reddit Sanctus in 3. sent. dist. 6. art. 3. ad 4. ibi: *Divinitas enim pars esse non potest propter imperfectionem, quae est de ratione partis. Humana autem natura similiter non potest esse pars: quia comprehendit non habet. Et ideo Magister dicit in sequenti distinctione, quod inexplicabilis est illa compositio, quae non est pars.*

¶ Aliter sine lesione hujus venerandæ solutionis responderi potest in forma distinguendo ant: subsistentia divina obit munus partis inadæquatè sumptæ, conc; partis adæquatè acceptæ, nego ant. & conseq. Duplex ratio sive inadæquatum munus in una sola parte potest considerari; alia perficiendi comprehendit, alia perficiendi se per comprehendit, ex quibus prima nullam dicit imperfectionem, immò illam tribuit, & ideo non repugnat Deo, & consequenter neque esse pars inadæquatè sumpta: secunda vero, quae est perfici per comprehendit, solius est propria creature, cui etiam convenit esse pars inadæquatè in Incarnatione: quia ita perficitur per subsistentiam, ut tamen hanc non perficiat illa; unde illæ solum erunt partes totaliter, quæ mutuò perficiunt, atque perficiuntur, & hujusmodi est omnis compositio, quæ ex creatis resultat partibus unitis; sed quia non sic in hoc mysterio,

erit quidem in illo compositio , & compositio partium , sed non partium totaliter , sed inadæquate sumptarum : Itaque *Divinitas pars esse non potest totaliter* , hoc est secundum utramque partis rationem , potest verò esse inadæquate : quia hoc nihil aliud est , quam habere de parte , quod perfectum est , scilicet perficere , & renuere , quod imperfectum est , nempè perfici. Heinc redditur aliquo explicabilis modo compositio , quam inexplicabilem dicit Mag. *Sententiarum* , dicendo , esse quidem compositionem partium non secundum utrumque munus sumptarum , sed secundum unum respectivè , quod est solùm perficere , vel solùm perfici iuxta dicta.

11 Obs. 6. Sequitur Deum immutari , siquidem transiret de non esse ad esse intrinsecè hominem (in quo videtur differentia à denominatione creatoris , per quam Deus non denominatur creatura) sed Deum immutari est non esse Deum : ergo. Resp. non omnem denominationem intrinsecam immutare subjectum denominatum , ut patet in omni connotante aliquid extrinsecum , quod non idè mutatur : requiritur ergo ad immutationem , ut subjectum recipiat in se formam denominantem , ipsumque aliquomodo actuarem. Quod ab hoc longè abest mysterio : non enim Verbum recipit humanitatem ut ipsum aliquomodo actuarem , cùm sit ipsum actus purissimus , sed unit sibi illam , & non per unionem in ipso , sed in ipsa humanitate receptam : ipsum enim Verbum cum in omni sit linea

actualissimum , identificat sibi etiam actum se ipsum uniendi cum sola connotatione humanitatis sibi unitæ ; ita ut nec ipsam unionem , nec aliquam relationem ex unione resultantem inse-
cuit in Verbo ; immò ex illo tollitur ab humanitate illa imperfec-
tio , quam natura sine subsistentia , opus est , haberet. Exempla pro de-
nominatione intrinseca , sine intrin-
seca mutatione habes in actu libero
Dei , in denominatione Dñi , & Crea-
toris , in relatione paternitatis ad se-
cundum Filium , & in specie ange-
lica , quæ quia valde communia , &
iterata , applicationem non reposunt
iterata.

12 Obs. 7. Tota vis terminan-
di exauritur in Verbo , terminando
naturam divinam : ergo nequit ul-
tra illam , etiam humanam termina-
re. Ant. probr. quia quælibet exau-
ritur vis per actum , vel terminum
suum adæquatum ; sed divinam termi-
nat naturam est actus adæquatius
divinæ subsistentiæ : ergo tenet ant.
Resp. negando ant. cuius probatio-
nis concessa maj. dist. min. divinam
terminare naturam est actus adæqua-
tus ad intra , conc. ; ad intra , & ad
extra , nego min. & conseq. Licet
vis terminandi ad intra exauriatur
in naturæ divinæ interna comple-
tione , adhuc superst̄ vis ad extra ter-
minandi secundariò ; haud scūs ,
quam essentia divina exaurit totam
suam vim repræsentativam primariam
in sui divina cognitione , & tamen

superst, ut unita intellectui humano terminet etiam hujus cognitionem ab extra procedentem. Similiter Pater æternus respicit ut terminum adæquatum ad intra suum Filium, & Spiritum S. & tamen ad extra producit creaturas: ergo similiter.

13 Obs. 8. Summè, & infinitè distant humanitas, & divina substantia: ergo uniri nequeunt. Resp. ex D. Thom. in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 4. dist. conseq. nequeunt uniri identicè, conc; servata distinctione extremorum, nego conseq. Non repugnat infinitè distantia uniri, quando ex una parte adhuc unita servant suam cujusque naturam cum distinctione, & ex alia communicatio, seu unitio non est infinita sed juxta capacitatem extremi limitata.

14 Obs. 9. Sequitur ex conclusione, Christum sic compactum esse, ut de eo verificantur contradictionia prædicata; scilicet, esse corporeum, & incorporeum, mortale, & immortale; hoc est impossibile: ergo & repugnans illud, ex quo sequitur. Resp. prædicta non tam esse contradictionia, quam contraria: quia ambo sunt positivè talia, sicut albedo, & nigredo; contradictionia vero versantur inter affirmativum, & negativum, ut inter esse tale, & non tale. Dato tamen esse contradictionia formaliter, vel illativè, nulla est implicatio, quod hæc de eodem supposito, sed non secundùm eandem naturam prædicentur.

¶ Contra: Eodem modo opponuntur prædicta prædicata, ac esse

peccabile, & impeccabile; hæc non admittimus in Christo, adhuc secundum diversam naturam: ergo nec &c. Est disparitas in eo, quod, ex quo Christus sit mortalis ratione naturæ humanæ, non sequitur, quod sit mortalis ratione divinæ: quia hæc prædicata non ratione subsistentiæ, sed naturæ convenientiunt Personæ; at si humanitas peccabilis esset, totum suppositum peccabile redderetur: quia peccare, & qualibet actio, immò & passio sunt suppositorum, & consequenter peccabilitas in suppositi divini refundetur potestatem, directionem, & approbationem, quod absit. Sed de hoc amplius dum de peccabilitate Christi peragamus.

D U B I U M II.

AN PECCATUM MORTALE SIT SIMPLICITER INFIRMUM IN RATIONE OFFENSÆ?

15 EX summa peccati gravitate, summa dignoscitur convenientia, & necessitas Incarnationis: ideo de peccato, de quo alias in suo tractatu fusiū agimus, in praesenti etiam agimus. Et meditato de illo in ratione offensæ inquirimus: in ipso enim præter hanc plures rationes recensentur. Et in primis offensa trinominis est, vocatur enim ium offensa, tum injuria, tum injuria, consilique in violando, vel auferendo saltim affectivè à Deo ius suum, & dominium nostrarum actionum, seu rationem ultimi finis earum, quod verè injustitia est. Est etiam in peccato ratio malitia con-

8 Tract. VII, de Incarnatione. Disp. I. Dub. II.

sistens in aversione à Deo ultimo fine, & conversione ad bonum commutabile creatum. Est ultra reatus ad pœnam, qui rationem habet meriti ad illam. Ex quibus resultat in Deo ratio offensæ passivæ, non quidem quæ physicè Deum feriat, cùm, ut inquit Job c. 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis?* Sed quæ Deum affectivè, & quantum in affectu est peccantis perimmat.

¶ Ex quo oritur duplex in peccato lethali distingueda moralitas, alia relativa ad prudens hominum judicium, quo sublato, nihil est, & talis est ratio offensæ passivæ, quæ verè nihil Deo nocet, prudens verò humana existimatio sic eum læsum, ut & perentum quasi reputet. Alia, relativa ad regulas morum, & talis est ratio malitiæ, quæ in offensa reperitur activa simul cum privatione gratiæ, & reatu ad pœnam: nam hæ denominationes, etiam præcissivè ab hominum judicio, & existimatione, verè in peccato reperiuntur.

16 Ante resolutionem supponimus 1. peccatum lethale in ratione malitiæ, immò & offensæ activæ, non esse infinitum: quia prout sic est actio creature Deum injurians, à Deo avertens, ad bonumque commutabile convertens, & actio creature creata debet esse, nihil autem creatum infinitum, sed limitatum debet esse: quin valeat dicere, quòd avertit à Deo, qui infinitus est, cui favet expressè D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. nam solum intendit ponere infinitatem extrinsecam in peccato ratione termini Dei, à quo ani-

mam avertit, non verò intrinsecam, de qua hic loquimur. Nec valet iterum si dicas, quòd etiam est crea-ta offensa passiva, & tamen de illa statim esse infinitam afferemus: quia offensa passiva suum esse habet ab hominum existimatione, qui illam in ordine divino subjectivè sumptam, atque intrinsecè reputant receptam, licet realiter nihil ab ordine divino plus distans, & alienum existimetur, quam illa. Sed adhuc

17 Obs. malitia privat omnی gratia possibili, & unione hypostatica, quæ infinitæ sunt: ergo & ipsa malitia infinita erit: cùm privatio per formam, qua privat, sit commensuranda. Argumentum probat nimis, scilicet peccatum expelli non posse nisi per gratiam infinitam, vel unionem hypostaticam: immò & probat vel minimum actum contritionis esse infinitum: quia excludit omnia, & infinita peccata, quod dicet nemo. Resp. ergo, quòd contraria taxanda sunt penes ea, quibus directè, & per se opponuntur. Peccatum verò solum opponitur per se gratiæ secundum se; gratiæ verò ut tantæ, & unioni hypostaticæ non per se, sed indirectè, hoc est ratione incompatibilitatis cum eis, & ideo ex harum infinite non inferatur peccati infinitas in ratione malitiæ.

18 Supponimus 2. cum communī Theologorum contra Godoy, Gonet, Lairdito, & alios peccatum lethale in ratione demeriti seu reatus ad pœnam non esse simpliciter infinitum, aliás, inquit D. Thom. in 4. dist. 46. q. 1. ad 6. *Culibet peccato redde-*

recur pœna infinita intensione, quod falsum est, licet verum, & de fide certum, in extensione admittendum sit. Confirmatur ex ipso 1. 2. q. 87. ubi expressè docet, quod peccato, secundum quod est conversio, pœna sensus correspondet, quæ finita est; prout verò aversio est à Deo pœna damni, quæ infinita est tantum secundum quid, seu extrinsecè: ergo non simpliciter.

¶ Prob. 2. Ratione, prænotando differentiam inter pœnam, & satisfactionem, quæ in hoc stat, quod pœna correspondet deordinationi malitiæ, & satisfactio offendæ passivæ, sive injustitiæ. Pœna itidem provenit à Judice, satisfactio à peccatorre: Unde oritur, quod pœna aliquando sine satisfactione suffertur, ut patet in damnatis, satisfactio etiam sine pœna integrè redditur medio actu valde intenso contritionis, vel amoris Dei ex meritis Christi Dñi. Prob. ergo nunc: peccatum nec ut offensa, nec ut malitia meretur pœnam infinitam: ergo infinitus non est ejus reatus, seu demeritum. Ant. quoad primam partem prob. quia licet offensa passiva sit infinita, huic tamen non correspondet pœna, sed satisfactio: ergo ex hac ratione non est infiniti demeriti. Quoad secundam prob. ex D. Thom. 3. cont. gent. c. 144. ubi ait: *eadem justitiae ratione pœna peccatis redditur, & bonis actibus præmium: sed bonis actibus licet præmium in æternum protendatur, non tamen præmium infinitum intensivè, & simpliciter: ergo talis erit pœna peccatis correspondens: ergo reatus ad illam non erit simpliciter infinitus. Sed*

19 Obs. 1. D. Thom. in 2. dist. 42. q. 1. art. 5. in corp. ubi ex eo quod peccatum est contra Deum infinitè magnum, infert quod offensa illius infinita pœna digna est. Et ad secundum ibi: *Non autem potest esse infinita acerbitate: quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed compensatur per durationem infinitam: ergo ut minus æquivalenter, vel moraliter erit infinita.* Resp. & hoc probare nimis argumentum: nam si ex duratione infinita, infinitas rei argueretur, Angeli, Cœli, & omnia quæ in æternum erunt duraturæ, infinitæ erunt in suis entitatis, quod nullus dixit, & habet contra se, quod beatitudine etiam Patriæ æterna erit, non tamen quia æterna, erit infinita. Auctoritas D. Thom. in prima parte per secundam explicatur, ubi ait *non acerbitate, sed in duratione infinitam esse pœnam: ergo non est simpliciter infinita, licet aliquatenus per diuturnitatem compensetur.*

20 Obs. 2. Actus Charitatis ut duo, per quatuor protensus instantia æquivalat quatuor actibus ut duo, qui ut octo in merito æstimantur: ergo in infinitum durans, infinitum esset meritum: ergo idem dicendum erit de pœna in æternum duratura. Resp. neg. conseq. ultimam, & ejus paritatem: quia meritum fit per additionem meriti ad meritum, media operatione, quæ novam addit difficultatem, atque in novum, & majus meritum crescit; at pœna damnatorum eadem est in primo, ac in millesimo subsecuto instanti, & ideo sine nova suf-

10 *Tract. VII. de Incarnatione, Disp. I. Dub. II.*

suffertur difficultate, unde non crescit infinitè per infinitam durationem. Potest etiam responderi, si placuerit, in neutro casu verificari infinitatem simpliciter talem, de qua in presenti: quia infinitas simpliciter talis debet esse simultanea, & permanens, hoc est, quod simul habeat quidquid in æternum habere potest, ut Deus: nam quæ non simul, sed successivè illud habet, solum infinitas in fieri, successiva, & syncathegorematica dici potest.

His præsuppositis tota difficultas ad rationem offensæ devolvitur passivæ, sitne sub hac ratione peccatum lethale simpliciter infinitum, non quidem in omni linea, ut est Deus, sed in morali? vel in prudentum æstimatione? Circa quam difficultatem duplex extat opposita sententia, alia Scotti, & Suarij cum suis respectivè asseclis, qui cum aliquibus Thomistis partem tinentur negativam, altera vero, quam omnes ferè Thomistæ ex suo Angel. Præcep. suscipiunt defensandam, est

CONCLUSIO NOSTRA AFFIRMATIVA.

21 **S**cilicet peccatum lethale in ratione offensæ esse simpliciter infinitum. Prob. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. sed & expressius quæst. 28. de verit. art. 2. ibi: *Cum ergo Deus creaturam in infinitum excedat, erit mortaliter peccantis contra Deum infinita offensa...* Unde ad hanc offensam abolendam non sufficiunt vires humanae. Et ratio est, quam ibi assignat S. Dr. estque Arist. 7.

Ethic. scilicet, quòd offensa eo gravior est, quòd persona offensa dignior est: unde irrogata plebejo tenuior est, quam equiti illata: major autem quam hæc, si Episcopo, & adhuc hac gravior si Cardinali; demumque omnium gravissima in humanis si summo irrogetur Pontifici: ergo infinita, quæ infinitæ & divinæ infertur bonitati.

22 Respondent adversarii, crescere quidem gravitatem offensæ pro personæ offensæ dignitate; at vero non arithmeticè, seu tantudem, vel per totidem adamusim gradus ascendere, sed geometricè, hoc est proportionaliter, ita ut majori, major corresponeat, non tamen ita ut majoritati personæ æqualis sit majoritas offensæ: potest enim minui offensa vel ex defectu cognitionis, vel ex minori conatu delinquentis. Sed contra est: nam privatio formæ crescit incremento nedum geometrico, & proportionabili, verum & arithmeticò, & æquali cum gradu ejusdem formæ, ut patet in eo qui destrueret tres imagines, una quarum viginti, alia quinquaginta, alia centum apparetur aureis, quo in casu damnum, seu privatio earum arithmeticè cresceret præ eujuslibet valore, ita ut satisfactio Domino non justè redderetur, nisi per viginti, quinquaginta, & centum aureos completos, ad quod de materiali se haberet, quòd majori, vel minori cognitione, vel conatu una dirueretur præ alia; sed offensa in prudentum æstimatione est privatio ultimi finis, vel alicujus prædicati divini, & infiniti: ergo ad hujus

hujus mensuram crescere debet arithmeticam , de materiali se habente quantum ad infinitudinem formalèm excessu in cognitione , vel conatu delinquentis.

ARGUMENTA CONVELLUNTUR.

23 Obs. 1. ex D. Thom. qui in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 1. comparat infinitatem offendæ cum infinitate nostræ satisfactionis ; sed nostra satisfactionum est infinita secundum quid : ergo & offendæ. Et ibidem dist. 17. q. 1. art. 3. æquiparat offendam cum visione beatifica , quæ infinita simpliciter non est : ergo. Resp. 1. D. Thom. loqui de offendæ activè sumpta , quæ cùm realiter identificetur cum malitia , & averstione , quæ solum secundum quid , & extrinsecè sunt infinitæ , itidem & ipsa infinita extrinsecè est. Unde comparatio solum est in esse infinitas , non in modo infinitatis : hic enim in offendæ explicatur per terminum *simpliciter* , in aliis vero per secundum quid . Hujusmodi est comparatio D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. inter humanitatem Christi cum beatitudine creata , & maternitate Dei , quæ omnes , ait , quamdam habent infinitatem ; & tamen sola humanitas Christi habet dignitatem simpliciter infinitam , alia vero secundum quid .

24 Obs. 2. Exemplum virtutum , v. g. amoris Dei , qui eo plus crescit , quo objectum amatum nobilius est ; sed non ideo , si Deus est amatus , amor infinitus est : er-

go nec si Deus injuriatus , infinita offendæ erit. Resp. negando conseq. & parit : nam juxta commune Philosophorum axioma : *honor est in honorante* , & *offensa in offendæ* : unde oritur , quod actus amoris Dei , & cuiuslibet virtutis , qui in honorem Dei est , recipitur in eliciente , quod finitum est tam ut agens , quam ut subjectum ; offendæ vero , licet non physicè , moraliter recipitur in Deo , qui infinitus est , & infinitus etiam ille titulus quo affectivè privatur , ratio , scilicet , ultimi finis : ergo & infinita offendæ per quam sic illo privatur. Vide infrà num. 44. Sed replicabis , &

25 Obs. 3. Ergo offendæ æquè grandis & infinita est in esse mali , ac Deus magnus in ratione boni , quod incredibile videtur. Nega conseq. quia Deus in linea physica , imò in omni linea bonus est ; peccatum vero in unica , hacque minima , scilicet morali , malum est. ¶ Sed contra : hoc malum morale est injustitia , quam Deus patitur moraliter ; sed hæc injustitia infinita non est. Hæc minor prob. *pejus est* (inquit Philos. 5. Ethic. c. 5.) *injustum facere* , quam *injustum pati* , quod sic interpretatur D. Thom. lect. 17. litt. O. *Pejus est injurian facere* , quam *injuriam pati* ; sed injuriam facere juxta nos non est malum simpliciter infinitum : ergo multo minus injuriam pati , in quo consistit passiva offendæ peccati .

Explico auctoritatem Philosophi , & D. Thom. *Pejus est injuriam facere &c.* nominaliter loquendo , nego ; verbaliter conc. aucto-

torit. & min. & nego conseq. Est dicere, quòd si comparatio fiat inter hæc nomina: *injuria activa delinquentis, & injuria passiva patientis*, pejus malum est hæc, quàm illa: quia hæc est infinita, privatque bono infinito, scilicet ratione ultimi finis, illa verò est actio creata à causa limitata elicta. Si verò comparatio fiat inter hæc verba *facere, & pati*, pejus est facere, quàm pati: quia facere injuriam est actio voluntaria, & mala moraliter; pati verò nec est passio voluntaria in Deo, nec est malum moraliter, imò pati injuriam sàpè bonum est morale, ut in patientibus propter Dei amorem injurias.

26 Obs. 4. Sequitur Deum mutari ex nostra conclusione; & prob. quia offensa passiva, quam ponimus infinitam, est effectus, & terminus offensæ activæ realis: ergo non erit quid rationis: ergo quid reale: nam Deus realiter offensus est; sed aliàs in ipso intrinsecè recipitur: ergo intrinsecè etiam immutatur. Dist. hanc ultimam: immutatur intrinsecè physicè, nego; moraliter intrinsecè, conc. conseq. Nec in hac est inconveniens mutatione: quia hoc nihil est aliud, quàm Deum realiter offendì extrinsecè, & affectivè, ex qua extrinseca affectiva injuria sumit fundamentum prudentum æstimatio, ut offensam intrinsecè lèdentem Deum in ipso concipiatur: haud secùs, quàm in sententia Godoy (eius est argumentum) omissione pura voluntaria, quin realiter sit actus, actus in prudentum judicio existimatur. Nec ex hoc

dicendum est hic actus, vel injuria dicta, ens rationis, sed ens morale, inter ens medians reale, atque rationis. Sed replicabis, &c.

27 Obs. 5. Deus est actus purus in omni linea, etiam morali: ergo nequit concipi ut receptivum intrinsecum, adhuc morale, actualitatis passivæ offendæ. Maximè cum Psaltes personet (90) *Non accedit ad te malum*, quod de omni malo, etiam morali intelligendum est: ergo ruit solutio suprà data. Concesso ant. dist. conf. nequit esse subjectum receptivum morale moralitate fundata in aliquo Deo effectivè intrinseco, conc; in aliquo affectivè Deo intrinseco, nego conseq. Non opponitur summæ Dei actualitati, ipsum esse receptivum morale offendæ passivæ: nam præterquamquod non est receptivus physicus, & realis hæc receptio, quam prudens concipit, judicium non fundatur in ipso Deo, vel in aliquo Deo intrinseco, sed in affectu extrinseco peccantis, cuius effectus quasi in Deo inspicitur receptus: quia ut inquit D. Bern. Serm. 3. de Resurrect.: *Ipsum quantum in ipso est Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nescire: Vult ergo Deum non esse. Et consequenter non esse actum purum: imò vult malum ad ipsum accedere; & stò physicè non verificetur hic accesus, verificatur tamen in hominum estimatione.*

28 Obs. 6. De ratione contrariorum est, quod talia sint per ordinem ad idem subjectum informandum; sed honor, & offensa

contrariantur : ergo ut talia idem petunt respicere subjectum ; Nunc sic ; sed per nos offensa recipitur in Deo : ergo etiam contrarius ejus honor , quem Deo dare possumus ; & tamen honor infinitus non est : ergo nec offensa infinita erit ex hoc , quod in Deo recipiatur. Resp. concessa maj. dist. min. honor , & offensa activa contrariantur , conc ; & offensa passiva , nego min. & conseq. sub distinct. data. Honor est actio immanens , nihil intrinsecum adhuc moraliter transfundens in subjectum honoratum , ex quo oritur , quod tam ex parte sui , quam subjecti in quo recipitur , limitatus sit ; offensa vero activa est moraliter transiens , moralemque lassionem causans in offenso : quae lassio , seu offensa passiva cum contrarietur perfectioni Dei infinitae ipsam ex affectu peccatoris dirimentis , ex duplicitate capite infinita concipitur , scilicet , & ex parte perfectionis , qua privat , & ex parte subjecti , quod privatur ipsa : quia tam perfectio , quam subjectum infinita sunt. Sed replicabis , &

29 Obs. 7. Sequitur ex hoc , quod & culpa levis infinitè mala sit , cum & ipsa Deum privet aliquo divino prædicato , scilicet jure subjiciendi , & ordinandi ad ipsum illam actionem , & insuper in Deo hæc privatio recipiatur ; sed hoc non admittitur : ergo nec primum. Resp. quod culpa levis absolute non privat aliquo divino prædicato , sed solum extensione ultimi finis ad illam actionem , conservando tamen habitualem conversionem ad Deum ,

quatenus peccans venialiter sic deficit , ut si Deum amitteret , vel ejus charitatem , numquam tale committeret peccatum leve , quia habitualiter paratus est ad illam conservandam : unde sicut veniale solum secundum quid peccatum est juxta D. Thom. 1. 2. q. 88. art. 1. ad 2. ita solum est secundum quid privatio divini prædicati.

¶ Obs. 8. offensa activa infinita non est : ergo nec passiva : hæc enim effectus est illius , & hic grandior nequit esse sua causa. Concesso ant. neg. conseq. & hujus imbibitam distinguo probationem : offensa passiva est effectus positivus , & primarius , nego , privativus , & secundarius , conc. imbibitam. Quamvis effectus positivus , & primarius regulari debeat per suum , à quo efficitur , principium ; ast privativus secundarius non ab illo , sed à forma qua suam sumit entitatem , ut patuit in Iudeis Deicidis , qui per activam occisionem Christi , quæ finita fuit , causarunt privationem dignitatis infinitæ , quæ ex unione ad Verbum in Christo reucebat.

30 Obs. 9. Si passiva offensa Dei esset effectiva , major esset , quam pure effectiva , de qua loquimur : ergo dato quod effectiva infinita esset , pure effectiva de qua in præsenti minor quam illa , & consequenter finita debet esse. Concesso ant. dist. cons. minor quam illa in linea , conc. in infinitate , nego conseq. Non distinguuntur tunc casus effectiva , & effectiva offensa in eo quod altera infinita , altera finita esset , sed in eo quod utraque , cum infinita esset sim-

simpliciter, altera tamen, scilicet effectiva in linea physica, altera vero, scilicet affectiva in linea esset morali. Unde comparatione facta inter lineas, fatemur tunc casus effectivam supra affectivam fore; hoc autem sine prajudicio conclusionis: quia infinitas in linea physica non tollit infinitatem aequaliter simpliciter talem in linea morali, cum in utraque linea esset offensa interminabilis.

31 Obs. 10. Præcipuum adversariorum fundamentum: Si offensa peccati lethalis esset infinita, omnia peccata essent aequalia contra illud Joan. 19. *Qui me tradidit tibi, maior peccatum habet:* ergo conclusio est contra Fidem. Sequela prob. ex D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. in sed contra. Ibi: *Non enim est infinitum infinito maior* (loquitur de peccatis peccatorum) & est ratio quia de ratione infiniti est non habere terminum ultra quem non extendatur; si autem unum peccatum infinitum aliud excederet infinitum, excedens extenderetur ultra id ad quod non protenderetur excessum, contra rationem infiniti: ergo omnia infinita sunt aequalia: ergo & peccata si essent infinita in ratione offensa: ergo sequela vera est.

Resp. neg. ant. quin obsita auctoritas D. Thom. qui non ex propria loquitur sententia in dicto loco, uti assolet apud ipsum in loco sed contra, cuius evidens probatio est ipsius sancti auctoritas contraria in 3. p. q. 10. art. 3. ubi docet, quod *mores Christi sicut infinita scientia simplicis intelligentiae, plura tamen sicut Deus secundum hunc scientia modum.* Ec-

ce ex D. Thom. unum alio majus infinitum, & consequenter unum majus alio peccatum. Et ratio est, quia infinito formaliter sumpto solum opponitur habere terminum, quem si non habet, de materiali est, quod non sic pretendatur sicut aliud. Exemplum est in infinito digitorum, si darentur infiniti homines, in quo non deesset hominum infinitudo, licet plures digiti quam homines essent. Et si hoc non placet exemplum, inspice aliud in valore operum Christi, qui infinitus est in nostra, & plurium extraneorum sententia, & tamen major est valor operum ipsius Dei: ergo pariter. Sed replicabis, &

32 Obs. 11. Offensa passiva de qua loquimur, consistit in privatione; sed haec consistit in indivisibili, quod non recipit magis & minus, ut patet in cæco, & mortuo, in quibus privatio visus, & vitae nequit esse major: ergo nec privatio juris divina: ergo una offensa non excedet aliam. Respondetur dist. maj. consistit in privatione nudè sumpta, nego; in illa cum respectu ad varias circumstantias, conc. maj. & dist. min. est indivisibilis in se, conc. ex circumstantijs, nego min. & conseq. Est dicere quod privatio, quæ de se indivisibilis est, est major, vel minor ex majori conatu, cognitione, vel multiplicacione culparum: quia sic remotior redditur peccator reponendi formam, qua per offensam privat affectivè Deum. Sicut cæcus, qui omnino caret oculis, remotior à videndo redditur, quam qui habet illos sine usu, quia

quia infirmos, vel caliginosos : & mortuus remotor est à vita, corpori jam sepulto, quām nuper mortuus, qui adhuc calorem aliquem conservat. Privatus etiam gratia longius est ab ea per plura peccata amissa, vel majori cum malitia commissa, quām si per pauciora, vel minus graviora illa privaretur. Id quod etiam fit in pena damni inferni, consistente in privatione summi boni, & tamen major est in eo, qui per plura, & pejora peccata, quām in eo, qui per pauciora, vel minus enormia privatur illo. Sic ergo in præsenti.

33 Obs. 12. Si offensa peccati lethalis esset infinita, nulla esset distinctio specifica, vel numerica inter tales offensas ; hoc est absurdum: ergo infinita non est. Prob. seque-
la: non esset distinctio numerica in primis, quia omnes offensæ habent idem subjectum: duo autem acciden-
tia num. distincta in eodem non possunt subjectari ; sed nec specifica: quia privatio habet speciem per formam, qua privat, ratio verò ultimi finis cuius est privatio offensa una omnino est: ergo nulla esset distinctio. Respondetur negando se-
quelam, & afferendo utramque distinctionem inter offensas Dei passi-
vas, numericam quidem per ordinem ad peccata numero distincta, ex quibus resultant, quin obstet quod subjectum sit idem, hoc enim pe-
tit esse distinctum, quando aacciden-
tia sunt plura numero, & physica, non verò quando sunt moralia, ma-
xime moralitate per respectum ad judicium hominum. Patet hoc in illo

qui unico ictu, atque unica intentione plures necat homines, quo in casu plura sunt peccata numero dis-
tingua, in eodem tamen numero sub-
jecto recepta. Est etiam distinctio specifica desumpta ab ipsa forma, qua privat, connotante diversas specificè activas offensas, à quibus passivæ oriuntur, vel ab ipsa for-
ma, quatenus non exercet rationem ultimi finis in materia iustitiae, re-
ligionis &c. ergo componitur per
bellè infinitas offensæ cum distinc-
tione omnigena, scilicet numerica,
& specifica. Sed dices, &

34 Obs. 13. Ergo componun-
tur offensæ passivæ ex genere, &
differentia: & clauduntur sub his
terminis genus, & differentia: ergo
non sunt infinitæ: quia infinitum ca-
ret terminis. Dist. primum conseq.
clauduntur sub terminis physicis, ne-
go suppositum; methaphysicis conc.
conseq. & dist. causalem ultima con-
seq. infinitum caret terminis physi-
cis, conc: methaphysicis subd. infi-
nitum in omni linea ut Deus, conc:
in determinata, ut offensa, nego
conseq. Est dicere, quod offensæ
passivæ habent genus, & differen-
tiā tamquā terminos claudentes
suam essentiam, per quos conve-
niant, & differant inter se. Hoc au-
tem genus, & differentiam intelli-
ge juxta immediate dicta, non in-
trinsicè (nam intrinsicè solum po-
test dari inter eas convenientia ana-
logica) sed extrinsicè, hoc est con-
notativè ad offensas activas specificè
diversas, & genericè identicas.

35 Obs. 14. Deus permittit pec-
catum propter pœnitentiam; sed pœ-
nitent-

nitentia non est bonum infinitum: ergo peccatum non est infinitum malum: alias Deus non recte se gereret in permittendo malum tantum propter tantillam poenitentiae bonitatem. Respondetur quod non solum propter poenitentiam permittit Deus hominum peccata, sed & propter manifestationem suae misericordiae, justitiae, & aliorum attributorum, finiumque nobis incomprehensibilium, quique in linea collocantur divina, atque infinita.

DUBIUM III.

*UTRUM HOMO POSSIT SATISFACERE
ad aequalitatem pro peccato lethali,
sive proprio, sive alieno?*

36 PER purum hominem intelligimus, qui non sit Persona divina, & sive gratia sit ornatus sive nudus illa. Supponimus verò i. quod ipse in puris naturalibus, & sine gratia non potest pro ullo vel veniali satisfacere peccato: quia satisfactio ad vitam debet conducere æternam, quod à solidis viribus naturalibus oriri nequit, juxta illud i. ad Corinth. c. 13. *Si Charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* ¶ Supponimus 2. hominem purum etiam gratia ornatum, non posse satisfacere pro peccato ex toto rigore justitiae: nam ad hoc requiruntur duæ saltim conditiones, scilicet quod fiat per opera, quæ non sint sub dominio creditoris, & quod non ex alijs debeantur titulis; constat autem omnia hominum opera bona à Deo esse, ipsique debita ex pluri-

bus titulis præter satisfactionem: ergo non potest ei per ea rigorosè satisfieri.

¶ Potest verò homo in gratia constitutus pro peccatis etiam totius mundi satisfacere satisfactione imperfecta, & congruentia: quia juxta D. Thom. 3. p. q. 64. art. 4. potest purus homo constitui caput morale omnium hominum, eique communicare potestatem excellentiae, ut operetur Sacramentorum effectus, prout Christo in quantum homini convenit. Et si sola gratia B. V. M. & antiquorum Patriarcharum meruit de congruo mysterium fieri Incarnationis, quod est majus, quare non gratia excellentissima communicata homini ut capiti ad satisfaciendum præcissè, non sufficiet, cum sit minus? ¶ Dubium ergo est, an homo purus, & ornatus gratia possit satisfacere pro peccatis non solum satisfactione imperfecta, sed & perfecta saltim ex parte materiæ, sive præcii præcisivè ab aliis conditionibus, quæ se tenent ex parte formæ, ut sunt præfatæ duæ in secunda suppositione?

CONCLUSIO I. NOSTRA.

37 Negat id fieri posse etiam de potentia Dei absolute. Sic communiter Theologi contra Mastrum afferentem suam sententiam esse communem inter Scotistas. Probr. ex D. Thom. in 3. dist. 20. q. 1. art. 2. ibi: *Ad hoc autem, quod satisfactio esset condigna, operabatur, quod haberet virtutem infinitam: quia peccatum pro quo siebat satisfactio, habe-*

habebat infinitatem quendam. Et in 3. ad Anibal. dist. 20. art. 3. addit: Non potuit genus humanum aliter redimi, nisi per Incarnationem, & passionem eius Personæ divinæ, quæ debent intelligi etiam de potentia Dei absolute: quia nec Deus potest facere, quod infinitum coquetur, & satisfiat cum finito saltim ex parte materiae, nisi addatur liberalis Dei donatio, de quo non est dubium.

¶ Prob. 2. Ratione ex his deducta auctoritatibus: Impossibilis est satisfactio perfecta, & adequata ex parte pretii, & valoris sine aequalitate rei deditæ ad rem debitam; sed hæc aequalitas servari nequit inter rem redditam per purum hominem, quæ quid finitum est, & rem debitam, scilicet rationem ultimi finis à Deo ablatam, quæ quid est infinitum, ut sèpè dictum est: ergo impossibilis est &c. ¶ Confirmatur ex illo axiomate in Scholis recepto generatim: *offensa est in offeso &c.* ergo hæc ex subjecto est infinita: ergo debet satisfactio crescere in infinitum, ut cum ipsa coquetur; atqui operatio puri hominis non transcendent limites finitæ: ergo nequit purus homo &c.

CONCLUSIO NOSTRA 2.

38 **S**i offensa peccati mortalis non esset infinita, posset pro illa purus homo satisfacere. Hæc conclusio est contra adversarios, qui ex una parte negant infinitatem in offensa, & tamen assertunt non posse purum hominem pro illa satisfacere, nec solùm ipsi, sed

Tom. II.

& ex nostris Joannes à Santo Thom. Lardito, & alij. Et prob. hac unica ratione: nam supposita offensæ finitate, potest homo offerre opus æquale ex parte materiae, & præcisis circumstantiis num. 36. tactis: ergo poterit adæquatè satisfacere. Ant. prob. nam supposita offensæ finitudine, opus est, ut gradum limitatum habeat, v. g. ut centum, vel ut mille; sed nulla est repugnantia in eo quod gratia homini collata gradum centesimum, vel & millesimum attingat in vi satisfacendi, & contrarium esset negare Deo potentiam ad tantam gratiam producendam, & communicandam: ergo

39 Respondent contrarii, quod adhuc sublata infinitate ab offensa, semper hæc remanet ordinis superioris supra quamlibet hominis satisfactionem: quia ex persona injuriata acquireret offensa collocari in ordine divino contrapositivè; satisfactio verò humana numquam humanum ordinem trascenderet. Sed hæc non labefactant vim rationis nostræ: quia sublata infinitate ab offensa, nulla singi potest superior linea, nec divinæ proximior, quam illa in qua collocatur gratia sanctificans, quæ est participatio formalis naturæ divinæ; sed hac gratia in gradu excellentissimo supra offensæ gradum posset homo à Deo decorari: ergo per hanc posset pro culpa lethali satisfacere.

40 Ex his infer 1. purum hominem gratia insignitum posse satisfacere etiam pro peccato proprio originali, dempta circumstantia infi-

nitatis : quia numquām peccatum originale limites transiret finiti , & limitati , & nulla limitatio quantumvis aliās intensa , vel extensa potest fangi , ut tantundem gratiæ non possit à Deo communicari homini , ut satisfaciat. ¶ Infer 2. quod & pro omnibus peccatis originalibus , quæ contrahenda sunt ad finem usque mundi , posset satisfacere : quia ablati infinitate , eorum extensio semper esset finita. Quis ergo prohibet , ne Deus tantam , tamque extensam , vel , potius dicam , intensam communicet homini gratiam , ut prō tot tantisque possit satisfacere peccatis?

Infer 3. purum hominem posse satisfacere , & pro omnibus peccatis actualibus ad finem usque mundi committendis propter eandem rationem. Infer ultimò purum hominem posse defactò , & potentia ordinaria satisfacere ad æqualitatem pro peccato veniali. Ratio est : quia gravitas peccati venialis infinita non est , sed levis & limitata , & quidem non tanta in ratione pravæ , quām gratia hominis in ratione probæ : ergo potest illa per hanc vinciri , & satisficeri. Hoc intellige de homine jam justificato , & satisfactione ad solius peccati venialis satisfactionem directa.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRA
primum , & principalem conclu-
sionem.

41 **O** Bſ. 1. D. Thomam qui in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 1. ait: *Sicut offensa habet quādam infinitatem ex infinitate divina*

majestatis , ita satisfactio accipit quādam infinitatem ex infinitate misericordia divine , prout est gratia informata , per quam acceptum redditur , quod homo reddere potest. Et in 3. dist. 20. q. 1. art. 2. ad 1. ait: In statu innocentia posset homo ad æqualitatem satisfacere : ergo potest homo satisfacere ad æqualitatem pro infinita offensa Dei.

Resp. ad 1. explicando D. Thom. Ita satisfactio accipit quādam infinitatem extrinsecam , conc; intrinsecam , nego auctoritatem. Hæc solutio patet ex ipsis verbis D. Th. qui loquendo de infinite satisfactionis eam ponit , & infert ex acceptance divina , quæ quid extrinsecum est ; loquendo verò de offensa illam infert ex ipsa divina majestate , in qua intrinsecè apprehenditur recepta per prudens hominum judicium. Ad 2. dic , quod D. Th. loco citato solūm intendit , quod homo lapsus potest ita penitere , ad tam sublimemque gratiam pervenire , quantam in statu posset habere innocentia , quo in casu satisfaceret , inquit , ad æqualitatem : quia nihil jam deberet Deo , sicut qui numquām peccavit : Hæc autem satisfactionio tunc data non esset per nuda puri hominis merita nec hoc innuit D. Thom. sed per ipsa adjuncta Christi meritis , quæ infinita sunt.

42 Obs. 2. Homo per actum contritionis reddit Deo quantum à Deo abstulit , scilicet , rationem ultimi finis : ergo satisfacit ad æqualitatem. Resp. dist. ant. per actum contritionis reddit Deo extrinsecè & inadæquatè quod per offensam abstulit intrinsecè , conc; reddit intrinsecè ,

secè, & adæquatè, nego ant. & conseq. Solutio patet ex his, quæ sèpè numero diximus, scilicet: *offensa est in offendere, & honor est in honore.* Ex quo infertur non æquare satisfaciōnem extrinsecam offensæ intrinsecæ, sicut si quis venenum mortiferum in stomachum intruderet animalis, raro vel numquām per apposita pūrè extrinseca, illius offensam vitaret internam, sed replicabis 1. &

43 Obs. 3. Ille satisfacit adæquatè, qui solvit quantum debet, & nemo debet plus quām quod potest solvere; sed homo plus non potest, quām conteri, & hoc adjutus divina operatur gratia: ergo satisfacere potest purus homo pro infinita offensa Dei. Resp. negando maj. quoad secundam partem, scilicet quod nemo plus debeat, quām quod possit solvere: nam si quis furetur mille, & non potest nisi centum solvere, certè iste debebit plus quām quod potest solvere, non quidem debito præcepti: nam hoc non est de re impossibili, sed debito materiali, quatenus non reddit æquale debito pretium. Replicabis 2. &

44 Obs. 4. Potest homo purus præstare æquale obsequium Deo per amorem, & honorem, ac quod abs-tulit per offensam: ergo poterit satisfacere adæquatè. Prob. ant. ideo non, quia offensa est intrinseca Deo; sed etiam ex actibus nostris resul-tat in Deo gloria intrinseca morali-ter, ut tradit D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. & cum eo N. Salm. tr. de pecc. disp. 7. n. 27. & in hoc disp. 1. n. 7. ergo potest homo purus &c.

Hoc sic argumentum proponit N. Paulus n. 69. sed certè procul à littera D. Thom. quæ si accura-tè perlegatur, nihil intrinsecum sonans invenies in ea, sed quin potius contrarium: ait enim, *quod gloria est effectus honoris, & laudis: quia ex hoc quod testificamur de bonitate alii-cius, darescit bonitas illius in notitia pluri-morum.* In notitia inquit, quod nihil est aliud, quām maior cognitio bonitatis Dei: & quidem cognitio nos-tria quid extrinsecum est Deo, ut n. 71. fatetur N. Paulus. N. Salm. in de peccat. respondent 1. & expre-sè negantes gloriam intrinsecam in Deo ex actibus nostris resultantem: & licet 2. respondeant, quod posset dñi ex honore resultare aliquam in Deo gloriam; Nos non hanc secun-dam responsonem, sed primam extremè oppositam sequimur, & itidem veneramur, maximè cum nec ipsi absolutè, sed per posset dñi sese explicit in secunda responsione. In disp. verò 1. hujus tr. nihil aliud, si attentè perlegantur, quām quod D. Thom. suprà dicit, & ipsi dicunt: ergo nihil hoc obest argu-mentum assertioni nostræ. Sed re-plicabis, &

45 Obs. 5. Forma expulsa, & expellens in eodem debent recipi subjecto, in quo expulsio exerce-tur; sed per actum contritionis ex-pellitur offensa passiva, que in Deo recipitur: ergo & actus contritio-nis, vel aliquis ejus effectus in Deo debet recipi intrinsecè: si autem hoc ita est, quid tali deest actui, quo minus æquè sit ac offensa ini-nitus, cum subjectum receptivum,

& offensa expulsa etiam infinita sint? ergo per ipsum poterit homo adæquatè satisfacere. Dist. maj. forma expulsa, & expellens immediatè & formaliter, conc; & expellens efficienter, & mediatè, nego maj. & dist. min. expellitur per contritionem offensa passiva immediatè, & formaliter, nego; efficienter, & mediatè, conc. min. & nego conseq. Est dicere, quòd actus contritionis, nec ejus effectus recipiatur formaliter intrinsecè in Deo, & tamen expellit ab eo offensam mediatè, & efficienter, quatenus expellendo efficienter aversionem, & offensam activam, quæ finitæ sunt, movet Deum ut ex vi suæ voluntatis divinæ, & meritorum Christi, remittat passivam sui offensam.

46 Obs. 6. Potest purus homo mereri de condigno, & potentia Dei absoluta primam gratiam remissivam peccati, & offensa Dei: ergo & poterit pro ipsa satisfacere. Conseq. tenet à paritate, & ideo Christus Dominus, qui meruit nobis gratiam remissivam, satisfactiōnem etiam pro ea dedit adæquatam. Ant. prob. ex D. Thom. 3. p. q. 64. art. 4. ubi expressè asserit Deum potuisse communicare Ministris Ecclesiæ potestatem excellentiæ, quæ Christo, ut homini conveniebat, ita ut meritum eorum concurreret ad effectus Sacramentorum operandos, ex quibus præcipuus est gratia remissiva; sed D. Thom. non loquitur de merito de congruo, hoc enim multis concessum est defactò, nec sic operaretur homo sicut Christus, cui in hac parte comparatur:

ergo de condigno: ergo tenet ant.

47 Hoc est præcipuum Adversariorum argumentum. Ad illud resp. dist. ant. purus homo potest mereri gratiam remissivam, ut remissivam reduplicative, nego; remissivam specificative, conc. ant. & nego conseq. Nec obstat, quòd gratia ut gratia connectatur, & identificetur cum esse remissivam: quia non semper causans aliquid, quod est connexum cum alio, causat illud ut connexum, vel illud cum quo connectitur, vel identificatur, sed solum quandò tam illud, quod causatur, quām ipsa connexio, vel ipsum cum quo connectitur, cadunt sub virtute causæ; si enim non cadunt, quia talem virtutem vel excedunt, vel quia ipsam dedecet talem effectum causare, minimè virtus ad causandam connexionem, nec id, cum quo connectitur effectus, extenditur.

Hoc vide in Deo, cujus virtutem dedecet causare malitiam formalem culpæ: unde nec illam continet intra sphæram suæ causalitatis, imò nec materiale causat peccati, quatenus connexum cum illa ob hanc rationem. Calor etiam connectitur, & identificatur secum ut illativo formæ ignis, & tamen virtus proxima illum producit ut calorem, non ut illativum formæ ignis; quia sic excedit virtutem proximam. Item visio beata connectitur essentialiter cum Deo clarè viso, & unio hypostatica cum subsistentia Verbi: & tamen Christus per scientiam infusam cognoscit visionem, & unionem, & non Deum, neque Verbum, propter excessum inter vir-

tutem, & objectum. Demum B. V. Maria potuit mereri de condigna maternitatem Dei, quæ cum unione hypothistica connectitur, hanc verò, quia superexcedentem, non potuit sic mereri. Quæ ratio magis urget in nostro casu, quam in adductis exemplis: in his enim conexio est physica, vel etiam metaphysica, in nostro verò licet conexio gratiæ cum remissione malitiæ, quæ finita est, sit physica: conexio verò cum remissione offensæ passivæ solum est moralis, dependet enim à voluntate Dei, & meritis Christi, quod postquam est sublata malitia, & offensa activa, offensa etiam passiva à Deo exulet. Ex hac ergo ratione, & quia infinitas offensæ passivæ superexcedit finitatem gratiæ, non potest homo, etiam hac præventus, mereri nec remissionem offensæ passivæ, nec gratiam, quatenus inferentem remissionem.

DUBIUM IV.

AN Satisfactio Christi sit simpliciter infinita, sufficiens, & superabundans ex natura sua, pro omnium hominum peccatis?

48 **L**equimur in hoc dubio de infinite, sufficientia, & superabundantia ex parte materiæ oblatæ, seu pretii debiti, atque redditii, non de illis ex parte formæ seu conditionum, quæ ad rigorosam, & strictam requiruntur satisfactionem, quales sunt n. 36. Suprà assignatæ. Meditatò inquiri-

Tomo I.

mus an satisfactio Christi sit sufficiens, & superabundans: post quam itidem, sit ne infinita perscrutamus: quia adhuc dato, quod infinita sit, dubitari potest an sufficiat, & superabundet. Cum enim offensa, pro qua fit satisfactio, etiam infinita sit, & haec infinitas per innumera peccatorum millia in finem usque mundi iteranda sit, refert adhuc resolvere, utrum infinitas satisfactio-nis Christi tanta sit, ut tot infinitates peccatorum possit non solum æquare, verum & illas abundè superare? Postquam verò utramque hanc statuamus partem in duabus primis conclusionibus, tertiam superaddemus, in qua modum, quo infinitas, sufficientia, & superabundantia conveniat satisfactioni Christi, resolvemus. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

39 **V**Alor operum, seu satisfactionis Christi est infinitus simpliciter (in esse moris intellige) Prob. 1. ex Clement. 6. in Extravag. Unigenitus de Pænitent. & remiss. Ubi loquendo de Thesauro Ecclesiæ, sic dicitur: De cuius Thesauri consumptione, seu minutione non est formidandum propter infinita Christi merita. Prob. 2. ex D. Ansel. lib. 2. Cur Deus homo, ubi inquirit: Putas ne tantum bonum, tam amabile posse sufficere ad solvendum quod debetur pro peccatis totius mundi? Et respondet: Impossit plusquam in infinitum. Prob. 3. ex D. Thom. 3. p. q. 48. art. 2. ad 3. ibi: Dignitas carnis Christi non assimilanda est solum secundum carnis natu-

ram, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet, est caro Dei, ex quo habet dignitatem infinitam. Et de dolore Passionis illius q. 46. art. 6. ad 6. ait, quod virtutem infinitam habebat ex divinitate unita. Et idem assertit de gratia habituali illius q. 7. art. 11. & de vita ejus corporali in 3. dist. 20. q. 1. art. 3. ad 2. Si militer loquitur aliis in locis per N. Paulum laudatis hic n. 80; Illum sequuntur communiter Theologi, vel & extranei ab Schola nostra, exceptis Scotistis cum suo subs. Dre.

50 Prob. 4. ratione: quia satisfactio inexhaustibilis per infinita syncathegorematice peccata infinita est; sed talis est satisfactio Christi, ut infinita peccata non illam exhaustant: ergo. Minor nequit negari sine magna injuria, & depressione meritorum Christi. Major autem prob. exemplo omnipotentiæ, quæ ex eo infinita convincitur, quia potest alios, & alios usque in infinitum producere effectus in perfectione se excedentes: ergo si satisfactio talis est, ut pro aliis, & aliis in infinitum peccatis, etiam se excedentibus, satisfaciat, quin hauriatur, erit infinita.

¶ Prob. 5. ratione non absimili ab ea, quam pro suadenda infinitate offendæ suprà dedimus n. 21. & est hæc: satisfactio est quidam honor, seu obsequium personæ offendæ præstitus; sed honor, & obsequium crescent arithmeticè pro persona honorante, vel obsequente (unde æstimabilior est favor per equitem illustrem, quam per plebeium, & per Regem præstitus,

quam per equitem, ita ut per plebeium humilis, per equitem illustris, per Regem vero regius favor, aut gratia nuncupetur) ergo per personam infinitam & divinam exhibitus, infinitus & divinus saltim in esse moris computandus erit; sed talis est persona Christi, scilicet Divina, & infinita: ergo & ejus satisfactio.

¶ Prob. 6. à paritate: nam sicut offensa est in offenso, ita honor in subjecto honorante; sed ex hoc, quod offensa est, & recipitur in persona infinita injuriata, sumit ab ea infinitatem: ergo ex hoc, quod honor, seu satisfactio sint in persona honorante infinita, infinitum esse honorem, & satisfactionem infinitam licebit & inferre.

ARGUMENTA CONTRA PRIMAM HANC conclusionem.

51 **O** BS. 1. Si satisfactio Christi esset infinita quodlibet ejus opus esset infinitum: quia non esset ratio, quare omnia constituerent infinitatem, & non quodlibet eorum, cum unumquodque ab infinita condignificaretur persona; sed hoc nequit dici; quia infinitum multiplicari, vel augeri non potest: Unde Deus qui infinitus est, non admittit alium Deum, & quia Angelus in sua specie quodammodo infinitus est, non admittit alium in illa: ergo si unum opus Christi esset infinitum, aliud, nec alia non essent infinita.

Resp. dist. maj. quodlibet opus esset infinitum in linea morali, conc; in

in linea physica , nego maj. & min. & dist. imbibitam : infinitum multiplicari , vel augeri non potest , si tale est omnibus modis sua linea , conc; si aliquo solummodo , nego imbibitam , cuius exempla Dei , & Angeli pro nobis potius , quam pro argente militant . Est dicere , quod adhuc dato , & non concesso , quod in linea physica non possit infinitum multiplicari , multiplicabile est in linea moris : quia haec sumitur non a principiis intrinsecis rei physicis , sed a prudenti hominum judicio , quod conferens illam cum principio infinito a quo est , reputat illam infinitam per efficientiam ab illo , sicut offendam infinitam per receptionem in illo : & cum haec collatio (vel dicatur connotatio) aequa sit in uno , ac in omnibus operibus Christi , hinc est in omnibus illis admittendam esse infinitatem .

52. Diximus , dato , & non concesso : quia revera etiam in linea physica , dummodo non sit omnibus modis infinita , multiplicatio infinitatis admetti potest , ut expressè docet D. Thom. 3. p. q. 10. art. 3. ad 3. ubi haec duo appositi offert exempla convincentia : primum in corpore ; si daretur infinitum penes omnes modos dimensionum , hoc est , longitudinem , latitudinem , & profunditatem , quo in casu aliud corpus infinitum non esset , nec posset : quia omnia loca primum occuparet , esset enim omnibus modis dimensionatum . Si autem esset tantum (quod est secundum) infinitum secundum unicam dimensionem , ut (singamus) superficie longæ in in-

finitum , & unius palmi in latitudine , posset quidem tunc infinitas multiplicari : quia si latitudo ejus in mille truncaretur lineas , totidem & mille darentur infinitates . Cum ergo quodlibet opus Christi non sit omnibus modis infinitum , sed in sua quodlibet linea , v. g. actus obedientiae cum respectu ad suam virtutem , & non ad omnem lineam moralem amplectentem virtutes omnes : hinc est , quod non sit inconveniens multiplicari infinitatem pro multiplicatione virtutum specificè distinctam , sed & numericè diversam pro multiplicatione actuum numero distinctorum ; Quia verò Deus omnibus modis , & in omni linea infinitus est , nullo modo possunt esse plures : nec similiter Angeli in sua specie , quia in illa possident omnes modos perfectionis , qui in illa possunt esse .

53. Obs. 2. Ex nostra conclusione sequitur , quod operatio ejusdem intentionis , & speciei per respectum ad digniorem , & sanctiorem personam , majorem contrahat dignitatem , & valorem ; sed hoc est contra N. Salm. tr. de merito disp. 4. dub. 5. ergo non est admittendum . Dist. maj. loquendo de persona divina , conc: de creata , subdist. si operatur haec quantum valet , conc: aliter , nego maj. & dist. min. Est contra N. Salm. loquentes de persona creata , conc: de divina , neg. min. & conseq. Est dicere , quod persona creata dignior , & sanctior , si operatur actum ejusdem intentionis , & non amplioris , quam alia minus sancta , non condignificat operationem ; quia cum possit operari ,

& ut intensius gratia operatrice, operatur remissius, ea utendo prout vult, & in hoc deprimitur persona, & non potest operationem dignificare, nisi secundum quod operatur, & sic quasi coequatur alteri personæ minus sanctæ; hoc autem non habet locum in persona divina, quæ numquam usq; est gratia Christi ad operandum in minori gradu, quam quem ipsa habet.

54 Obs. 3. Christus satisfecit media Humanitate, quæ finita est, cuique finito communicatur modo: ergo operatio finita etiam erit, ut patet quando Deus, & creatura simultaneè concurrunt ad aliquem effectum producendum, qui non infinitus sicut Deus, sed finitus evadit sicut creatura: ergo. Resp. dist. conseq. Operatio finita erit in esse physico, conc: in esse moris, nego conseq. Licet Verbum divinum uniatur finitè in esse physico; moraliter verò unitur, & communicatur infinitè: quia hæc infinitas non à predictis unionis physicis sumitur, sed à Persona divina, quæ in prudentum estimatione illam infinitè elevat, & decorat. Sed replicabis, &

55 Obs. 4. Finis & objectum, quamvis infinite gaudeant, non communicant actui, quem terminant, infinitatem, ut patet in omnibus actibus supernaturalibus in Deum per charitatem directis: ergo nec Persona infinita, à quo producitur actus. Nego conseq. & paritatem, propter maximam, & intrinsecam conjunctionem, & intimitatem inter principium, & actum Christi; & solummodo extrinsecam connexionem ac-

tus puræ creaturæ cum objecto & fine ejus.

56 Obs. 5. Visio beata non est infinita, licet ab essentia divina per modum speciei eliciatur: ergo nec satisfactio Christi, licet à Persona divina efficiatur. Nega conseq. cum paritate: nam modus concurrendi essentiæ divinæ est intelligibilis per modum objecti, & idè oppidò tenuis respectu naturalis, ut ipsa nec Deus denominetur videns in visione creata; sed verò concursus Personæ divinæ cum humanitate est naturalis, & ita fortis, ut denominet divinam Personam simpliciter operantem, imò & patientem, & satisfacentem.

57 Obs. 6. Sequi ex conclusione eundem numero effectum à duplice dependere posse causa totali, cum remissio cuiuslibet offendæ in quolibet Christi opere contineatur adæquatè, & ut minus divisim posse ab illis totaliter produci: quia quodlibet habet virtutem satisfaciendi adæquatam, quod à nostris reprobatur Complutensibus in Phil. disp. 15. q. 4. ergo ruit conclusio. Resp. 1. quod non eodem modo philosophandum nobis est de causis physicis, ac de moralibus. Pro physicis probatum est in tr. de causis in libris Physicorum, impossibile esse eundem effectum à duplice produci causa simul: nec seorsim. Cùm verò causæ morales non ex natura sua influant, sed ex motione, impositione, vel directione hominum operentur, ubique hæc inveniatur impositio, (& vel in pluribus sit) totidem totales causas constituit, ut patet in numismate aureo, vel argenteo, quod quia

quia non ex se, sed ex hominum impositione tantum valet, de materiali est, quod hæc moneta, vel alia detur, ut alicui debitum solvatur, dummodo sive aurea, sive argentea, ærosavè sit, tandem unaquæque valoretur ab hominibus ut debito coæquetur. Sic in præsenti, cum satisfactio Christi sit causa moralis, demateriali est quod hoc opus Christi, vel illud offeratur, cum omnia ejusdem sint valoris non ab extrinseca ordinatione, sed à Persona divina connotata.

Secundò potest dici, quod valor infinitus Christi idem est numero in omnibus ejus operibus, de materiali se habentibus hac materia, hac actione, vel hoc opere in quibus sit, sicut species naturæ humanæ pro formalí eandem naturam humānam continent, & repræsentat, sive sit in intellectu Petri, sive in Pauli. Sic ergo valor satisfactionis Christi, qui in omnibus est unus, atque ideo una est causa: ergo non plures, in quo vis fundabatur argumenti.

SECUNDA CONCLUSIO.

58 **S**atisfactio Christi nedum est infinita, sed & sufficiens, & superabundans pro debito solvendo, atque contracto ex infinita, & infinitis offendis contra Deum. Hanc tenet sententiam D. Thom. 3. p. q. 49. art. 3. & q. 58. art. 5. & 69. art. 2. eum sequuntur omnes communiter Theologi. Prob. 1. auctoritatibus suprà n. 49. laudatis, quæ pro hac etiam assertione veniunt appositè applicandas. Prob. 2. ratione;

nam ille sufficienter, & ultra debitum satisfacit, qui offert personæ offendæ id in quo plus complacet sibi, quam in offensa sibi displacebat; sed in operibus Christi plus sibi complacet Deus, eaque Deus plus diligit, quam in offendis nostris displacebit, easque odit: ergo sufficienter satisfaciunt, & abundè. Min. prob. nam satisfactio est à Christo Dño. qui physicè, & non solum moraliter, est Deus simul & Homo; offensa vero solum moraliter est privatio ultimi finis in Deo; sed plus sunt Deus & Homo physicè sumptu in linea boni, quam privatio moralis Dei in esse mali: ergo plus, &c.

59 Prob. 3. Peccatum Adami sufficiens fuit ad inficiendum omnes homines, etiam qui non sunt, sed possunt esse: ergo gratia etiam Christi sufficiens erit pro omnibus, qui sunt, & possunt esse, hominibus infectis satisfacere. Ant. est indubium, & consequentia constat: quia non minor fuit Christus in redimendo animas, quam eas Adam in perimendo: in cujus fidem dixit Apost. ad Rom. 5. Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Quid expresius? ergo tenet consequentia.

ARGUMENTA CONTRA HANC SECUNDAM conclusionem.

60 **O**bs. 1. Data æquali satisfactione, injustè petit creditor maiorem; sed præter Christi Domini satisfactionem, adhuc à nobis

bis exigitur, ut cooperemur media penitentia pro pena saltim temporali, ut docet Trident. sess. 6. cap. 14. & colligitur ex Apost. ad Ephes. 1. ibi: *Adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi:* ergo satisfactio Christi per se solam insufficiens est. Resp. dist. maj. data satisfactione æquali tam quoad sufficientiam, quam quoad efficaciam, conc: præcisè quoad sufficientiam, nego maj. & concessa min. nego conseq. Satisfactione Christi sufficiens quidem est, uti patet in adulto recipiente Baptismum, cui nedum culpa, verum & tota pena etiam temporalis remittitur; sed vero non sic semper efficaciter applicatur, tum, ut vel ex parte penitentis aliqua delinquisse præstetur recognitio; tum, quia, si personaliter peccavit, personaliter etiam aliquam satisfactionem det, opportet. Tum demum, quia, ut inquit D. Thom. 3. p. q. 49. art. 1. ad 4. Christus Dominus concurredit ut causa universalis ad nostram satisfactionem, quæ proinde concursum nostrum exigit particularem.

61 Obs. 2. Ante Christi adventum plures fuere offensæ remissæ: ergo pro illis, & consequenter pro omnibus Christus non satisfecit. Hoc nihil probat argumentum: quia dato quod tales offensæ adæquatè fuerint remissæ, non tollit hoc à Christi satisfactione virtutem, & valorem ad satisfaciendum, si opus esset pro eis. Resp. vero tales offensas antiquorum remissas fuisse dependenter à futura Christi solutione; sicut si Rex remitteret aliquam sibi illatam offensam ex prævisione solutionis per alium exhibendæ.

62 Obs. 3. Christus oravit, ut Pater Deus nobis parceret: *Dimitte eis, non enim sicut quod faciunt* (Lucæ 23.) sed hæc in casum fieret oratio, si opera vel ejus passio sufficerent: ergo signum est insufficientia. Probat nimis, & ideò nihil, scilicet, quod nec nostra oratio, vel dispositio opus sit, ut nobis dimittatur. Deinde Resp. 1. quod & ipsa oratio fuit unum ex operibus, vel actionibus Christi, quo pro nobis satisfecit. Secund. dic, quod oratio potuit fieri, ut opera, quæ verè sufficiebant, efficaciter operarentur apud Deum, & applicarentur effectivè propter hominem.

63 Obs. 4. Si tantudem Christus satisfaceret, quantum homo cœpax est peccandi, tantum etiam Christus mereretur, quantum peccator est capax demerendi; sed hoc non. Prob. hæc min. peccator per offensam Dei demeretur Incarnationem Christi; sed Christus non meruit, nec potuit illam mereri: ergo non tantum hic meretur, quantum homo demeretur. Resp. concessa maj. neg. min. cuius probationis maj. dist. demeretur peccator Incarnationem, remotivè, conc: positivè, subd. positivè ad æqualitatem, nego; inæqualiter, conc. maj. & dist. min. Christus non potuit mereri Incarnationem ex insufficientia meriti, nego; ex impossibilitate principii, conc. min. & nego conseq. Est dicere, quod peccator per offensas Dei removetur quidem à gratiosa tanti beneficij elargitione; attamen positivè non ita delinquit, ut misericordia divina infinitatem erga eum posse fit

fit evincere , vel impedire ejus affectionem erga nos : quia licet offensa sit infinita ; at bonitas , & misericordia divinæ sunt infinitæ superioris ordinis. Quod autem Christus non possit mereri sui Incarnationem , non ex operationum oritur insufficientia , sed ex hoc , quod Incarnatio ipsa deberet esse principium tanti meritii : & principium meriti sub merito non cadit , ut suo in loco dicemus in tr. de merito .

64 Obs. 5. Satisfactio Christi solùm extrinsecè Deum afficit , offensa verò & intrinsecè : ergo non tantumdem reddit Christus Redemptor , quantum homo abstulit peccator. Concesso ant. dist. conseq. non tantum formaliter , transeat , æquivalenter , nego conseq. Licet in debitiis pecuniariorum id exigat perfecta solutio , ut in eo consistat res reddita , in quo fuit ablata ; in debitiis tamen honorariis , sat est , si creditori præstetur æquale obsequium , qualique æquè sit contentus creditor , ac per injuriam fuit offensus : quod & sit in Incarnatione cum hac differentia , quod ablato honoris infiniti fuit solùm moralis , oblatio verò obsequii per Christum physica , & realis : ergo non solùm æquivalet , sed vel excedit oblatio ablationem.

65 Obs. 6. Christus satisfecit ut homo , Deus verò offensus fuit ut Deus : ergo nec fuit æqualis debitor creditori , nec satisfactio reddita pro re debita. Dist. ant. satisfecit ut homo quoad substratum , hoc est , entitatem satisfactionis , conc; quoad concretum , hoc est satisfac-

tionem valoratam , nego ant. & conseq. Verum est , quod Christus ut homo operatus , & passus est : passus verò & operatus est , ut condecoratus per Personam , quæ infinita in valorando est , ita ut non homo purus , vel purè ut homo satisficerit , sed persona divina ut humanata , Personis tribus , ut Divinis , debitum persolveret. *Humanata* inquam , relativè ad entitatem operationum : Divina verò quantum ad valorem , quem ab ipsa humanæ Christi actiones receperunt.

66 Obs. 7. Majus est debitum ex justitia propter offensam , quam debitum ex gratitudine propter beneficia ; sed Christus non æquè grates retulit pro collatis sibi gratiis : ergo nec satisfactionem plenè reddidit pro offensis Deo illatis. Major videtur certa , minor probatur: Tum quia ipsa gratiarum actio est novum beneficium : unde in ipsa solutione amplius Christus oneratus est: Tum quia Deo , Parentibus , & Magistris debitum solvere nemo potest juxta Arist. 8. Ethic. c. 19. ergo vera est minor. Resp. dist. maj. majus est debitum ex justitia quantum ad obligationem solvendi , conc; quantum ad materiam solutionis , nego majorem : quia ad satisfactionem ex gratitudine plusquam acceptum est , reddi opus est , inquit D. Th. 2. 2. q. 106. art. 6. Ad satisfactionem verò ex justitia sat est si tantundem ac recipitur , reddatur : est autem differentia inter justitiam , & gratitudinem , quod justitia plus urget , sed non plus petit ; gratitudo verò plus petit , & minus urget.

Nec

Nec verum est, quod Christus non plenè grates retulit, quia plus sese oneravit: sub diversa enim consideratione accepit, ac retulit: recepit quidem ut homo, satisfecit vero ut Deus, & totum, imò plus potest Deus satisfacere, quam homo recipere. Dictum autem Philosophi de personis est creatis, in quibus deest diversitas hæc & redendi, & recipiendi.

TERTIA CONCLUSIO.

67 **P**redicta sufficientia, superabundantia, & infinita vis satisfaciendi non advenit operibus Christi extrinsecè à voluntate, vel acceptatione divina, ut volunt Scotistar, nec à Persona divina, ea extrinsecè denominante, ut vult Suarius, nec ab aliquo modo, vel relatione superaddita, ut intendit Arauxo, nec ab ipsa Persona divina communicata per modum formæ moralis, ut sentiunt Godoy, Gonet, & alii; sed ipsis inest operationibus, connotando Personam divinam, à qua phisicè procedunt, quo pacto infinitè valorantur. Prob. concl. per partes, & i. quoad primam: Tum, quia in laudata Clem. n. 49. dicitur, quod unica gutta Sanguinis sufficiens fuit ad reparandum genus humanum propter unionem Humanitatis ad Verbum; sed hæc unio fuit intrinseca: ergo valor non venit ab extrinseco. Tum, quia hæc sententia oppidò deprimit excellentiam, & necessitatem Incarnationis, cùm per extrinsecam acceptationem, etiam pura creatura potuerit satisfacere,

imò sine ulla redemptrice creatura posset Deus movere peccatorem ad contritionem perfectam, per quam, si acceptaretur, Deo fieret satis. ¶ Et quid mirabilius haberemus in sacrificio Crucis pro satisfactione, si sufficeret extrinseca acceptatio, supra antiquæ Legis sacrificia, cum & hæc, si acceptarentur, possent adæquatè satisfacere? ergo non sat est extrinseca acceptatio.

68 Prob. concl. quoad secundam partem: quia si valor satisfactionis confisteret in denomiuatione extrinseca proveniente à divina Persona, non magis Humanitas Christi quam ejus vestes, quæ extrinsecæ sunt ipsis, & ipsis divina Persona, conducerent ad valorandam Christi satisfactionem; hoc non admittitur: ergo nec primum. ¶ Probr. quoad tertiam partem: nam ille modus, & relatio quæ valorat opera, habere debet hanc virtutem infinitam à Persona, à qua procedit, infinita; sed æquè ac talis modus, ipsa etiam opera à Persona procedunt infinita: ergo superfluit talis modus, vel relatio. ¶ Quoad 4. prob: satisfactio Christi est libera, & vitalis, quia & meritoria; si autem Persona divina esset forma moralis valorans, vitalis non esset satisfactio quoad valorem: quia talis forma supponeret actiones Christi vitaliter elicitas, & supervenientes ipsis, in tota sua vitalitate constitutis: ergo repugnat talis forma.

¶ Ex quibus sequitur satisfactionem confistere in ipsis operationibus modo dicto. Tum, quia non consistit in quatuor iam enumeratis

ergo

ergo in quinto à nobis præelecto, vel assignetur alius. Tum , nam per id condignificantur operationes Christi per quod denominantur intrinsecè Theandrica , seu Dei viriles ; sed per hoc quod connotent Personam divinam tamquam principium intrinsecum à quo procedunt, sic denominantur : ergo sic & valrantur. Argumenta ommittimus contra.hanc tertiam conclusionem : quia ex dictis potest congruenter quilibet illis obviam ire.

DUBIUM V.

AN SATISFACTIO CHRISTI SIT EX
toto rigore justitia?

69

Quartuor desiderantur conditiones ad satisfactio-
nem ex toto rigore
justitiae retribuendam , adhuc sup-
posita æqualitate ex parte materiæ
redditiæ cum re debita. 1. est quòd
fiat per bona propria debitoris : nam
si sunt propria creditoris , vel aliena,
nec illa potest debitor offerre,
nec istis licet uti. 2. quòd non fiat per
bona creditori ex aliis debita titu-
lis : nam si debita , reputantur pro-
pria creditoris. 3. quòd fiat ad alterum : nam ejusdem ad se ipsum non
est satisfactio. 4. quòd creditor te-
neatur acceptare illam ex justitia.

CONCLUSIO PRIMA.

70 **S**atisfactio Christi habuit
conditiones rigorosæ jus-
titiae. Hanc tenent sententiam om-
nes Thomistæ. Prob. hac unica ra-

tione : nam Christo Domino tri-
buendum est quod plus consonat
Scripturæ , & SS. PP. plus exaltat
ejus dignitatem sine præjudicio suæ
divinitatis , neque oppositione cum
fine redemptionis ; atqui hoc verifi-
catur in satisfactione ex rigore juf-
titiae : ergo tribuenda est ei. Prob.
min. quoad primam partem ex illo
1. ad Chorint. *Christus factus est no-
bis justitia :* & ex Basil. de Seleu.
Orat. 2. de Incarn. ubi ait : *Per
Christum omnem justitiam rationem exple-
tan fuisse.* Quoad secundam patet:
quia si satisfacere utcumque quod
debetur , bonum , & honorificum est,
satisfacere cum toto rigore plus ho-
noris conciliabit debitori ? Nec cre-
ditorem Deum hoc dedecet , cum &
sic plus ostendatur ejus nobis boni-
tas , & amor , qui tantum nobis con-
tulit beneficium , ut dicatur : Chris-
ti copiosa apud eum redemptio , &
nostræ integra , & adæquata solutio:
undè sequitur quod non obest , quin
potius prodest fini redemptionis nos-
træ hæc rigorosa satisfactio : ergo
tenebitur illam ex justitia Deus ac-
ceptare , quæ est conditio quarta:
ergo vera est nostra conclusio.

ARGUMENTA CONTRA I. CON-
clusionem.

71 **S**ententiam tenent contra-
riam Vazq. Lugo , &
alii : pro quibus obs. 1. Satisfactio
debet esse ex bonis propriis ; sed
Christus non sic satisfecit : nam ejus
actiones satisfactoriæ sunt creatæ,
caduntque sub pleno Dei dominio:
ergo non sunt propriæ. Resp. 1.
conc.

conc. maj. & neg. minorem, cuius imbibitam dist. probationem: sunt creatæ secundum entitatem ab humanitate procedentem, conc; secundum valorem à Divinitate descendenter, subd. sunt physicè creatæ, conc; moraliter, nego imbib. & conseq. Vel (melius fortè) dist. imbibitam eandem: sunt creatæ activè sumptæ, conc; passivè acceptæ, nego illam. Est dicere, quod actiones Christi, ut activè sunt offerentes, quid creatum sunt; id autem quod offerunt, Personam scilicet divinam humanatam, quid divinum, increatum, & extra dominium Creatoris est. Sed dices, &

72 Obs. 2. Christus, inquiero, oblatus est ratione naturæ divinæ, vel humanæ? Si primum: ergo sub eadem est ratione creditor, & debitor. Si secundum: ergo res oblata est sub dominio creditoris: ergo nihil sui dabit creditori debitor. Resp. eligendo primam dilemmatis partem, & neg. conseq. quia tali in casu Christus ratione naturæ divinæ, ut communis tribus Personis, esset creditor, ut verò unitæ, & communicatæ humanitati esset debitor: & en tibi Christum sub diversa ratione, tum debitorem, tum & credidorem, imò sibi creditori debitorem. ¶ Dices: ergo Christus non offert rem ipsius propriam: cùm ipse modo dicto sit ipsa res oblata. Dist. conseq. non offert rem propriam per possessionem, conc; per identitatem, nego conseq. Et quidem quid proprius sibi, quām sibi met ipse? Nec quæ inter loquendum adhuc inter nos frequentior

frasim isthac? Offero me tibi, totum me tibi do &c. Cum tamen ego non sim mei per possessionem, sed per identitatem? Ergo pariter in præsenti.

73 Obs. 3. Satisfactio Christi fundatur in gratia Dei; si autem gratia (inquit Ap. ad Rom. 11.) jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia: ergo non erit justitia. Ant. prob. nam fundata est in gratia unionis, & auxiliis ad operandum: ergo tenet ant. Resp. dist. ant. fundatur in gratia, quæ sit talis respectu Verbi, nego: respectu Humanitatis, conc. ant. & nego conseq. Est dicere, quod ut aliquid sit vere gratia, non sat est, quod fiat principio quo, ut in præsenti sit humanitati, sed & principio quod, quod non verificatur in nostro casu: nam hoc est Persona divina, cui nulla potest communicari gratia, cùm sit eminentissimè omnis gratia, atque perfectio.

74 Obs. 4. Opera Christi fuerunt Deo debita ex aliis, quām ex satisfactione nostra, titulis, ut puta Creatoris, Benefactoris, Supremi Domini &c. ergo deest illis secunda conditio ad rigurosam justitiam assignata. Resp. dist. ant. debita ex parte humanitatis, conc; ex parte Personæ illam terminantis, nego ant. & conseq. Satisfaciens principale, & ut quod est Verbum divinum infinitè valorans operationes Christi: & sicut incapax est recipiendi aliquod donum à Deo, ita & operandi in recognitionem, vel gratitudinem illius, non sic humanitas.

75 Obs. 5. Ejusdem ad se ipsum

sum non datur justitia, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 58. ibi: *Justitia propriæ dicta requirit diversitatem suppositorum*; sed hæc diversa non sunt inter Verbum satisfaciens, & ipsum creditorem: ergo deest tertia pro vera justitia conditio designata. Resp. 1. diversitatem sufficientem inter debitorem, creditoremque assignatam esse suprà n. 72. ibi vide. Secundò resp. dist. maj. ejusdem ad se ipsum omnino eundem, conc; ad se ipsum eminentialiter, vel repræsentativè plures, nego maj. & min. sub dist. data cum conseq. Regulatius justitia alietatem petit suppositorum, non tamen essentialiter, ut patet in tutori, qui unus licet sit, cum tamen repræsentet Pupillum, est duplex ob alterius repræsentationem; quam ob causam potest ipse ut Tutor solvere sibi aliquid ut creditori. Hoc quod etiam est videre in persona unica ad duas pertinente Societas, & tunc quidem ratione unius creditor sui erit ut ad aliam pertinentis, & consequenter erit æquivalenter duo, licet formaliter sit unus. Quod clarius pateret, si Verbum duas humanitates terminaret, quo in casu unum esset formaliter suppositum, æquivalenter vero duo, & ratione unius naturæ posset solvere sibi ut aliam naturam terminanti. Sic ergo in præsenti, unum est suppositum formaliter, sed multiplex eminentialiter, ita ut terminans naturam humanam, satisfaciat sibi ut Divinam terminanti.

SECUNDA CONCLUSIO.

76 **S**atisfactio Christi non potuit obligare Deum ex justitia, si pactum deficeret formale, vel virtuale, quo ipse se ad acceptan dum obligaret: sic frequenter Thomistæ contra Godoy, Gonet, & alios. Ratio 1. quia licet satisfactio sit sufficiens, & superexcedens ex parte materiæ, nequit fundare jus contra alium, nisi iste vel recipiat aliquid, vel pactum ineat se obligandi; sed Deus nihil recepit per satisfactionem Christi: ergo saltim pactum, ut se obliget, requiritur. Ratio 2. quia si Petrus sine pacto laboraret in vinea aliena, poneret quidem aliquid cum salario solito æquale; & tamen herus, præcisivè à conventione, non teneretur hunc acceptare laborem, neque solvere: potiori ergo ratione Deus, qui nihil recipit à Christo, & alias pactum etiam desuit.

Ratio 3. quia Christus nequit ad remissionem obligare, nisi prius caput morale nostrum constituatur: (satisfactio enim debet esse ab ipso offendente, vel ab operante nomine illius. Ut autem sic operetur Christus, debet esse caput morale nostrum) sicut ut omnes peccaremus in Adam, debuit iste constitui caput nostrum; sed hoc non potuit esse sine pacto. Prob. hæc minor: tum, quia Christus secundum se nullam connexionem dicit cum ratione capitii. Tum, quia ut esset caput, deberet continere moraliter omnes voluntates hominum, ut patet in Adamo, & hoc sine supremi Domini

mini ordinatione fieri nequivit : ergo nec sine pacto.

ARGUMENTA CONTRA II. CONCLUSIONEM.

77 Obs. 1. Si Petrus debet centum Joanni, & huic Paulus totidem reddat pro solutione debiti, Joannes contentus debet esse etiam sine pacto acceptationis. Similiter si Petrus deturpavit Joannis famam, & Paulus illam adæquatè integraret, satisfit integrè Joanni, sine ullo pacto : ergo similiter in nostro casu. Resp. neg. conseq. & paritatem : quia bona fortunæ, & famæ non exigunt restitui personaliter, sicut nec coram persona Domini auferri, ideo restituta etiam per alium satisfaciunt Domino ; non sic bonum honoris, quod coram Dño, eoque invito aufertur cum ipsius contumelia, quam committit quilibet in Deum peccans, juxta illud David: *Et malum coram te feci*; & ideo in persona debet satisfacere, nisi injuriatus cedat juri suo, vel alterius sit contentus solutione ex pacto initio cum illo.

78 Obs. 2. Satisfactio ex justitia urget creditorem, velit nolit, ut acceptet : ergo Christi satisfactio vel non est rigurosa, vel urget Deum ut acceptet illam : si ergo est urgens, non est à pacto libero dependens. Resp. quod compatitur optimè urgenter in Deo cum pacto libero : imò hoc ipso quod liberè paciscatur aliquid operandum, tenetur ad illud, ne sua libertas frustranea, & fallibilis dicatur, exequendum ; hoc au-

tem non dedecet Deum : quia non est per creaturam cogi, sed per se, qui se ipsum liberè coagit. Nec ex hoc infertur, quod Deus, velit nolit, acceptabit : nam si semel pactus fuit, verè volet, sed non coactus, sed liberè, à se ipso determinatus : vel si coactus, non ab allio quam à sua irrevocabili voluntate compulsus. Quandò autem justitia dicitur cogere, velit nolit, debitorem, non intenditur, quod essentialiter id exigat : nam sàpè adhuc homines operantur ex justitia & volentes, quod si aliquando & nolentes, vel cum aliqua violentia, hoc est per accidens, & ex illorum iusta oritur voluntate, qui justa, & iusta agere recusant, quod in Deo iustissimo locum non invenit.

¶ Ex quo tandem sequitur, quod si loquamur de justitia in toto rigore, & omnibus modis simpliciter tali, hoc est tam in actu primo, seu ex parte materiae, & assignatarum conditionum, quam in actu secundo, seu ex parte modi satisfaciendi personaliter, sic justitia Christi aliquantulum deficit à satisfactione rigurosa : deficit enim ipsi dari personaliter, sed suplet pactum Dei liberum, quod opus non esset, si creatura peccans capax esset dandi satisfactionem infinitam, & per sua opera oblata personaliter. Parificatur hæc doctrina exemplo meriti decondigno, de quo inquit N. Paulus & nos cum eo dicemus, disp. 2. de merito dub. 1. esse tale, ut fundet jus ad præmium ex justitia simpliciter tali, à qua tamen aliquando descendit ad pactum Dei li-

berum illud conferendi propter merita , sine quo pacto illud conferre non teneretur ex iustitia. Pro quo vide etiam N. Paul. hic n. 145. in fine.

DUBIUM VI.

AN CHRISTI SATISFACTIO EIUSDEM
sit speciei ac nostra?

79 **I**ustitia sic communiter definitur : *Constans* , & *perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*. Est triplex , Legalis scilicet , Distributiva , & Commutativa. Legalis est *habitus inclinans ad sanctiones* , & *leges in suo robore servandas* , quæ ideo reperitur in Deo principaliter , & architectonicè ut in Principe , & Legislatore , non vero ut in nobis , qui ab alio latas leges recipimus , & observamus. Sic D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 6. Distributiva est *habitus inclinans ad distributionem premiorum* , *pro qualitate meritorum*. Nec hanc suo modo dedecet Deum habere virtutem. Commutativa sic à D. Th. loc. cit. definitur : *Facultas qua redditur unicuique res propria secundum equalitatem rei redditæ ad rem debitam in commutationibus*. De hac dubitamus an quæ in Christo ut Redemptore , cum ea , quæ in nobis est , sit ejusdem speciei?

80 Supponimus hanc dari iustitiam in Christo , esseque virtutem specialem à reliquis distinctam , ita ut licet omnes ejus virtutes pro nobis satisfaciant , omnes tamen ut imperatæ , & directæ per virtutem commutativæ iustitiæ ad hunc finem destinatam solvendi nostra debita ;

Toma II.

haud secùs quam omnes nostræ virtutes satisfactoriae sunt , & tamen datur virtus specialis , scilicet pœnitentia , per quam omnes aliæ , in quantum sic ordinatæ per pœnitentiam , satisfaciunt.

¶ Sed dices 1. Ad meritum Christi non requiritur specialis virtus , sed per ipsas meruit virtutes , quibus operatus fuit , & idem fit in nobis : ergo nec ad satisfaciendum. Dices 2. offensa non procedit à vicio speciali , sed à defectu contra quamlibet virtutem : ergo nec satisfactio à virtute speciali. Resp. ad primum , quod mereri super exercitium aliarum virtutum , v.g. obediens , & castitatem servare , nullam addit difficultatem , ut per se patet ; satisfacere vero petit actum formalem , vel virtualem ordinantem obedientiam , v.g. & castitatem ad satisfaciendum , qui actus ortum dicit à dolore , qui sèpè difficulter habetur. Ad secundum resp. negando itidem paritatem : quia offensa est ratio generica in omni peccato reperta ; non sic satisfactio in omni virtute , nisi accidentaliter ei superaddatur intentio aliqualis in satisfactionem eas ordinans.

CONCLUSIO

81 **N**ostra est affirmativa , quam tenent N. Salm. in præsenti cum aliis contra Illust. Godoy , Gonet , à S. Thom. & alios. Prob. 1. In Christo danda est iustitia commutativa tum naturalis , tum supernaturalis , sicut & omnes aliæ virtutes , quæ suæ non refragant-

C gan-

gantur dignitati, ut constat ex Psal. 68. *Qua non rapui, tunc exolvebam.* Et 1. ad Corinth. 6. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti es sis.* Et Psalm. 88. *Exprobaverunt commutationem Christi tui,* id est justitiam commutativam Christi. Unde & potuit hic cum hominibus contractus ini re, & conventiones: ergo potuit per tales justitiam sua opera ordinare in juris læsi divini satisfactionem; sed alias æquabant illud in infinite, ut pro nunc supponimus: ergo & reddebat Deo secundum æqualitatem rei redditæ ad rem debitam. Nunc sic; sed hoc & non minus facit, licet in materia limitata, justitia nostra commutativa: ergo sunt ejusdem speciei.

82 Prob. 2. Ideò non esset utraque ejusdem speciei: quia reparatio juris divini nequit specificè cum juris humani reparatione convenire; sed hoc nihil est. Prob. hæc min: Deus enim, & creatura convenient in aliqua ratione intellectum, vel voluntatem utriusque specificante, ut puta in ente, & bono: convenient etiam in specificando Methaphysicam, & scientiam infusam supernaturalem nostram: ergo quid mirum quod reparatio juris divini, & humani specificent eundem specie habitum justitiae?

¶ Prob. 3. Quia objectum formale justitiae commutativæ, prout abstractum à læsione infinita, vel finita, est æqualitas arithmeticæ inter debitum, & solutionem; sed hæc æqualitas solvendi æquè servatur in Christo, quam in nobis, & est de materiali, quod solutio sit parva, sit-

vè magna, sit infinita, vel finita: (nam magnum, & parvum, multum, vel parum non variant speciem): ergo nec finitas, vel infinite satisfactionis hanc variat specificè. Explicatur hoc in obedientia Christi, qua obedivit Deo, qua non est specificè distincta ab illa, qua hominibus se subdidit, nec in nobis est diversa specificè obedientia infusa respectu Dei, & hominum: ergo nec satisfactionis Christi à nostra.

ARGUMENTA OPPOSITA.

83 O Bl. 1. Justitia nostra commutativa versatur inter datum & acceptum, & consequenter in materia utili creditori; non sic Christi pro nobis satisfaction: quia nihil utilitatis affert Deo creditori, ut constat ex illo Job 35. *Si justè egeris, quid donabis ei? Aut quid de manu tua accipiet?* Et ex illo ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ergo non est ejusdem speciei utraque justitia Christi, & nostra. Ad Argum. resp. dist. illustrationem majoris: in materia utili physicè præcissè, nego: utili physicè, vel moraliter, subd. moraliter intrinsecè, nego; extrinsecè, conc. illationem, nego min. & imbibitam ex Scriptura probationem sub distincta data cum conseq. Non inficiamur utilitatem physicam in creditore ex justitia commutativa commerciali, ut experientia in venditione, & emptione nobis monstrat; at in justitia commutativa in materia honoris restituendi, de qua in præsenti, sufficit

cit retributio materiae æqualis cum honore amissio, & quod ex hac retributione aliquis honor saltim extrinsicus moralis, & affectivus resulitet in offenso, quem concedimus satisfactioni Christi, sed & nostræ non negamus, dum homo homini honorem reponit ablatum: ergo sunt ejusdem speciei.

84 Obs. 2. Justitia nostra commutativa versatur inter æquales: qua propter D. Thom. & Arist. pluribus in locis repetunt eam non dari inter Patrem & Filium, Dominum & servum, Deum & homines; sed hæc æqualitas in Christi justitia non servatur: est enim Christi ut hominis ad Deum, cui, inquit Apost. ad Phil. 2. *non rapinam arbitratus est* (Christus) *esse se æqualem*: ergo Christi satisfactio alterius est speciei: Et maximè, quia ipse non ad æqualitatem, sed excessivè satisfecit, quod de nostra justitia non recitat ejus definitio. Resp. ad argum. præmissa maiori, quæ negari posset, si generatim prout jacet intelligatur, negando min. quia Christus in tantum satisfecit, in quantum à Persona divina ejus opera valorata sunt. En ergo æqualitatem inter Personam divinam, licet humanatam, satisfacentem, & divinas tres Personas honorem amissum recuperantes. Aditamentum nihil obest: quia inæqualitas satisfactionis cum debito non præjudicat justitiam per excessum, sed per defectum.

85 Obs. 3. Si sufficit æqualitas ad ponendum in Christo justitiam ejusdem speciei cum nostra, daretur in nobis justitia commutati-

va erga Deum, quod negat D. Th. 2. 2. q. 57. art. 4. & 1. 2. q. 114. art. 1. ergo non est danda, Prob. sequela majoris in peccato veniali, cuius satisfactionis ad æqualitatem capax est homo retribuenda, ut docent communiter Theologi: ergo sequela est vera. Resp. ex N. Salm. tr. 13. disp. 4. à n. 9. & 16. quod sicut furtum (v. g.) leve non est actus injustitiae simpliciter, sed secundum quid, ita restitutio æqualis rei levis ablata non est actus justitiae commutativæ rigorosæ: quod idem proportionaliter intellige de satisfactione pro culpa levi Deo facta, quæ proinde non ab habitu justitiae, sed ab auxilio, vel si ab habitu, solum ut actus procedit secundarius.

86 Obs. 4. Ratio, sub qua attingunt justitia Christi, & nostra objectum suum, est specieè distincta: ergo & ipsæ. Ant. prob. ratio sub qua justitia est jus creditori restituendum; sed justitia Christi respicit jus divinum, & humana humatum, quæ infinitè distant: ergo distinguuntur. Resp. neg. ant. cum ejus probatione: nam in primis jus non est ratio quæ, nec sub qua; nam jus, vel est lex, vel actio quam habet subjectum, ut ipsi ablatum restituatur. De lege patens est, à ratione objectiva quanta sit distantia, actio verò quam subjectum habet, licet respiciat pro objecto rem ablatam restituendam, ipsa verò objectum minimè est, alijs auferretur post restitucionem; est ergo objectum, non jus, sed justum, quod ablatum, justè, hoc est, æqualiter restituen-

36 *Tract. VII. de Incarnatione. Disp. I. Dub. VI.*

dum est, v. g. honor. Quod autem hic honor infinitus, & divinus sit, vel humanus, & finitus, hoc de materiali est, & solum est ratio formalis, & sub qua æqualitas ex parte rei redditæ cum debita.

87 Obs. 5. Sequitur ex concl. quod si Christus (fingamus hypothesim) peccaret, non egeret virtute pœnitentiæ: haberet enim sine illa justitiam commutativam sufficien-tem, sicut nos habemus respectu rei ablatæ, & limitatæ. Consequens videtur absurdum: quia solum ex im-potentia peccandi, eam ei denega-mus: ergo signum est alterius spe-ciei in ejus, nostraque justitia. Dist. maj. non egeret virtute pœnitentiæ ex cap. satisfactionis, conc; ex cap. detestationis, & doloris culpæ à se commissæ, nego maj. min. sub dist. data, & conseq. Videſis D. Thom. 3. p. q. 85. passim per illam, ubi docet pœnitentiam nedum satisfa-cionem offensæ, verum & displicen-tiam, & retractionem culpæ po-nendam intendere, & conari, cum hac tamen à justitia commutativa dif-ferentia, quod hæc satisfactionem adæquatam, pœnitentia verò, quip-pèquæ solum pars est potentialis jus-titiæ commutatiæ, inadæquatam pertentat retribuere.

88 Obs. 6. Latria, qua Deum colimus, Dulia, qua Sanctos vene-rarum, Pietas, qua Parentes, & Observantia, qua Superiores obse-quimur, sunt specie distinctæ ex D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 3. ergo etiam justitia, qua Christus Deo pro nobis satisfecit, & justitia, qua ipse, & nos hominibus satisfacimus.

Concesso ant. (quod alii negant) nego conseq: nam justitia respicit formaliter æqualitatem in reddendo, nihil sistens in personas attendendo; (imò solet inspectio, seu acceptio personarum illam non nihil minue-re, vel corrumpere) virtus verò Religionis (& idem cum propor-tione dic de pietate, & observantia) meditato procedit cum respectu ad personas pro dignitate majori, vel minori venerandas, & ideo diffini-tur, quod est protestatio excellen-tiæ alicuius personæ pro illius dignitate; in definitione verò justitiæ commutatiæ non sonat persona cui, sed res quæ ad æqualitatem est sol-venda pro qualitate debiti contrac-ti, non verò pro dignitate credi-toris.

89 Obs. 7. Si in Christo datur justitia commutativa qualis nostra, tenebitur Deus ex justitia acceptare satisfa-cionem Christi, hæcque fundabit jus in Deum, quod Deum de-decet: ergo non est admittenda. Propter hoc argumentum instituimus sequens.

DUBIUM VII.

*AN DEUS EX JUSTITIA DEBEAT AC-
ceptare satisfactionem Christi pro
peccatis nostris?*

90 **L**Icet D. Thom. perpetuū de neget justitiæ debitum inter creatorem, & creaturam, Pa-trem, & Filium, Dominum, & ser-vum, adhuc tamen si pactum one-rosum inter eos intercedat, potest, & debet statui.

CON-

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

91 **I**ta ex Thomistis Godoy, Ferre, & alii, cum & aliis extraneis non infimæ notæ. Prob. 1. In Deo datur justitia vindicativa rigorosa; sed hæc est justitia commutativa, dicente D. Thom. per nostrum Paulum hic laud: *Punitio peccatorum, secundum quod perimet ad publicam justitiam, est actus justitia commutativa:* ergo ita est. ¶ Prob. 2. Ideo hæc non daretur justitia in Deo: quia debitum legale in ipsum inducit; sed hæc non est ratio. Minor hæc prob: In Deo datur justitia distributiva juxta omnes Thomistas etiam nobis in hac quæst. contrarios; sed hæc etiam infert in distributorem debitum legale juxta D. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. ubi docet, quod omnis justitia propriè talis, quæque est pars subjectiva justitiae (cujusmodi est distributiva) hoc inducit debitum legale ad differentiam illius, quæ tantum est pars potentialis, cujusmodi est pœnitentia: ergo non obstat tale debitum, ut in Deo etiam justitia commutativa danda sit.

OPPOSITA SENTENTIA.

92 **D**efenditur à Joan. de S. Thom. Gonet, & Carasco, qui pro illa refert aliquos antiquiores Thomistas, ut Cajet. Sotum, & alios, de quorum mente æquè ac de S. Thomæ dubium est. Obs. 1. ex D. Thom. c. 8. sup. Dionis. de Divinis nom. lect. 4. ubi admittit in Deo justitiam distributi-

vam, & addit hæc verba: *Commutativa enim justitia locum non habet in Deo.* Idem repetit in aliis locis: ergo ruit concl. Explico D. Thom. locum non habet in Deo justitia commutativa commercialis, conc; omnis, nego ant. & conseq. Quandò D. Thom. excludit à Deo justitiam commutativam semper, illam contrahit ad emptionem, & venditionem, vel alias conventiones, quæ Deum dedecent, pro quo vide ipsum 1. p. q. 21. art. 1. Si verò aliquandò id non exprimit, ad hunc sensum debet trahi, quem ut in plurimum in aliis lociis observamus.

93 Obs. 2. Si Deus ex justitia commutativa teneretur acceptare satisfactionem Christi, erit in hoc jus contra Deum, imò in omni creatura poterit admitti contra eum, si præcedat pactum; sed hoc infert in Deo imperfectiones dependentiæ, subordinationis, & inferioritatis: ergo admitti nequit. Hoc argumentum æquè relegat à Deo justitiam distributivam, quam tamen non renunt admittere contrarii. Resp. dist. maj. Erit jus in Deum ortum radicaliter ex summa ejus liberali promissione, conc; præcisè ex satisfactione sibi data, nego maj. & min. sub distinctione simili cum conseq. Ex solutione haec sequitur id quod N. Paulus hic n. 139. ait, quod si justitia sumatur strictissimè, non sic admittenda est in Deo: hæc enim etiam pactum, vel promissionem excludit liberaliem, quod non tollit quo minus stricta utcumque, licet cum omni rigore admittenda sit in Deo. Sed

94 Replicabis ex N. Andrea à

38. *Tract. VII. de Incarnatione, Disp. I. Dub. VII.*

Matre Dei tr. 14. de contract. c. 4. n. 82. ubi docet, ex promissione liberali, etiam per promissarium acceptata non oriri debitum justitiae contra promittentem: ergo nec ex Dei promissione contra ipsum. Resp. dist. ant. ex promissione liberali nudè sumpta, conc; onerosa, nego ant. & conseq. Promissio Dei non ita fuit gratiosa, & liberalis, ut non aliquod imponeret onus ex parte Christi implendum: quandò autem talis est, non destruit, licet aliquali- ter minoret rigorem justitiae commu- tativæ. Exemplum habes in concessio- ne Bullæ Cruciatæ, quæ gratia qui- dem est, & dicitur, & tamen ne- quit eam Papa revocare, nisi inter- veniente gravissimo motivo: licet enim gratia, fuit tamen cum onere solvendi aliquid concessa.

95 Obs. ultimò: Omnia nostra, imò & Christi, recepta sunt à Deo, suntque sub ejus dominio, & potes- tate: si ergo sunt Dei, & à Deo, quomodo per ea possumus allegare jus in Deum? Resp. quòd licet nos- tra sint à Deo, Deus tamen fecit illa nostra. Unde & liberum arbitrium nostrum est à Deo, & tamen ita fe- cit nostrum, ut operemur quod ve- limus etiam contra ipsum Deum: quod ortum dicit ex eo quòd Deus, li- cet liberaliter hæc omnia nobis do- naverit, qua ex parte ratio justitiae aliquomodò à suo deficit rigore, se- mel tamen nobis concessis, vult eis uti quasi nostris, & quod non ni- hil laboris, & difficultatis sentiamus in eis ipsi Dño offerendis, ut sic noster amor, & gratitudo magis of- tendatur, & cum alijs eorum con-

gruentiam præcedat pactum liberale super eis acceptandis, tenetur Deus, ne infidus videatur in suis promis- sionibus implendis, & maximè ad- junctis oneribus impositis, hanc obla- tionem acceptare ex justitia, quæ tamen non infert dependentiam à suis creaturis, sed perfectiones im- plendi suam promissionem, & remune- randi creaturarum fidelem solutionem.

D I S P U T A T I O II.

D E C A U S I S I N C A R N A T I O N I S.

I **E**xcellentiam, valorem, convenientiam, necessi- tatemque Incarnationis hucusque ponderavimus: sequitur nunc de cau- sis ejus extrinsecis, quæ viam pa- rent ad sequentem disputationem de intrinsecis peragendam. Cumque in- ter illas, causa finalis primas teneat, pro illius discussione instituimus præ- fens

D U B I U M I.

AN EX VI PRÆSENTIS DECRETI, SI
Adamus non pecasset, Christus veniret
in mundum?

HAnc in terminis excitat quæ-
tionem D. Thom. 3. p. q. 1.
art. 3. ubi refert sententiam affir-
mantem, alios verò partem tenere
negativam, quorum assertioni, inquit,
magis assentiendum videtur. Pro ejus in-
telligentia duplex decretum distin-
guit Scotus circa Incarnationem,
aliud ad substantiam ejus directum,
per quod Deus absolutè decrevit fi-
lium suum carnem assumptum,
aliud

aliud ad circumstantiam passibilitatis ordinatum, per quod Deus, prævidens Adami peccatum, decrevit filium suum passibilem venturum, ut hominem à suo lapsu repararet.

ASSERTIO NOSTRA.

2 Et omnium Thomistarum, quam & extranci plures defensandam arripuerunt, tenetque Adamo non peccante, Christum ex vi præsentis decreti non fuisse venturum. Prob. ratione D. Thom. supra laudato: nam id quod pendet ex libera Dei voluntate, ex Scriptura, & SS. PP. illius Interpretibus inferendum nobis est; sed Scriptura, & SS. PP. passim clamitant, ex remedio unicè pro peccatis applicando Christum in hunc mundum venisse. Minor hæc prob. tum ex Luc.
3. Non egent, qui sanū sunt Medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Tum ex Marc. 10. Filius hominis venit dare animam suam redemptiōnem pro multis. Tum ex Matth. 18. Venit Filius hominis querere, & salvum facere quod perierat. Tum ex D. Aug. Serm. 8. de Verb. Apost. si homo non periret, Filius hominis non veniret. Et Serm. 9. clarius: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Ubi ut vides, Christus non solum propter expiationem peccatorum dicitur venisse, verum & solum propter hoc venisse, & non fuisse venturum sine hoc asseritur: ergo ex Scriptura, & SS. PP. constat hoc. Ad hunc tenorem, sensumque colloquuntur plures SS. PP. à N. Salm. in præsenti n. 10. fusè collaudi.

3 D. Thom. adeò expressus est, ut hæc demonstrant sua verba 3. p. q. 1. art. 3. in sed contra: *Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset.* Et in corp. *Peccato non existente, Incarnationis non fuisset.* Favet Ruper. lib. 2. de Operib. Sp. S. c. 6. ibi: *Nisi peccasset servi, nec assumpta fuisset in hominem Deum natura servilis.* Ex quibus sic ampliatur ratio probativa: sicut liberum fuit Deo decernere, vel non decernere Incarnationem, ita fuit ei liberum ex hoc, vel illo decernere motivo: ergo si semel nobis constat decretum præsens ex motivo fuisse peccati delendi, cessante hoc motivo, cessaret decretum præsens, & adventus.

Non nos negamus potuisse Deum alias per aliud decretum decrevisse in mundum venire incarnatum, etiam deficiente peccato. Quod autem tale habuerit decretum incertissimum est, ut inquit D. Thom. 1. ad Timoth. 1. lect. 4. ad illa verba: *Pecatores salvos facere.* Ubi sic ait: *Nescimus quid ordinasset (Deus) Si non prævidisset peccatum. Nihilominus tamen autoritates videntur sonare, quod non fuisset incarnatus, si non peccasset homo, in quam partem ego magis inclino.* Quod ergo negamus est, quod ex vi præsentis decreti, quodque nobis constat certè habuisse, prævisoque, ut supponitur, peccato, ita Christum venisse, ut & sine ipso venisset, quod chimæricum videtur: quia si propter ipsum venit remittendum, finis decesset decreti, dum non esset quid remitteretur.

4 Per quod satisfecit recursui subtilis Scoti ad illud duplex decretum,

alterum ad substantiam Incarnationis, alterum ad circumstantiam peccati terminatum. Nam & vel loquitur hic Doctor de decreto ante prævisionem peccati, vel illo jam præviso? Si ante prævisionem peccati, nescimus, inquit Angelicus Dr. quid ordinasset (Deus) nec nobis constat ex Script. & SS. PP. Unde ergo assertur? Præterquam quod illud decreto ante prævisionem peccati & quomodo (inquiero) respiciebat Incarnationem exercendam? An ne impassibilem, an vè passibilem, an vè ab utraque præscidentem circumstantia? Ut præscidentem à passibilitate, vel impassibilitate minimè: dedecet enim divinam voluntatem rem determinare indeterminate, sed prout à parte rei fienda est. Audi D. Thom. proximè laud. Deus, inquit, ordinavit fienda, sicut res fienda erant; atqui non fienda erat Incarnatio præcissivè à dictis circumstantiis: ergo præcissivè ab illis illam non decrevit. Nec iterum decrevit eam ut passibilem: de-erat enim peccatum propter quod passibilis illa foret. Sed nec impassibilem: quia illud decreto non esset conditionatum, ut potè non supponens illam conditionem peccati, vel innocentiae: si autem absolutum, deberet impleri impassibiliter, cuius contrarium videmus, venit enim passibilis Christus: ergo ante prævisionem peccati non determinavit Deus carnem sumere; post prævisionem vero constat nobis quali ex motivo venerit, & quod sine peccato non venisset: ergo si deficeret Adami lapsus, & Christi deficeret adventus.

OPPOSITA SENTENTIA.

5. **D**efenditur à B. Alb. in 3. dist. 20. art. 4. Subt. Doctore Scoto cum tota ejus Schola, cui adhærent Suarez, Cartagena, Puente, Huert. & plures Juniores. Pro quibus obs. 1. illud Zachar. Cantici: *Benedictus Dominus Deus Israhel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis sue*, ubi duos ponit fines pro adventu Dñi, scilicet visitare, & redimere: ergo deficiente redemptione, si non esset peccatum, adhuc subsisteret visitatio. Confirmat id Nicenum Symbolum in illis verbis: *Qui propter nos homines, (ecce unum finem) & propter nostram salutem (ecce alterum) descendit &c.* ergo ruit conclusio.

Resp. explicando Cant. quia visitavit visitatione nudè sumpta, nego; visitatione redemptiva explicata in sequentibus verbis: *& fecit redemptionem*, conc. ant. & nego conseq. Similiter explicatur Symbolum: nam per ly homines innuitur subjectum. Et ne putetur propter ipsum nudè sumptum venisse, sed propter ipsum ut infirmum, addit: *& propter nostram salutem*. Unde unicus est finis adventus Christi, scilicet visitatio redemptiva, seu quod idem est, hominum sanatio, vel sanandus homo.

6. Obs. 2. D. Bernardum serm. 1. de Adv. ubi docet diabolum prævidisse Incarnationem, & propter invidiam tentasse Parentes nostros, ut peccarent; si autem peccatum fuisset incarnandi causa, minimè ad peccatum incitasset, qui minimè Incar-

nationem appetebat extitram: ergo causa ejus non fuit Adami peccatum. Respondet D. Thom. in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 7. ibi: *Dicendum, quod etiam si ponatur, quod diabolus præviderit rationalem creaturam à Filiō Dei assumendam, non tamen operetur, quod præviderit antecedentia, hoc est motiva præcedentia, & consequenter nec peccatum præcessisse, ut esset causa, & ideo ad peccatum incautus provocavit.*

7 Obs. 3. Productio Angelorum unicè pendet à voluntate Dei, quæ voluntas ex Scriptura solum, fuisse, nobis constat, ut in ministerium essent hominum creati; & tamen D. Th. 1. p. q. 50. art. 1. docet, ratione ductus naturali, existentiam illis in pulchritudinem Universi fuisse à Deo datam; ita ut vel homine non creato, ipsos Angelos creandos fuisse assertat communis AA. sententia: ergo pariter, licet ex Scriptura solum nobis constet Christum venisse ratione peccati, non obest quominus ratione possit demonstrari naturali, vel theologica, ipsum, etiam deficiente peccato, fuisse venturum.

Resp. neg. ant. nam ex Scrip. etiam constat Angelos ad laudandum Deum fuisse creatos juxta illud Psalm. 103. *Laudate eum omnes Angeli ejus:* ergo non solum ut homines custodirent creati sunt. Quod autem ratione naturali cognoverit D. Thom. in complementum Orbis fuisse creatos, quid mirum, si & aliqui Philosophi id asscuti fuerunt per lumen naturale præcissivè à custodia hominum? Quorum doctrinæ innixus D. Thomas, & præhabita per

fidem notitia de eorum existentia, perfacile potuit finem inferre ad quem creati sunt, scilicet in complementum, & ornatum Universi: quod quidem sphæram non transcedit naturalem, sicut illam transcedit mysterium Incarnationis, & maximè finis illius, qui ex Scriptura nobis minimè constat, & ideo circa hoc id præcise tenendum nobis est, quod Scriptura, & SS. PP. docent nos.

8 Obs. 4. Deus non propter peccatum voluit Incarnationem: ergo sine illo esset incarnatus. Prob. ant. prius voluit Incarnationem, quam remedium peccati: ergo propter hoc non voluit illam. Prob. ant. ordinatè volens prius vult finem, quam media, & ex mediis prius vult conducentius, quam minus conducens; sed ad gloriam Dei, ejusque manifestationem, quæ sunt finis hujus mysterii, plus conduit Incarnatio Verbi, quam remedium peccati: ergo non propter hoc, sed prius, quam hoc, voluit illam.

Dist. ant. non propter peccatum voluit Incarnationem in genere causæ finalis *cuius gratia*, conc; finalis *cui*, nego ant. cuius probatio antecedens dist. prius voluit Incarnationem prioritate *in quo*, nego: prioritate à *quo*, subd. in genere causæ finalis *cuius gratia*, conc; finalis *cui*, nego ant. & conseq. & ad hunc sensum distingue sequentem syllogismum. Est dicere, quod simul simultate *in quo*, seu in unico instanti voluit Deus, & Incarnationem, & remedium peccati: & tamen fuit inter hæc mutua præceden-

dentia à quo, ita ut Incarnatio, seu Verbum incarnatum præcesserit remedium tamquam finis *cujus gratia* remedium esset adhibendum: ipsum autem remedium, seu medicandus homo finis *cui* tale opus decrevit Deus applicandum. Exemplum, præter alia plurima, habes in substantia prædestinati, & ejus meritis, quæ ordinantur ad gloriam, ut ad finem *cujus gratia*, in quo sensu præceduntur ab illa, & tamen gloria ordinatur ad substantiam prædestinati, ut ad finem *cui*, à quo sub hoc genere præceditur.

9 Obs. 5. Christus est primus omnium prædestinatorum, etiam Angelorum, de quo dicitur ad Colos. 1. à vers. 15. *Primogenitus omnis creatura:: ipse est ante omnes:: & ipse est caput corporis Ecclesie:: in omnibus ipse primatum tenens:* ergo decretus est ante omnem creaturam: ergo multò magis ante omne peccatum; ergo non propter hoc, nec ejus remedium decretus est. Resp. prænotando duo esse in Deo signa ad decernendum (alii distinguunt quatuor, alii quinque, alii octo, sed & alii decem, quibus plus quam aperiunt, obseverant hanc materiam) in primo cognoscit Deus per simplicem intelligentiam omnia possibilia cum omnibus suis coniunctionibus, & dependentiis. In secundo omnia decrevit, quæ facienda essent cum à suis causis dependentia.

Fatemur ergo Christum prævisum in primo, & prædeterminatum in secundo signo ante omnia fuisse, tum prioritate dignitatis, & prædilectionis divinæ; tum prioritate à quo in genere causæ finalis in-

*ius gratia cætera omnia essent creanda, permittenda vè, quod tamen non tollit quominus in eodem instanti in quo prævidebatur, & prædeterminabatur ut id *cujus gratia* omnia, & inter omnia homo, essent extitura, simul & ipse Christus decerneretur respiciens omnia ut finem *cui*, essetque Christus omnibus, & principi homini, illis ut præcesset, & conservaret, huic ut præcesset, conservaret, & simul ejus infirmitatem moderetur, unde tandem vitam conqueretur æternam. Neque hoc genus dependentiæ (vel potius dicamus connexionis) à fine *cui* minuit dignitatem Dei: nam omnia creata sunt propter ejus gloriam, tamquam finem *cujus gratia*, & tamen ejus gloria hæc non esset sine existentia creaturarum, quas respicit ut finem *cui*, & hoc in eodem instanti in quo ipse respiciunt Deum tamquam finem *cujus gratia*. Sicut ergo mutua hæc dependentia, vel connexio non decadet Deum, nec illa, quam tangit argumentum. Sed replicabis, &*

10 Obs. 6. Deficiente motivo secundario, & stante primario, debet subsistere decretum; sed motivum primarium Incarnationis est gloria Dei, quod motivum subsisteret, etiam deficiente peccato: ergo etiam hoc deficiente &c. Dist. maj si motivum primarium dependet, vel necessariò connectitur cum secundario, nego: aliter, transeat maj. nego min. quoad secundam partem, & conseq. Hoc etiam argumentum probat idem ac præcedens, scilicet, quod decretum producendi creaturas, quodque respicit ut motivum primarium gloriam

riam Dei, posset dari sine earum producione; quia eas respicit ut objectum, & motivum secundarium, quod nullus concedet Theologus, nisi quod ita est secundarium, ut si ne illo primarium non extaret: ergo ita movet primariò Deum ejus gloria in Incarnatione Verbi, ut si salus hominum non resultaret, nec ejus gloria ex hoc mysterio ipsi resiliret.

II Obs. 7. Si Incarnatio decreta est propter peccati medelam, sequitur 1. quod Incarnatio est bonum occasionatum, & non per se intentum, sed quasi per accidens, occasione desumpta à culpa, quæ accidentaliter commissa est, haud secùs quam pœna, quæ solùm est bona præsupposita culpa; sed hoc deinceps tam admirabile mysterium: ergo non est admittendum. ¶ Sequitur 2. quod per peccatum capax facta est nostra natura uniendi se Deo, quæ est gratia excellentissima, quam tamen non reciperet deficiente culpa; sed absurdum videatur, quod per culpam felicior facta sit natura, quam esset in statu innocentiae, quod & reprobat D. Thom. 3. p. q. 88. art. 2. ad 3. ubi asserti majus esse bonum innocentiae, quam pœnitentiae: ergo incarnationis non dependet à peccato.

Respondetur similiter ad hanc, quam ad priores objectiones, dist. maj. est bonum occasionatum à culpa tamquam à ratione cui, conc; tamquam à ratione cuius, nego maj. & min. cum conseq. Est dicere, quod peccatum dedit occasionem Incarnationis tamquam id cui medela Incar-

nationis esset applicanda, non tamquam ratione cuius Incarnatio determinata est. Itaque ipsum peccatum ut medendum, vel remedium adhibendum ei, ordinatum fuit ad Verbum incarnandum tamquam ad finem cuius gratia, seu propter quod remedium applicaretur.

¶ Exemplum pœnæ non urget: nam ut innuit D. Thom. 2. 2. q. 157. art. 1. ad 2. & 3. ea, quæ assumitur, vel imponitur in delictorum justam vindictam, vel medelam, longè ab esse bonam, ex se affligit, inquit & aliquantulum nocet, estque mala naturæ in esse physico, & solùm est bona vel propter peccata jam commissa expianda, vel propter futura præcavenda, & præter hoc nihil bonitatis in pœna inventur, nec propter se solam est bona, nec amabilis. Econtrà fit in Incarnatione Verbi, quæ per se solam, etiam præcisivè ob omni culpa est maximum bonum, atque inter opera à Deo facta facilè supremum.

¶ Ad 2. respondet D. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. ad 3. ibi: Nihil autem prohibet ad aliquid majus humana naturam productam esse post peccatum: Deus enim permitit mali fieri, ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur ad Rom. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Unde & in benedictione Cerei paschalis dicitur: O felix culpa, que talem, actum meruit habere Redemptorem! Ad id, quod additur de innocentia, respondet D. Thom. 1. p. q. 20. art. 4. ad 4. quod cæteris paribus felicior est status innocentiae, quam pœnitentiae,

absolutè tamen illi feliciores sunt, sive innocentes, sive poenitentes, qui plus habent de gratia. Dicitur autem Deus plus gaudere de pénitente, quād de innocentē: quia plerumque pénitentes cautiōres, humiliōres, & ferventiores resurgunt. Unde Greg. Homil. 34. in Evang. dicit, quod Dux in prælio eum Militem plus diligit, qui post fugam conversus fortiter hostem premis, quād qui numquād fugit, nec umquād fortiter egit.

13 Obs. 8. Ex conclusione sequitur falsum esse quod ait Ap. ad Rom. 9. Antequam quidquam boni, vel mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui: ergo non est tenenda. Sequela ostenditur: Reprobatio iniquorum juxta nos est effectus prædestinationis justorum, & hæc est effectus prædestinationis Christi, & hæc est effectus peccati, nam propter peccatum facta est: ergo de primo ad ultimum peccatum est omnium primum; sed juxta Apost. ante prævisum peccatum fuit reprobatio Esau, & consequenter omnium iniquorum: ergo doctrina nostra deficit à veritate Apostoli. Resp. hunc in dictis verbis loqui de reprobatione negativa, hoc est, per modum indebiti beneficii, consistitque in negatione gloriæ præcisivè à pena gehennali, quæ solùm datur post prævisa peccata, & per reprobationem positivam, & hæc est effectus prædestinationis justorum, & capitū justorum. Dum autem dicitur, quod peccatum presupponit ad Incarnationem, hoc intellige in genere causa materialis circa quam, & destruendæ; ipsa vero Incarnatio præ-

supponit prior in genere causæ efficientis destruтивæ, per quod patet ad argumentum.

Q U E R E S.

14 An Christus veniret ex vi præsentis decreti, existente peccato originali, & deficientibus actualibus? Ante resolutionem nota 1. Christum non venisse propter Angelorum peccati remedium, ut falso putavit Origines, cuius doctrinam rejicit D. Aug. ut hæreticam lib. de Hæres. c. 43. Secundò Christum venisse propter remedium omnis peccati, sive originalis, sive actualis, ut constat ex 1. Joan. 2. ibi: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro toto mundi. Et expræssè ex D. Thom. 3. p. q. 1. art. 4. qui addit hæc: Principalius venit ad tollendum peccatum originale.

¶ Ad quæstum respond. affirmativè cum Gonet, N. Cornejo & aliis, contra Godoy, & alios. Ratio est: quia extaret motivum primarium, & principalius adventus ejus, quod est peccatum originale. Si autem, quia deficerent peccata actualia, non veniret, sequeretur, quod si unum solummodo deficeret ex actualibus prævisis, non veniret, ut consideranti patebit, quod incredibile videtur. ¶ Quid vero, si solùm essent peccata actualia, sine originali? Contrarium respondetur: quia deficeret motivum primarium, & adæquatum: & ad variandam intentionem, & consequenter decreta præsens, sufficit nedum varia-tio objecti primarii adæquati, ve-rum

rūm & inadæquati , si inadæquatum est pars subjectiva adæquati , ut patet in habitibus , & potentius .

D U B I U M II.

*VTRUM PURA CREATURA POTUERIT
esse instrumentum physicum Incar-
nationis?*

¶ 15 **P**ost causam finalem , ef- ficientem Incarnationis agredimur versandam : hæc alia est moralis , seu meritoria , de qua in tractatu de merito Christi , & ejus Matris peragamus ; alia physica , & hæc duplex ; alia principalis , cuius notitiam per suppositionis modum tan- gemus , ut potè facilè , quæ resolvatur , se objicientis ; alia instrumen- talis , de qua titulus inquirit hujus dubii . ¶ Supponimus ergo 1. nullam fuisse , nec esse potuisse causam crea- tam Incarnationis principalem : est enim hæc longè perfectior , quam gratia habitualis , quam nulla potest creature producere ut causa princi- palis , sed solus Deus , qui facit mi- rabilia magna solus (Ps. 133.)

Nec obstat objicire , quod Chri- stus media nutritione , & augmentatione concurrit ut causa principalis ad novas partes producendas unionis hypostaticæ : & quidem si Chri- stus habet in se unionem hypostaticam , quare illam non poterit producere ? Resp. quod etiam habet gratiam ha- bitualem , & tamen in quantum ho- mo nequit illam producere . Leo etiam habet existentiam , & tamen illam producere non valet . Itaque poterit Christus per nutritionem , &

augmentationem substantiam , & quantitatem Humanitatis principaliter attingere , non verò unionem , nec novæ unionis partem , vel ejus ex- tensionem causare ; Sed

16 Dubitabis , an Verbum di- vinum exerceat aliquem influxum activum speciale in hoc mysterium , quem non habeant reliquæ divinæ Personæ ? Negativè resp. quia nullum opus ad extra ita est unius Perso- nae influxui tribuendum , quod non sit & aliarum ; sed hoc mysterium opus est ad extra : ergo à trium Personarum influxu est dependens . Lege D. Thom. 3. p. q. 3. art. 4. ubi ait : *Id quod est actionis in assump-
tione (carnis) commune est tribus Per-
sonis ; sed id quod pertinet ad rationem ter-
mini convenit ita uni , quod non diis .* Fundatur hoc in eo , quod poten- tia factiva ad extra est omnipoten- tia , quæ in tribus Personis inveni- tur unica , & æqualiter . Terminativa verò triplex est , eaque , ut una valeat sine alia humanitatem termi- nare .

¶ Obs. Assumere est quoddam agere ; sed solum Verbum divinum assumpsit : ergo ipsum solum aliquid specialiter egit . Dist. maj. assumere , sumptum pro actione assumptiva est agere , conc ; pro terminatione for- malis , nego maj. & distincta similiter min. nego conseq. Solutio , que est D. Thom prælaudati , potest aliter per distinctionem sic explicari : assu- mere per modum unionis est agere , conc ; per modum unionis , nego maj. &c. Unitio , seu actio unitiva trium quidem fuit Personarum : at unio , licet omnibus concomitanter fuit

fuit communis; cæterum directè, & formaliter solius Verbi propria fuit; sed non prout sic fuit actio, sed unio, & terminatio.

17 Supponimus 2. actionem incarnativam distinctam fuisse à creativa animæ, & productiva humanitatis: nam Incarnatio fuit actio miraculosa, & supernaturalis, creatio vero animæ, & educatio humanitatis naturales: ergo fuerunt distinctæ modo quo in Deo possunt ejus actiones terminativæ distingui, cum tamen subjectivæ in Deo una omnes sint. Dices: Creatio dedit animæ Christi subsistere, & existere; hoc ipsum dedit ipsi Incarnatio: ergo sunt unica actio. Nego ant. nam licet regulariter sic fiat, si tamen creatio impeditur per aliam actionem, tunc creatio solum terminatur ad entitatem ponendam sub existentia danda per alteram actionem, ut sit, dum corruptis speciebus sacramentalibus, creatur nova materia, cujus creatio terminatur ad ponendam illam sub existentia danda toti composito (v. g. vermis) per actionem educitivam.

18 Supponimus 3. de factò nullam creaturam fuisse instrumentum physicum Incarnationis Christi. Ratio est, quia B. V. Maria non fuit: ergo nulla alia. Consequentia videatur certa, ant. prob. ex D. Thom. 3. p. q. 32. art. 4. ibi: *Dicendum est quod in ipsa Conceptione Christi B. Virgo nihil activè operata est, sed solum materiam ministravit.* Idem repetit quæst. seq. art. 4. ad 2. ergo tenet ant. Dum autem dicitur *nihil activè*, non intelligas merè passivè se habuisse: nam

saltim remotè activè potest dici, matrem concurrere ad filiorum conceptionem: ipsa enim præsentatio, vel productio materiae aliqua est actio, licet remota. Quod verò negamus est concursus proximus activus.

¶ Dices: Sacerdos consecrans conficit physicè instrumentaliter Corpus Christi, & quidem unitum Verbo hypostaticè: ergo defactò datur instrumentum in assertione negatum. Resp. neg. ant. nam Corpus Christi, & ejus unio jam sunt producta ante Consecrationem, hæc autem solum terminatur ad modum, seu præsentiam sacramentalem corporis sub speciebus, quæ præsenta post corpus trahit concomitanter animam, & cætera quibus cum corpus, & anima uniuntur. His suppositis, pro possibilitate casus sit

NOSTRA CONCLUSIO.

19 **D**icendum est, non repugnare methaphysicè creaturam esse instrumentum physicum Incarnationis, ac proindè ipsum possibile divinitus esse. Sic N. Salm. in præsenti disp. 5. dub. 3. n. 37. profè laudantes plures cum Godoy, & Gonet. Hic tamen oppositum tenet disp. 7. n. 2. & licet nostram assertionem non exprimat D. Thom. ex ejus tamen deducitur doctrina: quia ipse 3. p. q. 62. art. 1. docet. Sacramenta causare instrumentaliter gratiam, quæ supernaturalis est. Et q. 13. Humanitatem Christi fuisse instrumentum physicum ad opera miraculosa: ergo licet unio hypostatica sit supernaturalis, & miraculo-

sa (in quo poterat esse repugnantia) non ideo non ab instrumento physico creato poterit produci. Nisi dicas hanc stare repugnantiam in assignanda actione prævia talis instrumenti; sed & haec nulla est: quia posset instrumentum præviè attingere humanitatem, & instrumentaliter unionem illius cum Verbo. Ast, & quæ in hoc apparet repugnantia? Certè nulla methaphysica: ergo vera est conclusio.

OPPOSITA SENTENTIA.

20 **D**efenditur à pluribus, & gravissimis Thomistis, ut à Sancto Thoma, Contens. N. Laurent. & aliis. Pro quibus obs. 1. Si creatura esset instrumentum physicum Incarnationis subordinaret sibi Verbum, esset enim quasi contentum sub illa virtute instrumentaria, quod ipsum dedecet: ergo & repugnat. Resp. negando ant: nam etiam Deus est causa incarnationis principalis, & tamen non subordinat sibi Verbum. Posito etiam lumine gloriæ, necessariò unitur Deus ut videatur, quin hoc subordinationem dicat creature, sed impletionem voluntatis ipsius creatoris.

21 Obs. 2. Juxta N. Complut. in de Generat. disp. 2. n. 10. nulla actio creata terminatur immediatè ad substantiam, quia principium quo proximum, & terminus quo immediatus ejusdem debent esse lineaè sive substantialis, sive accidentalis, & ideo nec substantia est immediatè operativa, ne operationem respiciat primò, & immediatè; si autem crea-

tura esset instrumentum physicum unionis hypostaticæ, quæ substantialis est, actio creata accidentalis illam immediatè attingeret: ergo repugnat quod sit. Dist. maj. nulla actio creata principalis, vel prævia instrumenti, conc; nulla actio instrumentaria, ut talis, nego maj. cum reliquis quæ huic objiciantur distinctioni. Est dicere, quod actio instrumentaria cum sit, ut talis, vicaria principalis, id attingit immediatè instrumentaliter, quod principalis immediatè principaliter: & cum Deus immediatè sit operativus principaliter substantialis unionis hypostaticæ, sic & virtus creata esset immediatè operativa instrumentaliter illius. Unde doctrina Complutensis de actione prævia, non de instrumentalí intelligenda est: in cuius confirmationem adest exemplum actionis accidentalis conversivæ in Eucharistia, quæ à causa creata instrumentaliter elicetur, & tamen ad aliquem modum, sive præsentiam substantialē terminatur.

22 Obs. 3. Non est assignabilis effectus prævious, & consequenter nec actio prævia, instrumento physico incarnativo: ergo hoc non est possibile. Prob. ant. non humanitas: nam haec fieret per actionem generativam, non unio: nam haec esset effectus actionis principalis, imò & instrumentalia; sed nec Verbum, cum hoc sub actione creata non cadat incarnandum: ergo non esset effectus prævious. Resp. quod verè daretur effectus prævious, hicque esset ipsa humanitas, quin contra hoc obsteret, quod sit haec producta per genera-

tionem : nam in tali casu hæc actio generativa , quæ præviè , & principaliter attingeret humanitatem , elevaretur , ut instrumentaliter produceret unionem hypostaticam , nec in hoc adest novitas , vel major difficultas , quam in productione existentia equi , cuius generatio attingens præviè , & principaliter equitatem , attingit , elevata à virtute superiore , instrumentaliter , & ipsam equinam existentiam .

23 Obs. 4. Talis actio instrumentalia , quippe quæ creata , non verò creativa , esset eductiva : ergo educeret unionem ex aliquo præsupposito , & præexistente subjecto ; hoc non daretur : nam quin potius ipsa unio daret subjecto , scilicet humanitati , existentiam : ergo repugnat talis actio. Resp. ad argumentum sat esse dari subjectum existens in toto instanti reali , quin præsupponatur pro aliquo existens , ut patet in existentia equi , quæ educitur à forma , sicut hæc à materia , & tamen nec materia , nec forma prælupponuntur ante existentiam existentes. Dum autem dicitur eductionem esse à præsupposito subjecto , intelligitur non de præsuppositione existentiali , & formalí , sed subjectiva , & materiali : quod quidem verificaretur in actione incarnativa instrumentalia , si daretur.

24 Obs. 5. Terminus *qui* actionis incarnativæ instrumentalia esset infinitus , Verbum scilicet divinum ; atque actio creata nequit attingere adhuc instrumentaliter terminum infinitum ; unde nec potest instrumentaliter creare : quia terminus crea-

tus licet in esse entis sit finitus , in esse verò termini est (inquit D. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. ad 3.) infinitus , infinitam requirens ipsius virtutem productivam : ergo repugnat & talis actio , & tale agens. Resp. quod Verbum non est terminus *qui* actionis incarnativæ quantum ad produci , sed quantum ad uniri , nec itidem quantum ad uniri infinito , sed modo finito , & accommodato capacitati humanitatis finitæ , & limitatæ. Unde non requiritur virtus , nec actio , quæ agens creatum , & limitatum supereret , maximè quandò hoc non principaliter , sed instrumentaliter concurrit , & non ad terminum infinitum producendum , sed ipsum uniendum modo finito , & limitato.

DUBIUM. III.

QUIS NAM FUERIT TERMINUS FORMALIS ACTIONIS INCARNATIVÆ?

25 Egimus tantisper de causis extrinsecis finali , & efficienti : & nunc tantumdem de formalí opus est agamus. Hæc est in quolibet composito illa , per quam ipsum componitur intrinsecè , & per quam agens efficiens specificatur extrinsecè. Et licet Deus , vel ejus actio à nullo termino valeant specificari creato , egimus , vel potius fingimus , ejus specificationem sub nomine virtualis : quia ita Deus respicit terminum creatum , ut si capax esset , se ab illo specificaret formaliter. Quid sit terminus *qui* , & quid terminus formalis *quo* , constat ex N.

Com-

Complut. in de Gener. disp. 2. q. 3. & ex N. Gavino : quibus remittimus lectorem , ne acta iterum agamus. ¶ Supponimus 1. quod terminus *qui actionis incarnativæ est* Christus Dominus , ut coalescens est ex personalitate , & existentia divinis , & natura humana per ipsas terminata : quia propriè est *quod terminat Incarnationem* , & suo modo fit per illam : Id quod pariter verificatur in homine , & quolibet composito substanciali creato , nec in hoc est differentia.

26 Supponimus 2. quod actio incarnativa sub nominibus *assumptio Incarnatio , unitio , productio , suppositatio &c.* Non addit , neque est quid distinctum , sicut nec illud dicit generatio humana sub nominibus *productio , suppositatio , unitio , vel humanatio* , sed omnia hæc una , & simplex , licet trinominis , vel quatrinominis , res est. ¶ Ultimò supponimus , naturam divinam non esse terminum formalem Incarnationis : quia non per modum formæ , vel naturæ communicatur Christo , sed per modum existentiæ supponentis formam , eamque existere facientis. Existentia autem non specificat actionem , cum sit extra essentiam , seu prædicata specifica rei productæ. Hoc intellige in linea physica : nam in morali fatemur planè à natura divina sumere actionem incarnativam suam excellentiam , dignitatem , & valorem.

NOSTRA RESOLUTIO.

27 TErminus formalis quo , seu specificativus actionis incarnativæ est humanitas. Sic nobiliores Thomistæ à S. Thom. Godoy , Arau. N. Laur. Ratio 1. quia terminus formalis quo cuiuscumque actionis ille est , qui per modum formæ constituit terminum *qni* , ut patet in qualibet generatione , dealbatione &c. Sed talis est humanitas in Incarnatione. Hæc minor probatur : terminus *qui Incarnationis est Deus homo* , sive Deus factus homo juxta illud : *& Verbum Caro factum est* ; sed in hoc concreto , seu complexo sola humanitas habet rationem formæ , siquidem Persona , & natura divina solùm rationem habent termini , per quem forma subsistit , & existit : ergo ita est.

¶ Confirmatur : per Incarnationem Verbum divinum factum est homo : ergo humanitas est terminus formalis. Consequentia patet , siquidem quia paries fit albus , albedo est terminus formalis dealbationis : ergo similiter quia Verbum fit homo &c. Ant. prob. ex D. Thom. per NN. hic laud. num. 57. ibi: *In unione Dei ad animam non traditur Deitas ad humanam naturam , sed humana natura à Deo assumitur* : ergo non homo factus est Deus , nec in Scriptura invenies , quod caro facta est Verbum , sed quod Verbum caro , & homo factum est.

28 Ratio 2. Terminus formalis quo actionis est ille , quem actio per se intendit communicare sub-

D jec-

jecto, vel supposito; sed supposito divino, quod intendit per se communicare Incarnatio, est humanitas: ergo hæc est terminus formalis. Major patet in generatione humana, quæ quia per se intendit communicare Petro v. g. humanitatem, hæc est terminus formalis: similiter in dealbatione, quæ, quia intendit albedinem communicare parieti, albedo est terminus ejus formalis. Minor est certa, & conseq. legitima. Nec valet dicere cum Gonet nobis contrario, quod subsistentia Verbi communicatur humanitati per modum actus, seu formæ perfectivæ, idèque hæc debet esse terminus formalis: quia magis perficit eam existentia, quam tamen non admittit ipse, esse terminum formalem: quia existentia (& idem dic de subsistentia) extra essentiam est rei producenda.

29 Ratio 3. Terminus formalis actionis incarnativæ non est unio hypostatica; sed aliæ nec divina subsistentia, vel suppositum: ergo humanitas. Conseq. est vera, si præmissæ probentur: & quidem major patet in generatione qualibet viventium, vel non viventium, in quibus sola forma est terminus formalis: unio verò solum est applicatio formæ ad subjectum. Nec valet dicere, quod per actionem incarnativam nihil aliud producitur, quam unio humanitatis ad Verbum (anima verò, & corpus per alias producuntur actiones) nam, & in generatione humana homo non producit, nisi unionem animæ ad corpus, & tamen non unio, sed ani-

ma est terminus formalis: ergo patriter in præsenti. Minor primi syllogismi ostenditur: nam subsistentia, vel suppositum non se habent per modum formæ in Incarnatione, sed quin potius per modum materiae, vel subjecti, cui advenit (inquit Ang. Dr. 3. p. q. 17. art. 2.) natura humana eo modo, quo homini manus, & pedes, sine quibus antea fuisset, vel (ut inquit D. Aug. lib. 83. q. 83.) quasi habitus, vel vestis corpori induendo juxta illud Apost. ad Phil. 2. *Et habitu inventus, ut homo:* ergo non potest suppositum habere rationem formæ, vel termini formalis.

30 Ex dictis infer, quod si eadem persona assumeret diversas specie naturas, actiones assumptivæ essent specie diversæ: quia, & sic essent diversi termini formales: qua etiam ratione calefactio, & dealbatio, licet in eodem subjecto recipiantur, distinguuntur specificè: quia earum formæ in eo introductæ, scilicet calor, & albedo, specie sunt distinctæ formæ. Econtra vero, si diversæ personæ, vel subjecta assumerent eandem specificè naturam, seu formam, actiones assumptivæ, vel productivæ, itidem ejusdem essent speciei: Unde calefactio hominis, & ligni, licet diversa sint subjecta, una specificè est actio eos calefaciens.

ARGUMENTA CONTRARIA.

31 **S**Uarez citans Scotum, Durandus, & plures juiores tenent unionem hypost. Ex nostris vero Gonet cum aliis multis,

tis, subsistentiam Verbi esse terminum formalem Incarnationis. Pro quibus obs. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 6. art. 6. ibi: *Gratia unionis est ipsum esse personale, quod gratia divinitus datur humanæ naturæ in persona Verbi, quod quidem est terminus assumptionis.* En tibi Verbum terminum: ergo non humanitas. Resp. 1. fatendo esse terminum, at non *quo*, sed *qui*. 2. esse terminum non formalem, seu per modum formæ, sed per modum puri termini, quatenus Verbum per suam subsistentiam terminat, & complet humanitatem propria orbatam subsistentia.

32 Obs. 2. Per actionem incarnativam nihil producitur aliud, quam unio (anima verò creationem, & corpus generationem terminant) ergo ipsa est terminus formalis. Dist. ant. nihil incomplexum producitur nisi unio, conc; complexum, nego ant. & conseq. Est dicere, quod sola unio recipit esse incomplexum, scilicet esse unionis; humanitas verò recipit esse complexum, id est, esse unitum Verbo, & sub hac expressione est terminus formalis, non verò ut humanitas incomplexè sumpta. In generatione divini Verbi adest exemplum, in qua natura non producitur, & tamen ipsa est terminus formalis, non quidem incomplexè sumpta, sed complexè, hoc est concretivè ad subsistentiam Verbi. Alter potest ant. sic distingui: nihil producitur entitativè, & materialiter nisi unio, conc; formaliter, nego ant. & conseq. Explicatur: non producitur per Incarnationem entitas corporis, animæ, nec humanitatis

materialiter entitativè, sed formaliter unitivè; hoc est, non producitur entitas humanitatis in esse entitatis, sed in esse unitæ.

33 Obs. 3. Incarnatio est essentialiter unitio; sed unitio specificatur ab unione, ut à termino formalis *quo*, sicut dealbatio ab albedine: ergo hic est unio in Incarnatione. Dist. maj. est essentialiter primariò unitio, nego; secundariò, conc. maj. & nego min. cum conseq. Quamvis Incarnatio sit unitio, hic tamen non est conceptus primarius talis actionis: quia sumitur per respectum ad terminum non per se, & primariò inspectum, sed secundariò, & ratione extremorum unendorum: quod verò primariò respicit est forma, scilicet humanitas; & licet sub conceptu unionis immediatè, & per se respicere videatur unionem, cùm verò talis conceptus supponat alium primarium, scilicet *Incarnationis*, seu *humanationis*, numquā potest esse, nec dici absolutè specificatus, & formalis; haud secūs quam conceptus naturæ, qui secundarius est respectu essentiæ, licet immediatè respiciat operationem: Cum verò hic respectus sit ortus à conceptu secundario, numquā operatio erit specificativa essentiæ, nec naturæ. Nec in hoc aliquid novi exponimus, cùm omnis generatio naturalis sit etiam unitio, & tamen omnis ea non ab unione, sed à forma unita specificatur, tamquam à termino formalis *quo*.

34 Obs. 4. Sequitur ex nostra conclusione, quod concursus generativus V. M. & Incarnatiyus Dei

non sint specie distincti: quia uterque habent eundem terminum formalem, scilicet humanitatem; sed hoc dici nequit, cum alter eorum naturalis, alter supernaturalis sit: ergo ruit conclusio. Resp. negando sequelam, & dist. imbibitam: habent eundem terminum materialiter, conc; eundem formaliter, nego imbibitam, & conseq. Idem est entitativè, & materialiter terminus, nempè humanitas, respectu utriusque concursus; formaliter verò & connotativè est distinctus: nam ipsa humanitas secundum potentiam obedientiam, connotantemque subsistentiam divinam, & unionem hypost. est terminus formalis Incarnationis: prout verò connotat unionem naturalem inter materiam, & formam, est terminus formalis generationis naturalis B. V. M.

¶ Obs. 5. Si calor jam productus per unam actionem, uniretur per aliam subjecto, hæc secunda specificaretur ab unione; sed in mysterio præsenti hoc sit, quod actio incarnativa supponit jam humanitatem productam per concursum naturalem: ergo actio illam uniens Verbo specificabitur ab unione. Resp. negando maj: illa enim secunda actio unitiva esset calefactiva per hoc quod subjecto calor uniretur: unde ab ipso calore ut unito sumeret speciem, ut à termino formalis quo. Exemplum frequens perspice in dealbatione parietis, vel cubiculi, in qua jam albedo supponitur per aliam producta actionem: & tamen si quæras terminum formalem in parietis dealbatione, ipsam albedinem jam antea

productam esse terminum formalem respondebis, non incomplexè sumptam, sed ut parieti unitam, cum sola differentia unionis intrinsecæ, & extrinsecæ inter utrumque casum. Quæ doctrina proportione servata appositè venit præsenti applicanda materiæ.

35 Obs. 6. Actio intensiva specificatur à modo intensionis, non à qualitate intensa: ergo incarnationis ab unione, non ab humanitate unita. Ant. constat ex N. Complut. de Gen. disp. 4. q. 2. n. 42. & N. Gavin. Patet conseq. nam sicut intensio terminatur ad quendam modum qualitatis, sic incarnationis ad unionem, quæ etiam est quidam modus substancialis. Resp. concessio ant. neg. conseq: nam intensio per se intendit illum modum, seu magis qualitatis; incarnationis vero, & quælibet actio generativa non intendit unionem propter se, sed ratione partium uniendarum, & tamquam mutuam ad alterutram applicationem, ut possint suam utriusque exercere causalitatem respectivè.

D U B I U M IV.

*AN GRATIA HABITUALIS FUERIT DIS-
POSITIO AD UNIONEM HYPOSTATICAM?*

36 **R** Esp. negative cum omnibus Thomistis sequentibus suum Angelic. Doct. qui 3. p. q. 2. art. 10. & q. 6. art. 6. & melius q. 7. art. 13. sic ait: *Dicendum, quod unio humana naturæ ad divinam Personam præcedit gratiam habitualem in Christo, non ordine temporis, sed nature, & intellec-*

tus: ergo ut minus non est antecedens dispositio; sed aliás nec consequens. Min. hæc prob: Gratia habitualis non dimanat physicè à gratia unionis hypostaticæ, seu à gratia substantiali (hæc enim est ipsum Verbum, vel natura divina per modum subsistentiæ absolutæ communicata; à prædicato autem divino nequit quid creatum physicè dimanare) ergo non dicit physicam, & necessariam connexionem cum illa: si autem nullam dicit connexionem physicam, quomodo ad illam physicè disponet? Ergo non est dispositio consequens. Consequentia prima nunc prob. deducta ex verbis D. Thom. nam dispositio antecedens debet recipi in subjecto priùs existentialiter, quām forma ad quam disponit, ut patet in dispositione precedente formam ignis, & in lumine gloriæ respectu essentiæ divinæ per modum speciei; sed contrarium asserit D. Thom. de gratia habituali ad unionem hypostaticam: ergo non est dispositio antecedens. Quod amplius ostenditur: namque priùs existentialiter est quod ordinatur ad dandum esse, quām quod ad dandum operari; sed gratia unionis ordinatur ad dandum esse, & habitualis ad operari, ut de se constat: ergo

¶ Prob. 2. Quia dispositio, sive antec. sive conseq. ordinatur ad expurgandum subjectum ab impedimentis contrariis; atqui nullum fuit in Christo, siquidem peccatum non fuit, nec potuit esse; aliás sustentia suæ humanitatis non erat gratia unionis opposita: ergo nullum fuit contrarium expurgandum: ergo

Tomo II.

nec opus fuit gratia disponente. Ex quibus potiori sequitur ratione, nulla opera Christi potuisse esse dispositiones antecedentes, vel concomitantes ad unionem hypostaticam: habent enim cum hac minorem connexionem, quām gratia.

CONTRARIA OPINIO.

37 St D. Bonav. & aliorum,

E quo laudant N. Salm. in præf. n. 21. pro quibus obs. 1. illud Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo latitiae: ubi per iustitiam intelligunt PP. gratiam, & per unctionem unionem hypostaticam: ergo propter illam ut dispositionem data est hæc.* Resp. 1. quod alii PP. per *dilexisti*, & *odisti*, intelligunt actus dispositivos (quos non negamus) ad gratiam habitualem Christi significatam per ly *unxit te Deus*, non ad gratiam unionis substantialiem. Resp. 2. cum DD. Ambr. Chrif. Hilar. & D. Thoma Prophetam loqui de unctione, seu unione divina manifestata hominibus, ad cuius manifestationem præcessit operatio justitiae, & odium iniquitatis. Et sic dixit D. Thom. in Cant 1. vers. 3. *Ideo operatus es iustitiam, ut Deus ungat te: & meruisti, non unctionem, sed manifestationem ejus: Quid appositiūs?*

38 Obs. 2. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. ibi: *Onne quod elebatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, opportet quid disponatur aliqua dispositione, que sit supra naturam.* Unde & nos diximus tr. de Vis. disp. 3. dub. 1.

intellectum disponendum esse per lumen, ut essentiam divinam recipiat per modum speciei; sed unio hypostatica excedit unionem intelligibilem hanc: ergo prærequisitum humanitatem dispositam per gratiam. Id quod adhuc in sanctificatione adultorum verificatur, qui non recipiunt gratiam habitualem, nisi mediis actibus, quibus disponantur: ergo potiori titulo id de gratia unionis est dicendum. Si vero responderetur: D. Thom. intelligendum esse de elebatione ad aliquid, quod habeat rationem formæ, non ad aliquid quod habeat rationem termini, cuiusmodi est subsistentia divina.

39 Reponitur argumentum in existentia, quæ etiam est terminus substantiæ completivus, & nihilominus à materia prima, quæ est summa potentia, nequit fieri transitus ad existentiam, quæ est ultima actualitas, nisi media forma, quæ proportionet, & disponat, ut docent N. Compl. in Phys. disp. 3. q. 5. ergo vanus est recursus ad rationem termini. Verè urgens replica! propter quam relictæ in sua probabilitate prima solutione, facilius, & longius ab inconsequentiæ nota, erit secunda solutio, quam addit N. Paulus disparitatem exhibendo inter casus nobis oppositos, & præsentem de quo loquimur: consistitque in eo, quod in ordine ad substantiam non est quidquam, quod cum ea connectatur physicè, nec aliquod contrarium objicitur expellendum (ut constat ex dictis n. 36.) ut possit ad illam sic disponere: unde ipsa subsistentia divina per ipsammet ter-

minationem, per quam facit humilitatem subsistentem, facit etiam, illam elebando, capacem tantæ cel studinis, quod & in pueris primam gratiam recipientibus dicendum erit, licet ex diverso capite, scilicet, ex impotentia sese disponendi. Quod si loquamur de essentia divina per modum speciei, quis dubitet lumen esse optimè connexum cum ea in operando, cum sine illa illud nec illa sine illo possint operari, ac proinde posse illud ad illam apposite disponere? Si de actibus adulti, quis non videat, per ipsos expelli contrariam voluntatem incompatibilem cum gratia? Si vero de existentia, quis ignoret eam esse actum ultimum, ad quem dicit connexionem actus primus, nempè forma, quæque sic connectitur cum ea, sicut primus cum secundo? Ex his ergo sufficiens panditur disparitas, ne ad unionem hypostaticam gratia habitualis præcedat disponendo, licet ad alia dicta sua cujusque prædicta respectiva dispositio.

DISPUTATIO III.

DE ESSENTIA INCARNATIONIS.

CAUSÆ INTRINSECÆ, SIVE INTRINSECÆ PARTES (si partes dici possunt) MYSTERIUM INCARNATIONIS CONSTITUENTES SUNT PERSONA VERBI, HUMANITAS, & UNIO HYPOSTATICÆ: DE HIS TRIBUS PER SEQUENTIA AGEMUS DUBIA, POST QUAM DE EXTRINSECIS, EA QUÆ PARERAT, STATUI DISCUSSIMUS HUCUSQUE.

DUBIUM I.

IN QUO FACTA FUERIT UNIO VERBI
divini cum humanitate? Et an Christus
sit Persona composita?

CONCLUSIO I.

1 **U**nio Verbi divini non fuit facta in natura, hoc est, ex unione humanitatis cum Verbo non resultavit unica natura, sed utraque natura divina, & humana licet unitæ, distinctæ, & inconfusa permanserunt. Conclusio est de Fide contra Eutychen in pluribus Conciliis definita. Illam expressis terminis docet D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. cuius ratio ad hanc formam reducitur: nam in primis talis unitas nequit resultare ex duabus naturis divina, & humana integris, & immutatis: hæc enim unitas est minima, per accidens, similisque unitati acervi lapidum, quod absit dicere de unione hypost. Deinde nequit oriri talis unitas ex transmutatione unius in alteram naturam, nec utriusque in alteram tertiam: quia nec divina potest pati mutationem, nec humana fieri divina, nec fieri ex duabus aliqua mixta, quæ nec esset divina, nec humana, ut ex se patet. Nec tandem talis unitas potest fieri ex utraque natura, veluti ex partibus physicis, vel integralibus: quia in Christo non se habent Verbum, & humanitas veluti materia, & formæ phisicae, nec ut manus, & pedes respectu hominis: ergo nequit ex unione hypostatica unitas physica,

OPPOSITA, ET HERETICA SENTENTIA.

2 **O**bs. 1. Illud Joan. 1. Verbum caro factum est, quæ verba collata cum illis Joan. 2. Ut autem gustavit architidimus aquam vinum factam, significant naturam Verbi in naturam carnis translatam; sicut naturam aquæ in vini conversam fuisse secunda verba declarant: ergo ruit conclusio. Resp. ex contextu utriusque loci constare sensum distinctum inter ly factum, & ly factam: nam in primis per ly factam omnes intelligunt non remansisse nisi vinum: & quidem non ut iucundum laudaretur, si aquæ natura existeret permixtum. Aliunde in ly factum non possumus negare naturam permanisse divinam: inquit enim ibi n. 17. Unigenitus qui est in sinu Patris. Ex quo sequitur & Patrem, & Filium existere cum natura divina: quia si Filius solùm haberet humanam, non posset dici Filius, cum non esset in similitudinem nature à Patre natus: ergo utraque extitit, permanitque natura.

3 Obs. 2. D. N. Cyrilum Alexandrinum, qui, sicut refert Concil. Calced. act. 1. dixit: Non oportet intelligere in Christo duas naturas, sed tantum unam incarnitam Idem ait D. Athanas. (idque refert D. Cyrilus) qui lib. de Incarn. dixit: Non duas naturas predicamus in Christo: ergo unio hypost. facta est in unitate nature. Ad hoc argumentum respondet D. Thom. 3. p. q. 2. art.

1. ad 1. referens verba prædicti Concilii, quod anathematis damnat illam, qui prædictas auctoritates sic intelligat, ut unam solam admittat naturam; sed ut explicat ibi D. Thom. ita ut una sit natura unitate unionis in una Persona, non una unitate identitatis: sub quibus verbis distingui potest utraque auctoritas, & negari conseq. Quod autem fuerit mens N. Cyril. vide infrà n. 6. duas expressè naturas ipsum admittentem.

4 Obs. 3. Operationes Christi nec sunt divinæ, cùm inceperint in tempore, nec sunt humanæ: sunt enim Theandricæ, & infinitæ æstimabilitatis: ergo erunt à natura, quæ nec sit humana, nec divina: ergo hæ non permanferunt, sed tertia ex eis resultavit. Resp. operationes Christi fuisse creatas, & humanas in esse phisico, sicut principium proximum illarum; & tamen possunt divinæ nominari moraliter ob infinitam dignitatem, quam à persona recipiunt infinita. Et in hoc sensu sunt theandricæ, id est Dei viriles, quantum physicè sunt humanæ, & in æstimatione humana sunt divinæ.

SECUNDA CONCLUSIO.

5 **U**nio Verbi divini ad humanitatem facta est in Persona, ac proinde in Christo unantum est Persona cum duplice natura divina, & humana. Conclusio est de Fide, definita in conc. 1. Ephes. contra Nestor. duas admitem tem personas in Christo, habeturque expressè in D. Thom. 3. p. q. 2. art. 2. in sed contra. Prob. quia hu-

mana natura unitur Verbo Divino, ut & ipsi fatentur Hæretici; sed non in natura ut probatum est: restat ergo, quod in Persona unio facta sit.

Prob. 2. quia fieri unionem in Persona nihil est aliud (ut N. Salm. explicant hic n. 2. & 19.) quam ex unitis extremis unam Personam resultare, sed ex humanitate, & Verbo unitis unica resultat Persona: hæc minor probatur; nam Verbum unica est Persona divina; sed de hac unica Persona prædicatur tum esse Deum, juxta illud: *Et Deus erat Verbum.* (Joan. 1.) Tum esse hominem ex illo: & *Verbum caro factum est.* Id quod etiam constat ex illo: *Quem dicunt esse filium hominis?* (Matth. 16.) *Tu es Christus Filius Dei:* Ubi de unica Persona dicitur Filius Dei, & hominis: ergo in ipso Verbo veluti in unica resultante Persona uniuntur naturæ divina, & humana, cum sola harum distinctione: ergo non in his, sed in illa facta est unio hypostatica. Nec in hoc amplius immoramus, cùm contra illud nulla specialis notæ difficultas suboriatur.

CONCLUSIO TERTIA.

6 **P**ersona Christi fuit composita vera, & rigorosa compositione. Constat primò ex Concil. Constanc. 5. collat. 8. act. 4. ibi: *Sancta verò Ecclesia :: unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur.* Constat secundò ex N. Cyrilo Alex. qui in materia de Incarnatione magna pollet autoritate, nec minori in de Trinit. in cuius c. 18. sic ait: *In Christo unam Personam compofitam.*

positam colimus ex duabus naturis, humanitate solutę, & divinitate filii invicem secundum Personam initis. Constat 3. ex D. Thom. 3. p. q. 2. art. 4. in resp. ibi: *Et sic dicitur (Christus) Persona composita, in quantum unum duobus subsistit.* Constat 4. ex ratione: nam compositio est distinctorum unio; sed in Christo uniuntur humanitas cum Verbo (imò & natura humana, & divina medio Verbo) ergo resultabit vera, & realis compositio.

ARGUMENTA CONTRARIA.

7 **B**C. 1. Nulla pars prædicatur de toto composito; sed in Christo valet hæc prædicatio *Christus est Persona Verbi*, in qua Persona, quæ est unum extremum, prædicatur de toto, quod est Christus: ergo hic non est compositus. Major patet in hac prædicatione: *homo est anima*, quæ omnino falsa est: ergo vera major. Concessa hac distinguo min. quoad secundam partem: persona (quæ est unum extremum) prædicatur de toto abstractivè sumpta, nego; concretivè accepta, concedo min. & nego conseq. Est dicere, quòd, quod de Christo prædicatur, non est sola personalitas Verbi in abstracto sumpta, sic enim est pars, vel quasi pars totius Christi, est verò ipsa concretivè ad naturam, quam terminat, humanam, quo pacto totus Christus est; & nihilominus prædicta propositione non est identica dicenda, alia enim est in ipso toto expressio *Christi*, & alia est expressio *personæ*, prima enim exprimit naturam subsistentem, secunda verò subsistentiam ter-

minantem. Nec hoc est aliquod inventum, quod non passim inspicimus in hac, & similibus propositionibus: *homo est persona humana*, ubi *persona* non dicit præcisè subsistentiam, sed hanc simul, & naturam per ipsam terminatam.

8 Obs. 2. Si Christus est Persona composita, constabit partibus, una quarum erit Verbum: ergo divinitas pars esse poterit, quod negat D. Thom. in 3. dist. 6. art. 3. ad 4. Si autem Verbum non est pars, nec erit humanitas: quia nulla est pars sine parte: ergo repugnat Christum esse compositum. Solutiōnem hujus objectionis vide supra dub. 1. disp. 1. n. 10.

9 Obs. 3. Totum non distinguitur à partibus simul sumptis, ut constat ex N. Complutensibus in Phys. disp. 6. q. 4. Sed Christus non est humanitas, & divinitas, quæ sunt partes, ex quibus componeretur. Minor hæc probatur ex Concil. Constant. sess. 22. contra Joan. Us Hæreticum, cuius hanc damnavit propositionem: *Christus est humanitas, & divinitas*: ergo Christus non est totum ex eis compositum. Resp. Concessa maj. neg. min. & probationem ex Concil. explicō: Christus non est humanitas, & divinitas separatae, conciunctae in una persona, nego ant. & conseq. Hæreticus non utcumque asserebat Christum esse humanitatem, & divinitatem, sed seorsim unam ab altera; nos verò simul, & collectivè illum esse illas asserimus, atque eodem in sensu ac simil. m propositionem protulit D. Aug. in Enchirid. ca. 38. *Vtrique* *subj-*

58 Tract. VII. de Incarnatione, Disp. III. Dub. I.

substantia divina, scilicet, & humana, Filius est unius Patris Omnipotens. Et D. Leo Mag. Epist. 11. hanc: Verbum, caro, & anima sunt unus Christus. Sed replicabis, &

10 Obs. 4. Si Christus est divinitas, & humanitas, sicut de ipso dicitur, quod passus est, & mortuus, de illis etiam quod mortuæ fuit, & passæ diceretur; sed hoc de divinitate dicere nefas est: ergo ruit assertio. Resp. neg. maj. Est enim diversa suppositio, dum Christus sumitur incomplexè, ac dum complexè nominatim per partes explicatur: Primo enim modo significatur habere in se unam partem, ratione cuius passus est, & mortuus, quod verissimum est: secundo vero innuitur, quod qualibet pars ratione sui passa est, & mortua: quod oppidò falsum est. En exemplum: homo (qui est animalitas, & rationalis) sentit, & discurrit: ergo tam animalitas, quam rationalitas in ipso discurrunt: falsa est propositio in sensu saltem formalí: Idem ergo in nostro casu propter identicam rationem.

DUBIUM II.

UTRUM UNIO HYPOSTATICA SIT DISTINTA REALITER AB EXTREMIS?

NOSTRA RESOLUTIO.

11 **U**nio hypostatica distinguitur realiter ab extremis unitis. Sic plurimi, & gravissimi tam Thomistæ, quam extranei DD. Prob. 1. ex D. Thom. 3. p.

q. 2. art. 8. in corp. ubi expreſſe admittit mutationem ex unione incarnativa resultantem: quod expreſſius docet 4. contra Gent. c. 49. ad 2. ibi: Nulla enim mutatio in ipso Verbo Dei facta est, sed solum in natura humana, qua est à Verbo assumta. Ex quibus sic: Actio incarnativa est immutativa juxta D. Thom.; sed non Verbi divini, apud quod non est transmutatio (ergo naturæ humanæ); Nunc sic, sed nequit dari mutatio realis, & intrinseca, quin detur, vel recipiatur aliquid novum, & distinctum: ergo hoc erit unio realiter distincta: vel assignetur quid?

Respondebis forte sat est, si aliquod extrinsecum superadveniat connotatum. Contra: hoc connotatum nequit esse Verbum, neque Dei actio: haec enim semper sunt, & si haec sufficerent posita in rerum natura humanitate, quamvis Deus nollet, uniretur: ergo nullum est connotatum, per quod humanitas sic intrinsecè immutetur. Itaque in quacumque nova, & creata denominatione requiritur, quod vel rectum, vel connotatum immutetur, ut patet in denominatione nova Patris secundi Filij, in qua si non Pater, saltim novus Filius immutatur de non esse ad esse: idem quod & in actu libero Dei observaveris.

12 Dices forsitan extrema, connotata Dei actione unitiva ipsa se ipsis uniri. Contra: tum, quia hoc non est uniri formaliter, & intrinsece, sed unire activè, & extrinsecè. Tum quia per illam actionem unitivam quid producitur? Non Verbum, nec humanitas: ergo unio ab illis

illis distincta ; quia talis actio , ut minus erit virtualiter transiens , cui proinde assignari debet effectus , qui alius excogitari nequit ab unione.

Respondebis actionem unitivam nullum effectum producere , neque enim propriè est actio , sed pura unitio. Contra : nam visio beatifica , & sensationes sunt , vel juxta adversarios , unitivæ , & tamen ita uniunt , ut ab extremis unitis sint distinctæ. Praterea falsum est , actionem incarnativam esse puram unionem : est enim , & efficientia riguosa. Ubi enim datur verum fieri passivum , & verum facere debet admitti : sed ex actione incarnativa verè Verbum factum est , quod Verbum scilicet factum verè passivum est : ergo aliquid verum facere est ; sed non circa Verbum , quod ab æterno à se ipso est , nec humanitatem , quæ per generationem facta est : ergo circa unionem. Demum quia D. Th. 3. p. q. 2. art. 7. inquirit *an unio naturæ divina , & humana sit aliquid creatum?* Et respondet affirmativè ; sed quidquid creatum est , per veram sit efficientiam : ergo non per puram unionem , quæ nihil efficiens sit.

13 Prob. 2. conclusio : Humanitas non est essentialiter unita Verbo (imò nec subsistentiæ propriæ essentialiter unitur , cùm per divinam potentiam propria possit orbari subsistentia) ergo ut uniatur , aliquo sibi superaddito indiget informari , quod non aliud appetet nisi unio creata realiter distincta. Major est certa : quia humanitas non est actus purus. Et quidem si per se ip-

sam identificaret actum primum unibilitatis cum actu secundo unitæ , non plus potentialitatis haberet , quæ ipsum Verbum , quod absit dici.

¶ Confirmatur 1. Inter humanitatem , & propriam subsistentiam datur unio realiter distincta : ergo potiori titulo inter humanitatem , & subsistentiam divinam , quæ magis inter se distant. Ant. prob. Tum , quia nulla causa creata identificat suam causalitatem , ne sit actus purus , & infinitus sicut Deus , qui solus est sua operatio. Tum , quia partes continui uniuntur unione à se distincta , ut constat ex Philosopho , & D. Thom. per N. Complut. laudatis in Phisic. disp. 23. q. 1. ergo potiori ratione humanitas , & creata subsistentia. Patet conseq. quia partes continui sunt homogeneæ ; seu ejusdem rationis , quæ proinde majorem sympathiam habent , quæ pars etherogeneæ , quarum una per modum potentiarum , & altera per modum actus comparantur , ideoque hæ ut uniantur plusquam illæ distant inter se : ergo plus indigent unionem : ergo tenet ant.

CONTRARIA SENTENTIA.

14 D efensatur à gravissimis etiam Thomistis DD. ut Cajetano , Lisbon. Gonet N.N. Philip. & Laurent. &c. Et ab omnibus à quibus unio distincta negatur inter materiam , & formam. Obs. 1. Per id Verbum divinum unitur per quod terminat (sicut etiam forma physica per id ipsum unitur

unitur , per quod informat) sed Verbum divinum per se ipsum terminat : ergo per se ipsum & unitur. Resp. 1. negando maj. aliud est enim terminare , aliud uniri , ita ut hoc ultimum sit propter primum , hoc est , unitur Verbum , ut terminet humanitatem. Nec exemplum favet formæ , quia informare est causare , cuius causalitas est unio : Ideò forma informat per unionem ; terminare verò est complere naturam , cuius causalitas nequit esse unio , quia unio non complet , neque terminat , sed quin potius inter terminum , & terminatum mediat.

Unde juxta hanc solutionem unio hypostatica est ratio uniendi , tum verbum , tum humanitatem : quia licet Verbum divinum sit quantum est ex se ipse uniendi actus , impeditur tamen : quia ex una parte dari debet unio in humanitate , ut immutetur , & ex alia duplex unio non est admittenda : nam unio , una cum sit , est plurium conjunctio. Exemplum adest , tum in essentia divina , quæ per se ipsam terminat visionem beatam , & tamen unitur intellectui creato media intellectione ab illis distincta. Tum in Deo , qui per se ipsum terminat amorem creatum ; unio verò affectiva inter ipsum , & amantem creaturam est amor creatus distinctus ab amante , & amato : patiter ergo in praesenti.

15 Resp. 2. ex doctrina Illm. Godoy , quam non improbat. N. Salm. in praesenti n. 36. propè finem concedendo maj. & quod Verbum per se ipsum terminat , & unitur , & consequenter non esse in-

conveniens admittere duplēcēm unionem , dummodò una ab uno non distinguitur extremo , vel non detur duplex realiter distincta ab extremis ; quin obstet exemplum materiæ , & formæ , inter quas non admittimus duplēcēm unionem : quia in eis nulla identificat suam unionem , & aliàs una sufficit ut conjugat duas , atque immutet. Exemplū sume ex suprà relata paritate : quia non obstante , quòd causa efficiens , & finalis dum creatæ sunt , per unicam se exerceant causalitatem , scilicet amorem , nihilominus tamen dum finalis est divina , duplex causalitas admittitur , alia indistincta ab ipso Deo , qui per se ipsum movet ad amandum , alia , scilicet amor , distincta à voluntate , quæ efficienter concurrit ad amorem. Sed replicabis , &

16 Obs. 2. Verbum divinum per se ipsum est actus purissimus : ergo per se ipsum identificat actum se uniendi , sed hoc ipso quòd per se ipsum uniatur , etiam humanitas consideratur unita : quia implicat unum extreum esse cum altero colligatum , & quòd alterum non sit etiam cum ipso reciprocè connexum : ergo superfluit unio ex parte humanitatis , & consequenter non dabitur distincta ab extremis saltem duabus. Hoc argumentum exemplò corrigit stando primæ solutioni , in qua diximus Verbum divinum non per se ipsum , sed per unionem humanitatis cum hac uniri. Quomodo vero Verbum exerceatur per unionem creatam ? Vel quomodo quid creatum sit ratio formalis uniendi , quin im-

immutet Verbum? Difficultas est, quæ ut vitetur, cum innumeris, quæ ex ejus positione resiliunt implexis instantiis, atque replicis, trahit nos, ut secundam in praxi sequamur thesium defensandi, quippe quæ facilitius, & felicius caliginosas argutatones inde oriundas solvit, & disspellit, dicendo Verbum divinum per se ipsum esse unionem, ast non tam, ut actu uniens sit, nisi connotata unione creata humanitatis cum ipso: Unde non ex eo præcise, quod ipsum uniatur cum humanitate, ista est unita, sed quinimò ex hoc quod ista connotetur unita, Verbum per se ipsum cum ipsa unitur.

17 Obs. 3. Subsistentia creata unitur propriæ naturæ sine unione distincta: ergo etiam increata naturæ humanæ. Ant. prob. tum, quia subsistentia nullam exercet causalitatem in naturam: tum, quia alias etiam existentia uniretur per aliam unionem, sive sine necessitate multiplicarentur entitates: ergo tenet ant. Resp. 1. permitendo antecedens, neg. conseq. ob majorem homogeniam, & proportionem, quam habet cum natura subsistentia propria, quam aliena. Resp. 2. negando ant. cum sua probatione; tum, quia nec partes continui exercent aliquam causalitatem; & tamen uniuertur unione ab ipsis distincta, ut supra dictum est. Tum, quia licet subsistentia non exerceat causalitatem; natura verò illam exercet subjectivè eam recipiendo. Tum, quia etiam subsistentia habet suum quale quale exercitium terminandi, quod causalitas terminativa nuncupari po-

test. Ea propter negatur ant. secundæ probationis: quia nullum recognoscitur inconveniens in eo, quod sicut subsistentia, ita & existentia sua quoque respectiva, atque distincta unione uniatur naturæ subsistenti.

18 Obs. 4. Sequitur 1. ex conclusione unionem distinctam esse substantialem: quia pertinet ad constitutendum compositum substancialē: Et itidem non esse substantialem: quia potest adesse, & abesse absque subjecti corruptione. Sequitur secundū etiam esse supernaturalem, ut supponitur, & non esse: est enim respectus transcendentalis humanitatis ad Verbum, & respectus transcendentalis ad distinctionem prædicamentalis non distinguitur à subjecto respectivo, quod in præsenti est humanitas naturalis; sed hæc implicatoria nequeunt admetti: ergo nec conclusio ex qua sequuntur.

Resp. negando utramque sequelam, & ad primam dicimus unionem esse substancialē, non accidentalem: accidens enim sequitur ad ens jam constitutum in actu existentiali; & non sufficit subsequi ad actum puræ naturæ, qualiter unio præsens afficit humanam: quo in sensu intelligenda est absentia, & præsentia accidentis in subjecto, id est, illud esse accidentale, quod abest, & adest, ei jam completo, & existenti, quod non verificatur in unione. Ad secundam respondetur unionem de qua loquimur esse entitatē supernaturalem. Hæc autem supernaturalitas, sicut, & respectus transcendentalis non subjectatur immedia-
tè in humanitate, sed in entitate
unio-

unionis: & quando res aliqua respicit transcendentaliter aliquid medio aliquo à se distincto, ut in præsenti sit, non inconvenit, quod talis respectus distinguitur à respiciente transcendentaliter aliquid: quia sicut id, per quod respicit, distinguitur ab ipsa, ita & respectus ipse debet distingui.

19 Obs. 5. Si Pater assumeret eandem naturam humanam ac Verbum (quod ut possibile disputatio sequenti defensabimus) unio illius cum illo non esset distincta ab extremis unitis: ergo nec unio Verbi. Ant. probatur: talis unio si esset distincta ab extremis, distinguetur etiam ab unione præexistente cum Verbo (quia si non distinguetur, nullum extremum immutaretur per novam incarnationem) sed hoc nequit dici; minor hæc probatur: non esset distincta numero (alias duo modi numero distincti in eodem recipentur subjecto, quod repugnat) sed neque specie distingueretur: sequeretur enim unam unionem non esse alia perfectiore, quod absit (species enim sunt sicut numeri se omnes excedentes) ergo neque numero, nec specie: ergo nulla esset talis unio. Quod autem una unio non esset alia perfectior in specie patet: quia nec una persona est alia perfectior, nec personæ dicunt perfectionem nisi naturæ, quæ eadem esset in utraque assumptione: nec demum humanitas majorem huic, quam illi unioni tribueret perfectiōnem: ergo una unio ex dictis non esset alia perfectior: restat ergo quod excludatur omnis unio ab extremis

realiter distincta, ne inauditum incidamus assertum dari, scilicet duas uniones nec numero, nec specie diversas inter se.

Missis variis discurrendi modis, respondeatur cum N. Salmant. hic n. 51. quod tali in casu destructa prima unione, per aliam de novo productam, numeroque à prima distinctam uniretur humanitas duabus personis, cuius subjectum, scilicet humanitas, licet materialiter esset idem, esset verò in esse subjecti formaliter diversum per connotationem diversarum personarum: haud fecus quam in conversione Eucharistica idem numero Corpus Christi per connotationem diversarum specierum, & actionum est subjectum formaliter diversum plurium conversionum distinctarum numero.

INQUIRES.

20 An unio hypostatica maxima sit unionum tam in ratione unionis, quam perfectionis? Resp. affirmativè quoad utramque partem. Ratio primæ est; quia persona Verbi est quasi medium, in quo uniuntur naturæ divina, & humana; sed hoc medium ex una parte simplicissimum est, & ex alia indistinctum ab una ex duabus naturis unitis: ergo unio naturarum maxima est; sed nec minor humanitatis unio cum subsistētia divina, cùm ex illa resultet unum per se, & taliter unum, quod nec partes rigorosè sumptas admittat: Subsistētia enim divina pars esse non potest; si autem illa non est pars, nec humanitas erit: quia non datur

datur pars sine compare. Ex quo sequitur, quod sub unione divina inter essentiam, & divinas Personas alia strictior, quam hypostatica ex cogitari nequit: sed quid mirum, si unio essentiæ cum Personis non tam est unio, quam unitas ipsarum cum natura?

21 Ratio secundæ partis est: quia unio hypostatica excedit gratiam habitualē: ergo excedit etiam quamcumque creatam, & creabilem unionem. Consequentia patet: quia gratia excedit omnia accidentia supernaturalia, immo & substantiam naturalem: ergo excedit etiam quamcumque unionem. Ant. prob. illud est perfectius, quod intimius conjungit cum Deo creaturam; atqui hoc facit unio hypostatica: nam gratia solūm accidentaliter; unio vero hypostatica etiam substantialiter adhærere facit Deo creaturam. Item gratia solūm facit ipsam possidentem filium adoptivum Dei, unio vero hypostatica etiam Filium facit naturalem; ergo potior, perfectior, excellentiorque omnibus unionibus, tum naturalibus, tum supernaturalibus unio est hypostatica. Unde dixit D. Thom. 3. p. q. 7. art. 13. ad 3. *Gratia unionis non est in genere gratia habitualis, sed est supra omne genus, sicut & ipsa Divina Persona.*

22 Obs. illud Psalm. 110. Memoriam fecit mirabilium suorum: super quæ D. Aug. ait: *Cum sit Deus Omnipotens plus dare non potuit: cum sit Sapientissimus, plus dare nescivit: cum sit Difitissimus plus dare non habuit.* In quibus uterque penitens Psaltes, & Doctor loquuntur de Eucharistiæ Sacra-

mento: ergo hoc excellentius est donum, quam unio hypostatica. Resp. quod, & hoc donum habet suam excellentiam in unione hypostatica fundatam: si enim Christus non esset Deus, nec id dare posset Deus, quam dat in Eucharistia. Unde si præscindatur ab Incarnationis beneficio, Eucharistia non est dignior; quia in illa solūm elevatur homo ad esse divinum per participationem, & per accidens, hoc est per gratiam habendum, esseque Filium adoptivum Dei; per Incarnationem vero elevatur homo ad esse substantiale divinum, esseque Filium Dei naturalem, quod longè majus est. Loquuntur ergo uterque Sanctus Pœnitens de Eucharistia concretivè ad Incarnationem, non præcissivè ab illa.

D U B I U M III.

AN DIVINUM VERBUM TERMINAVIT Humanitatem immediata per ali quid absolutum?

RESOLUTIO NOSTRA.

23 **E**ST negativa: affirmat verò, quod per subsistētiā relativam Verbum Humanitatem terminavit. Prob. 1. ex Concil. Tolet. 6. & 11. ibi: *Solus tamen Filius suscepit Humanitatem in singularitate persone:: Id est in eo quod proprium est Fili, non quod commune est Trinitati.* Prob. 2. ex D. Thom. 3. p. q. 3. art. 2. ibi: *Esse terminum assumptionis non convenit divine nature secundum se ipsum, sed ratione Persona, in qua consideratur.* Et ideo primi quidem

64 Tract. VII. de Incarnatione, Disp. III. Dub. III.

prop̄iissimè Persona dicitur assumere , secundariè autem potest dici , quid ei in natura assump̄it naturam ad sui Personam . Quid exp̄resius ? Et tamen Illust. Godoy cum aliis tenet totam Personam Verbi ex relativo constitutam terminare primariò Humanitatem , ita ut hæc priùs habuerit à subsistentia divina absoluta perfeitatem independentiæ , & dein à relativa perfeitatem incommutabilitatis . Durandus verò , Sotus , & alii tenent , terminum primarium esse subsistentiam absolutam , cum hac differentia , quid Durandus ponit subsistentiam absolutam absoluēt ; alii verò absolutam , ut modificatam per relativam , haud secūs quām potentia generativa secundum se considerata in tribus est divinis Personis ; si verò , ut generativa reflectatur , in Patre solū datu : sic enim modificatur per Paternitatem . Omnes tamen hi opinandi modi manent ex ratione sequenti damnati .

24 Prob. 3. ratione : Si Verbum divinum terminaret Humanitatem per quid absolutum , omnes quoque Personæ divine incarnarentur ; sed hoc est hæreticum : ergo omnino rejiciendum id , ex quo sequitur . Sequela probatur : quia omne prædicatum absolutum est æquè proprium omnium , ac uniuscujusque Personæ : ergo si ratione prædicati absoluti terminaretur Humanitas in Verbo , nedum hoc , verum & Pater , & Spiritus S. carnem sumerent . Hac enim ratione omnes Personæ dicuntur concurrere ad operationes ad extrā : quia scilicet ratio proxima illarum eliciendi est ab-

soluta æquè propria unius , ac omnium communis . Quam doctrinam in pauca collegit D. Thom. supra laudatus ad 2. ibi : Ad secundum dicendum , quid illud , quod convenit naturæ secundum se , convenit trilus Divinis Personis , sicut bonitas , sapientia , & huiusmodi . Sed assumere convenit ei ratione Personæ Verbi , sicut dictum est : Et ideo soli illi Personæ convenit .

ARGUMENTORUM SOLUTIO.

25 O Bf. 1. Natura divina est quid absolutum , communeque tribus Personis : & tamen ipsa , licet ad intra communicetur Filio , non huic communicantur Paternitas , & passiva spiratio : ergo ratio nostra infirmatur . Resp. negando conseq. & paritatem : nam in casu argumenti adhuc communicata natura divina Filio , restat vis , & resistentia ex parte Paternitatis , & Spirationis devincendæ ratione incommunicabilitatis reciproca Personæ cum Persona : quæ difficultas deest in casu conclusionis in qua communicata natura divina non repugnat quid , & tres Personæ communicentur , atque simul tres eandem naturam terminent Humanam , ut in sequenti dicemus disputacione . Sed replicabit , &

26 Obs. 2. Defacto natura divina communicatur saltim mediately humanitati , & tamen cùm sit absoluta , non sequitur Trinitatis Incarnatione ; ergo neque id ex communicatione sequeretur immediata : quia non minus communis est natura divina Trinitati , ut communicata me-

mediatè , quām immediate unita. Resp. concessis maj. & min. negando conseq. & parit ; & stat discrimen in eo, quòd quando natura communicatur mediatè , hoc est, mediante Personalitate Filii , jam humanitas supponitur adæquatè , & primariò terminata per subsistentiam relativam Filii : & solùm desideratur natura ut complementum , seu constitutivum Personæ Verbi , ad quod complementum nullo modo pertainent reliquæ Personæ ut tales , cùm quin potiùs oppositionem dicant cum Persona tali. Si verò natura communicaretur immediate , ipsa esset terminus per se , & formalis illius , ac per consequens omnes Personæ æquè terminarent , cùm omnes æquè in tali natura convenirent , & aliàs Humanitas non esset adæquatè terminata per naturam , vel ejus subsistentiam absolutam , & sic esset locus ad ulteriore terminationem adæquatam habendamque per tres existentias relativas : Undè sequeretur Trinitatis incarnatio. Sed replicabis , &

27 Obs. 3. Falsum est , quòd natura divina , si communicaretur immediate , tota Trinitas incarnaretur: ergo ruit & solutio immediate data , & ratio conclusionis. Prob. ant. Si natura divina communicaretur immediate Humanitati , Personæ divinæ solùm mediatè , & per concomitantiam cum natura communicarentur ; sed si solùm per concomitantiam communicarentur , non incarnarentur , sicut defactò : quia per concomitantiam cum Filio communicantur , non incarnantur : ergo tenet antecedens. Quòd itidem patet in Eucharistia ,

Tom⁹ II.

ubi Personæ Patris , & Spiritus S. non dicuntur terminare actionem conservativam : quia solùm adstant per concomitantiam cum Persona Filii , quæ per unionem immediatam cum humanitate ibi ponitur.

Resp. negando ant. & concessa majore probationis , negando min. hoc enim ipso quòd natura per se primò uniretur , & terminaret , etiam Personæ per se secundò unirentur , & terminarent : quia committantur naturam non utcumque , sed tamquām quid pertinens ad constitutionem Personarum : undè ipsa communicata , & ipsæ per concomitantiam communicantur ; at in exemplo communicationis præsentis non dicuntur Personæ communicari per concomitantiam propriè , sed propriùs per circumfessionem , qualiter dixit Christus Philipo esse Patrem in Filio , & Filium in Patre : quia licet se vere , & mutuò committentur Personæ ; non tamen una tamquām quid pertinens ad constitutionem alterius , cùm longè à constitutione mutua , mutuam præferant oppositionem: idèo ergo defactò tres Personæ non incarnantur ; sed & hæc est ratio quare nec in Eucharistia sunt Personæ Patris , & Spiritus S. per concomitantiam ; sed solùm per circumfessionem cùm tamen anima , subsistentia Verbi , ejusque divinitas per concomitantiam adsint : quia scilicet hæ ad constitutionem pertinent Christi , quòd non verificatur de reliquis Personis.

28 Si autem quæras ; an communicata immediate subsistentia Dei absoluta humanitati , posset huic

E com-

communicari subsistentia creata , ut tribueret ei perseitatem incomunicabilitatis? Resp. negativè : Tùm, quia hoc ipso quòd communicaretur subsistentia absoluta per se primò , haberet Humanitas perseitatem independentiæ , quæ est effectus primarius subsistentiæ , ad quem necessariò sequeretur secundariò perfeitas incomunicabilitatis ratione Personarum, quæ subsistentiam committantur absolutam, tamquàm quid ad ipsarum constitutionem pertinens: undè nullus effectus tribuendus esset per creatam subsistentiam. Tùm, quia repugnat , quod aliqua forma communicet suum effectum secundarium, quin priùs communicet primarium; si autem humanitas terminaretur immediatè per subsistentiam Dei absolutam , haberet jam effectum primarium subsistentiæ , quæ est perfeitas independentiæ : & solùm posset subsistentia creata communicare secundarium , qui est incomunicabilitas , sine primario , quod repugnat.

29 Obs. 4. Si per relativam filiationem terminaret Verbum Humanitatem , communicaret huic esse Filiam Dei, cùm omnis forma communicet subjecto suum effectum formalem ; sed humanitas Christi nequit juxta commune placitum DD. dici Filia Dei (& si hoc ita esset, non conveniret Christus univocè cum aliis hominibus , cùm prout sic sit Persona relativa , & cæteri sint homines absolute) ergo Verbum non terminat per filiationem relativam.

Resp. negando sequelam: nam sicut actiones sunt suppositorum , &

non præcisè naturæ , qua ratione Pater dicitur generans , non verò natura divina , sic etiam passiones: undè sicut ad intra natura divina Filii non dicitur Filia , sed Verbum dicitur Filius , sic ad extra non natura humana nudè sumpta denominatur Filia , sed natura adjuncta subsistentiæ relativæ Filii , quo pacto est Christus , qui dicitur Filius: Ad id quod tangitur de convenientia univoca , dicimus , quòd si reflexio fiat supra rectum Personæ , sic non convenit univocè Christus cum cæteris hominibus , non enim Persona divina cum humana univocari potest ; si verò fiat supra Christum in ratione hominis , sic univocatur : quia tunc reduplicatur supra Humanitatem , quæ ejusdem est speciei , ac in omnibus hominibus.

30 Obs. 5. Effectus primarius subsistentiæ terminantis Humanitatem est huic dare perfeitatem independentiæ : sed hunc non communicat subsistentia relativa : est enim proprius subsistentiæ absolute : ergo primariò terminans Humanitatem non relativa , sed absolute est subsistentia. Concessa maj. dist. min. hunc non communicat subsistentia relativa sub ea ratione ac subsistentia absoluta , conc; sub diversa , nego min. & conseq. Utraque subsistentia , & absolute , & respectiva communicant Humanitati perfeitatem independentiæ , secus verò & secus: nàm una relativam , altera absolute communicat perfeitatem , & ex his relativa constituit Personam , absolute verò constituit Humanitatem proximè receptivam existentiæ.

Obs.

31 Obs. 6. Id, quod terminat in Christo Humanitatem, sufficitur pro subsistentia creata, illamque continet eminenter; sed hoc non verificatur de subsistentia relativa Filii: quia continere eminenter est perfectio, & subsistentia divina relativa non dicit perfectionem: ergo nequit hæc pro creata subsistentia suffici. Resp. dist. maj. sufficitur, & continet adæquate, nego; inadæquate, conc. maj. & dist. minoris probationem: non verificatur de subsistentia relativa Filii adæquate, conc; inadæquate, nego min. & dist. imbibitam: continere eminenter id, quod exprimit perfectionem, est perfectio, conc: continere id, quod implicitè dicit perfectionem, subd. est perfectio implicita, conc; explicita, nego imbibitam, & conseq.

In subsistentia creata est duplex conceptus, alter formalis, & primarius, qui est terminare naturam, & constitutere Personam: & quantum ad hunc, continetur in divina subsistentia relativa, à qua suppleri potest: quia secundum illum explicat perfectionem. Est & alter conceptus materialis, & secundarius, scilicet, entitas absoluta, quæ aliqualem dicit perfectionem, sicut omne ens absolutum: hic tamen conceptus de materiali se habet ad rationem subsistentiæ, & ideo non opus est suppleri per subsistentiam relativa Filii, quæ quidem licet sub explicito subsistentiæ non dicat perfectionem, illam tamen habet ratione naturæ secum identificatæ, sicut nec subsistentia creata est perfecta secundum expressionem subsistentiæ, sed

ratione entitatis identificatæ sibi.

QUÆRES I. INCIDENTER.

32 **A**N Verbum divinum super pleverit existentiam creatam per divinam existentiam? Resp. affirmativè cum omnibus Thomistis, & probatur ex Sophronio à Patribus in 6. Sinod. generalis laudato, act. 11. in cuius Epist. sic dicitur: *In Verbo, & non in semetipsa habuit (Humanitas) existentiam unam.* Idem docet D. Thom. 3. p. q. 17. art. 2. in *sed contra*, ibi: *Si ergo in Christo essent duo esse, & non tantum unum, Christus esset duo, & non unum.* Et in corp. *Impossibile est, quod unius rei non sit unum esse.* Ex quibus ratione sic prob. repugnat unam Personam per plures existere existentias juxta D. Thom. ergo in Christo una tantum admittenda est; sed hæc non est creata, alias (quod absit) divina Persona per creatam existeret existentiam: ergo divina est, & conclusio vera. Prob. 2. quia per existentiam constituitur res & ens in actu ultimo: ergo non posset Humanitas, si haberet propriam existentiam, elevari ad subsistentiam Verbi, cùm jam esset ultimo actu terminata: cui Catholica resistit Fides. Nec est recursus ad existentias partiales divinam, & humanam propter ea, quæ docent N. Comp. abrev. in de Generat. disp. 15. q. 4. Et quia divinitas pars esse non potest.

33 Prob. 3. Ex distinctione reali inter subsistentiam, & naturam creatam inferimus hanc posse ab illa denudari, & terminari per divinam; sed æquè jux-

ta nostram sententiam distinguitur à natura creata ejus existentia: ergo poterit ab hac separari, & terminari per divinam. Item, subsistentia intimior, & immediatior est essentiæ quām existentia, cùm sit ratio recipiendi hanc, & tamen potest à natura creata separari, & suppleri per divinam: ergo potiori titulo existentia. Demùm, subsistentia est modus diminutus: existentia verò est entitas, ut docent laudati PP. n. 11. & 24. Sed ex natura sua separabilior est una ab alia entitate, quām modus à re modificata: ergo si subsistentia est separabilis, & existentia: ergo non repugnat ex capite inseparabilitatis (ad quod recurrent adversarii) quòd Humanitas Christi per existentiam divinam terminetur. Sed

INQUIRIES 2.

34 An existentia divina posít ad extra communicari, non communicata subsistentia divina? Respondeatur affirmativè, & hoc licet humanitas non retineat connaturalem subsistentiam, sed omni prorsus careat subsistentia. Prob. ratione: quia sicut se habet inhærentia ad accidentis existentiam, sic se habet subsistentia ad existentiam substantiæ; sed accidens potest habere existentiam sine actuali inhærentia, ut probat mysterium Eucharisticum: ergo substantia, scilicet humanitas Christi, poterit divinitus absque ulla subsistentia habere divinam existentiam.

¶ 2 Et nonne, (inquires 3.) tres tunc Personæ dicerentur incarnatae? Cum distinctione respondetur, quòd

si natura creata privata propria subsistentia uniretur existentiæ divinæ, tota Trinitas diceretur incarnata: quia ex una parte existentia divina est prædicatum absolutum, & tribus commune Personis, & ex alia natura creata careret ultimo complemento in linea subsistendi, qua de causa non impediretur assumi, & compleri à divinis Personis; si verò naturæ humanæ jam personatae uniretur divina existentia, nullatenus Personæ dicerentur incarnatae ob impedimentum, quod objiceret Persona humana, ne à divinis assumetur, & iterum compleretur: undè tunc istæ ad summum unirentur mediætè, & materialiter non absimili modo ac intellectus noster unitur mediante anima corpori, cui nullum effectum communicat, sed solùm habet ad illud unionem, vel assistentiam materialem, & mediatam.

DUBIUM IV.

AN VERBUM DIVINUM ASSUMPSE RÉ
omnem Sanguinem?

35 E Girimus jam de Persona assumpta sermo est. Et quidem hanc fuisse Corpus, & animam, quæ sunt partes substanciales: & itidem caput, pectus, cor, pedes, manus &c. quæ sunt partes integrales, indubium est; pro quo vide D. Thom. 3. p. q. 5. art. 1. 2. & 3. Quærimus sub nomine sanguinis, de quatuor corporis humoribus, scilicet sanguine, flammavili, (id est colera) atra-vili, (hoc est, melancolia) & pituita, (seu phleg-

phlegmate) & quidquid de primo fit dictum, de tribus sequentibus intellige dicendum.

Pro quo nota, sanguinem in duplice considerandum esse statu: in primo non satis decoctum, nec purificatum à nutrimentali forma, ideo nutrimentalis nuncupatur; in 2. dum jam purificatus, & decoctus in formam transit aliti, naturamque viventis, qui idcirco naturalis dicitur. De hoc autem ultimo citra dubium est apud omnes Theologos, (uno dempto Durando) quin à Verbo assumpsitus fuerit: est enim pars integralis, sicut alia membra corporis humani, & ex contrario sequeretur, quod in consecratione Calicis, in qua directè ponitur sanguis, vel non poneretur Verbum divinum; quia non habet connexionem substantialem cum eo, quod non assumpsit; vel non poneatur ea connexione, qua ponitur in Hostiæ consecratione, sed per accidens: quia accedit Corpori ille sanguis, qui habet aliud suppositum, à quo substatetur, quod nefarium est. Sed

36 Obs. illud axioma Theologicum ex Damasc. desumptum: *Quod Verbum semel assumpsit, numquā dimisit;* sed defacto sunt multæ in multis Orbis partibus portiones Christi sanguinis, quas commune est Theologorum placitum non esse reunitas Corpori Christi: ergo eas, & consequenter omnes non assumpsit. ¶ Et quidem si sanguinem assumpsisset naturalem, sequeretur, quod hic in Passione Domini in tot divisus partes, cum totidem unionibus uniretur Verbo, quod proinde cum illo di-

funderetur, divideretur, pulveri misceretur, atque ab omnibus turpiter conculcaretur, quod incredibile videtur.

Hæc objectio olim ita PP. Minoris, & Dominicanos discriminavit, ut Pius II. pro bono pacis præceperit, ne sententia Minorum afferentium in triduo mortis Sanguinem Christi non fuisse unitum Verbo, ut hæretica proscriberetur: licet alias à permultis ut tenuè probabilis oppidò censuretur. Est verò sententia afferens unionem cum Verbo in illo tempore expressa in D. Thom. quodlib. 5. art. 5. ubi ait: *Manifestum est, quod sanguis in Passione effusus, qui maximè fuit salubris, fuit divinitati unitus.* Quæ doctrina à nonnullis per Clem. VI. diffinitam fuisse dicitur: pro quo vide N. Salm. hic n. 6. & 36. & Gonet. disp. 9. à n. 161.

37 Resp. ergo 1. cum N. Salm. n. 43. valde esse probabile sanguinem, vel fortè tinturam illius, qui in instrumentis Passionis appareat, vel etiam in spinis, sindone, & Sudario in aliquibus Ecclesiis reservatis, non esse naturalem, sed purè nutrimentalem, si qua tamen admixta fuerit olim pars naturalis, hanc in Resurrectione Christi fuisse illi restitutam, & unitam. Resp. 2. ex ipsis n. 19. & Gonet, Contens. & aliis prædictum axioma intelligendum esse de partibus principalibus, vel de notabili illarum parte; Sanguis autem est pars sit principalis, partes verò hujus partis, quæ reliæ fuerunt, & impressæ in præfactis instrumentis, sindone, & Sudario, non fuerunt in quantitate copiose, sed

quin potius paucæ, & minutissimæ: quæque per qualitatem coloris, plūs quām per quantitatem mollis demonstrant Fidelibus earum nobis salubrem effusionem, & concilient in se nostram devotionem.

Si verò alicubi aliqua notabilis portio sanguinis ostendatur, ut in ampullis vitreis Mantuæ reservati, & locorum alibi retenti, habendus est sanguis juxta D. Thom. quodlib. cit. 5. non ut realiter sit Christi, sed à Deo productus, ex Imagineque efluens in speciem, & repræsentationem veri sanguinis, haud secùs quām ex Imaginibus, vel hostiis consecratis, si quando sacrilegè percussæ sunt, sanguis largè fuit disjectus, quām tamen credibile non est, verum esse sanguinem, nec ex venis Christi illo descendisse, sed meram veri sanguinis speciem, vel imaginem.

38 Obs. 2. Si sanguis Christi est pars integralis, sequitur 1. esse partem actualem contra D. Thom. qui 3. p. q. 31. art. 5. ait: *idè non debuit Corpus Christi formari de carne, vel de ossibus Virginis, sed de sanguine, qui non dum est actu pars, sed potentia tantum.* Secund. ponit sanguinem in consecratione panis ex vi verborum, sicut totum corpus, & una ex ejus partibus, quod negant omnes: ergo non est pars integralis, nec proinde vera conclusio. Hæc, & aliæ objectiones potius ad Philosophiam, quām ad hunc pertinent locum: pro illis vide N. Complut. abrev. in de Anima disp. 5. à dub. 1.

Et nihilominus ad primum ex D. Thom. resp. sanguinem dici partem in potentia respectu solidioris partis

carneæ, quatenus post tractum temporis, variasque elaborationes naturales, fit etiam ipse sanguis, caro, vel alia durior, & perfectior pars, & tunc dicitur actu pars: quia ad ulteriore non tendit, neque appetit majorem perfectionem. Ad secundum respondeatur, quod licet sanguis sit pars corporis, non ponitur ex vi verborum: *Hoc est enim Corpus meum.* Hæc enim verba directè tendunt ad corpus secundum partes solidas ponendum: & idè ad panis soliditatem diriguntur, & solùm indirectè ratione unionis trahuntur illò partes fluidæ sanguinæ, quæ quia tales sub speciebus vini, licoris fluidi ponuntur directè in consecratione Calicis, in qua etiam ratione unionis partes solidæ corporis ponuntur indirectè.

39 Quæres 1. quid dicendum de sacro illo præputio, & sanguine effuso in Circuncisione Domini, si fortè nunc extat, de quo dubitat Inocent III. lib. 4. de Myst. Miss. cap. 20. Resp. (supponendo, quod Christo nihil in præsentiarum deest, nec præputii, nec sanguinis ad ejus integratatem attinentium) exillem illam pelliculam, & sanguinis guttulas effusas assumptas quidem fuisse, sed & dimissas in circuncisione, quippequæ decursu temporis jam fuere suffictæ, & minimè ad ejus perfectionem nunc temporis necessariaæ. Sic N. Salm. h. c. n. 47. ¶ Quæres 2. quid de capillis, unguibus, & dentibus? Resp. ex ejisdem n. 58. & ex N. Complut. citatis, & has partes Christi assumptæ: sunt enim ad integrat-

tem substantialem corporis humani pertinentes , animaque saltum , qua vegetativa est , informatæ , atque ideo viventes. Dubium ergo circa sanguinem , & reliquos tres humores supradictos , nutrimentales , & imperfectos restat decidendum. Pro quo sit

NOSTRA RESOLUSIO.

40 **V**erbum divinum non assumpsit sanguinem nutrimentalem. Ratio prima , quia hic humor non est pars integralis corporis humani , neque per animam informatus rationalem: ergo non eum assumpsit. Ant. prob. quia nullus humor est pars , nec informatus anima , nisi qui media nutritione acquiritur ; nutritio autem non fit , nisi præcedat perfecta alimenti decoction , quam in sanguine nutrimentali supponimus non adesse: ergo talis sanguis non erit pars , nec informatus , & consequenter nec à Verbo assumptus.

Ratio 2. quia sequeretur , Verbum duas assumpsiisse naturas specie distinctas , scilicet & humanam , & sanguineam , cùm hæc quatenus nutrimentalis per distinctam formam informetur , ac illa. Ex quo iterum sequeretur , quod & sanguis nutrimentalis poneretur ex vi Verborum in consecratione : quia licet diversæ sit naturæ , ac naturalis , cùm tamen omnem sanguinem hypostaticè Christo unitum , in Calice ponendum confiteri teneamus , sequitur &c. quod rationem refutit Vide pro his laudatos Complut

abrev. Lege etiam D. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. Et quodlib. 5. art. 5. ibi: *Cum ergo Christus ante Passionem comederet , & biberebat , nihil prohibet in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem , qui ad veritatem (intende) humana naturæ non pertinet , & quem non opporteret in resurrectione ad Corpus ejus redire* Vide etiam illum ad Anibal eadem distinet. & quæst. art. 1. ad 1.

41 Contrariam tenent sententiam plures Juniores , quatenus ex una parte afferunt nullum sanguinem , vel naturalem , ad integratatem Corporis humani pertinere; omnem vero vel nutrimentalem assumptum esse à Verbo ex speciali privilegio , ut esset dignum humanæ redemptionis præsumptum. Una eorum ratio potest esse : quia verba consecrationis eundem nunc effectum causant , quem in Cœna Dñi. causavere: sed tunc temporis nulli dubium est positum fuisse in Calice omnem sanguinem etiam nutrimentalem : quia Corpus qualiter erat , & in quantum continebat , fuit ibi possum : ergo & cum sanguine nutrimentali , quem in se tunc continebat. Dist. maj. eundem effectum substantialem , conc; accidentalem , nego maj. & dist. min. In Cœna Domini positus fuit sanguis nutrimentalis accidentaliter , conc; essentialiter , nego min. & coseq. Sanguis nutrimentalis non est de substantia , nec in præsenti necessarius ad Corporis Christi consistentiam : ideo nec illum habet Corpus ejus , nec in Consecratione nunc ponitur ; fuit vero tamquam pars accidentalis , &

vialis ad substantialem in nocte Cœnæ , & ideo tunc hæc pars ponetur in consecratione accidentaliter, quod minimè obstat nostræ conclusioni : nam quod accedit nostræ naturæ , Verbum divinum non assumptis essentialiter , sed ad summum accidentaliter.

DUBIUM V.

*AN PARTES HUMANITATIS PRIUS, UT
quod assumpta fuerint, quam Humanita-
tas ipsa.*

42 **Q**uæstio herclè hinc implexa ! hinc verò parum utrius ad profectum Scholasticorum ! sed & inutilis ad instructionem animarum , ad quam totus noster collimat labor scholasticus ! Ideo brevi vacabimus ab illa. Ut certum supponimus Humanitatem priusquam partes assumptam esse à Verbo ordine intentionis , ut exprimit D. Thom. 3. p. q. 6. art. 5. in corp. ibi : *Munificum est, quid secundum intentionem prius est completum, quam incompletum, & per consequens totum, quam partes.* Totum autem & completum assumptum est humanitas: ergo præcedit hæc partes ordine intentionis. Itidem ut indubium habemus, Verbum divinum unico temporis instanti assumpsisse materiam, animam , & Humanitatem ; qualem verò ex his prius natura , ordineque operationis ; qualemve ut quod , quem verò ut quo, respondeat breviter (missis ambagiosis discurrendi viis) præsens

NOSTRA CONCLUSIO

43 **A** Nima Christi prius quam Humanitas prioritate naturæ , & in executione fuit assumpta ut quod à divino Verbo. Prob. 1. ex D. Aug. in lib. de Agone Christiano c. 18. ibi : *invisibilis, & incom-
municabilis veritas per spiritum animam, &
per animam Corpus, & sic totum homi-
nem assumpsit.* Ubi ut vides , prius anima , quam corpus , & consequenter quam humanitas à Verbo divino fuit assumpta , in quantum capax est, ut assumatur ; sed capax est subsistendi ut quod : ergo prius ut quod assumpta est ad subsistendum.

Prob. 2. ex D. Thom. qui loquens super his Augustini verbis 3. p. q. 6. art. 5. ad 1. ita concludit: *Et sic assumptio partium est prior via operationis intellectu, non tempore.* Nunc sic; sed hoc nequit intelligi de materia prima , quæ una est partium : est enim incapax subsistendi ut quod : ergo de anima. ¶ Parificatur: Verbum divinum eundem servat ordinem in assumendo , ac subsistentia connaturalis in terminando ; sed subsistentia connaturalis prius ut quod terminat animam rationalem , quam humanitatem : ergo Verbum prius ut quod assumpsit eam. Prob. minor, tūm ex D. Thom. 1. p. q. 76. art 1. ad 5. Tūm ex N. Complut abrev. in de Anima disp. 15. q. 1. & 2. Tūm ex ratione : nam anima potest per se existere : ergo & subsistere ; (subsistentia enim est ratio recipien- di existentiam) sed prius existit, quam humanitas : quia ante hanc

ter-

terminat actionem creativam: ergo & assumptivam à Verbo.

OPPOSITA SENTENTIA.

¶ 44 **D**efenditur à pluribus ex omni Schola. Pro quibus obs. 1. illud Joan. passim repetitum: *Et Verbum caro factum est*, & illud Symboli: *Et Homo factus est*. Ubi non dicitur, Verbum animatum, vel animam fuisse factum, sed carnem, & Hominem, in quo Humanitas significatur: ergo hanc, non illam priùs assumpfit. Resp. prædicta verba intelligenda esse de prioritate intentionis: vel, si executionis, de assumpto adæquato, quod humanitas est, esse intelligenda, non de assumpto inadæquato, quod est anima.

45 Obs. 2. Verbum divinum nullam naturam assumpsit, nisi humanitatem; sed hoc ita non esset, si ante hanc assumpsisset animam: ergo hanc non priùs assumpfit. Dist. maj. nullam naturam adæquatam assumpsit, conc; nullam inadæquatam, nego maj. & min. cum conseq. Non incongruit, Verbum divinum ante totum, quod est humanitas, assumptibile, assumat partem, quæ est anima: imò via operacionis priùs pars, quam totum, & incompletum, quam completum, debere esse, & assumi numeris antec. ex D. Thom. nuper diximus.

46 Obs. 3. Sequitur ex conclusione, unionem hypostaticam non recipi immediate in humanitate, sed priùs, & immediate in anima; sed hoc est inconveniens. Minor hæc

prob. si in anima immediatè recipetur, sequeretur, quod in morte Christi unio Verbi ad carnem, vel Corpus mortuum deesset (quod est hæreticum) remaneret enim unio in suo immediato susceptivo, nempe anima: nisi dicatur, quod unio nova pro corpore producta est uniendo; sed & hoc damnat D. Thom. in 3. dist. 21. q. 1. quæstiunc. 2. ad 5. ibi: *Ex parte assumpitorum, quæ divisa sunt, sunt duas uniones in actu post mortem; ante autem erat una in actu, & multæ in potentia*. Undè non opportet (intende) quod aliqua unio fiat ibi de novo. Quæ ultima verba reproduxit Sanctus in eadem distinctione ad Anibal. quæst. unic. art. 1. ad 4. ibi: *Et sic non opportet, quod fuerit ibi facta nova unio: ergo quocumque dicatur, inconveniens sequitur*.

47 Ad argum. quod difficultate non caret, resp. unionem priùs in executione animam afficere, ea que mediante, materiam, & humanitatem: nec ex hoc sequitur, corpus post mortem Christi sine unione ad Verbum mansisse, nec novam pro illo unionem à Deo fuisse productam: illa quippè unio, quæ ante mortem erat una, divisa est in duas, alteram pro anima, alteram pro corpore uniendis: non enim erat una simpliciter talis, sed una in actu, & multiplex in potentia, ut inquit D. Thom. cit. & docent N. Complut. abrev. in de Generat. disp. 5. q. 1. n. 13. planè intelligentes D. Thom. sicut ipsi intelligent unitatem partium substantiæ materialis: quam doctrinam laudant N. Salm. hic disp. 4. n. 52. ut valde receperat

tam inter Thomistas, & D. Thom. menti consonam; sed & expressa, si verba ipsius planè construantur, est habenda, quin valeat recursus ad retractationem D. Thom. Retractatio enim non fit à DD. per meram oppositionem cum antedictis vel scriptis; aliundè nullibi scriptorum esset antylogia, cùm posset dici Auctoris esse retractationem, non inconsequentiā. Ad retractationem ergo opus est, ut & oppositum scribatur, & retractare se Auctor planè confiteatur, ut videre est infra n. 9. disp. 4. n. 23. vel aliquid inter sit, ex quo retractatio planè, & plenè inferatur, quod in præsenti non facit S. Doctor, nec opus est, ut faciat, cùm nullibi expreſè aliud, quām hīc scribit, scriferit, quidquid in contrarium ali dicant, vel potius inferrant.

48 Nec replica N. Pauli (ponentis in hoc casu novæ unionis productionem) nos urget, ut litteram deseramus D. Thom. qui expreſè novæ reprobat unionis productionem. Inquit ergo: illa unio ante mortem erat corporea, eratvè spiritualis? Si hæc, erat prorsū indivisibilis; si corporeæ & quomodo animam uniebat spiritualem? Hæc enim instantia æquè ipsum premit N. Paulum ab initio Incarnationis. Inquiero enim: & Unio hypostatica erat corporea, eratvè spiritualis? Si hæc, quomodo Corpus; & si illa, quomodo animam univit Verbo? Pro utroque ergo arguento, brevi, facilèque satisfit dicendo, unionem hypostaticam taliter esse spiritualē ad animam uniendam ut & corporeæ sit *ut quo*, ad Corpus unien-

dum; exemplo ab ipsa anima deſumpto, quæ taliter est spiritualis, ut non definat esse corporea *ut quo*, & hoc juxta doctrinam tritam omnium Thomistarum.

49 Obs. 4. Illud est susceptum *quod*, & immediatum, quod est personabile; (ad hoc enim Verbum diuinum fuit unitum, ut personaret) sed sola humanitas personabilis est: anima enim sola numquām est persona: ergo humanitas sola *ut quod* assumpta est. Dist. maj. quod est personabile, est susceptum *quod* immediatum, & adæquatum, conc; inadæquatum, nego maj. conc. min. & nego conseq. Duplicem habet effectum personalitas, scilicet, & facit subsistere impersonaliter, si natura terminata est inadæquata, & facit subsistere personaliter, si natura terminata est adæquata: cùmque anima rationalis natura sit inadæquata, recipit solū illum effectum, cuius est capax, nempè subsistendi impersonaliter, non verò personaliter, usque dum unita suæ comparti, constituat naturam adæquatam, & sic reddatur capax personandæ.

DUBIUM VI.

*AN HUMANITAS CHRISTI APPETAT
subsistentiam propriam, sibique con-
naturalē?*

50 **P**rocedit quæſtio de appetitu innato: elicitus enim perversus esset, quippè qui de rem a ius bonum impediente. Supponimus, humanitatem habere appetitum innatum in actu primo subsistentiæ priæ:

priæ: hic enim nil est aliud, quām ipsa res, à qua quasi dimanat subsistentia ipsam perficiens. Dubium est de appetitu innato in actu secundo, qui consistit in quodam connatu, vel impulsu in rem, quæ appetitur, consequendam, removenteque, quantum est ex se, quidquid executioni obfitit. Exemplum utriusque appetitus habes in lapide, ejus gravitas congenita est appetitus in actu primo circa locum deorsum consequendum; dum verò sursum collatus connatur non modo descendere, sed & vincere obstacula, quæ descensui objiciuntur, est appetitus in actu secundo, de quo sit

NOSTRA CONCLUSIO.

51 **H**umanitas Christi non appetit subsistentiam propriam. Sic à Sancto Thoma, Gonet, Cajet. & alii Thomistæ contra alios ex omni Schola, inter quos Scotus, & Vazquez referuntur. Probatione: nam quandò aliqua res habet perfectionem, non solum nobiliorē naturali, sed & omnes naturales eminenter continentem, nullam ex his appetit: quiescit enim omnimodè sub illa; sed talis est perfectio, quam humanitas habet Christi ex divina subsistentia, ut innegabile videtur: ergo non propriam appetit, & connaturalem. Major ostenditur in materia prima, quæ, si haberet formam, quæ omnium perfectiones comprehenderet, nullam præter istam inhiaret: ergo id ipsum sentiendum est de humanitate per subsistentiam omnium subsistentium

perfectiones continentem terminata.

¶ Et quidem, si talem habet appetitum humanitas, sequitur 1. esse innanem, & frustraneum, dum impleri numquām possit, imò perpetuò ipsi resistatur. Sequitur 2. esse inordinatum, dum melius habens, minus bonum appetitu prosequatur. Sequitur 3. Humanitatem Christi perpetuam pati violentiam, dum quod semper connatur habendum, semper negatur ipsi possidendum. Sed contra hæc oppones sequentia

ARGUMENTA.

52 **O** Bf. 1. *Anima rationalis* juxta D. Thom. 1. p.

q. 76. art. 1. ad 6. appetit innatè reunionem cum corpore, quam tamen naturaliter consequi non potest; & tamen non est frustraneus appetitus: ergo nec erit talis appetitus humanitatis. Resp. esse disparitatem; quia anima separata non habet aliquam perfectionem, quæ contineat omnem perfectionem sibi propriam, sicut habet anima sub divina subsistentia: imò deficit illi illa, quæ competit ipsi, ut forma est partialis corporis, sub qua subsistit adæquatè, & personaliter, estque apta, ut plura naturaliter cognoscat, quæ non potest separata, nisi vel, ut inquit D. Thom. quæst. de Anima art. 18. ad 13. Species ab Angelis ipsis immitantur: vel, si per se ipsam aliqua cognoscit, solum est in communi, & confusè, ut inquit ipse 1. p. q. 89. art. 1. in corp. ubi ait: *Ad hoc enim, quid perfectam, & propriam cognitionem de rebus habere posint*

sunt (animæ separatae) sic naturaliter
sunt instituta, ut corporibus unitur.

53 Obs. 2. Anima rationalis perfectior est omnibus formis materiæ perfectivis; & tamen materia alias præter ipsam appetit formas: ergo major perfectio subsistentiæ divinæ non tollit ab humanitate innatum sed propriam appetitum. Concessis maj & min. dist. conseq. major utcumque perfectio non tollit, conc; maj. continens omnium perfectionem, nego conseq. Solutio patet ex terminis, quibus adde, quod licet anima nostra sit perfectior aliis formis in esse entis, non tamen in esse formæ: dependet enim ab accidentibus valde corruptilibus, per quæ facile ejus dissolvitur informatio; cuius contrarium videmus in formis cœlestibus, & metallorum, quæ in diuturniori informandi vi, animam excedunt rationalem, licet in esse entis hæc illas longè supereret.

DISPUTATIO IV.

DE HIS QUÆ CIRCA HOC MYSTERIUM fieri possunt.

DE his, quæ sunt, & facta sunt in mysterio Sacrosanctæ Incarnationis, egimus hucusque: de his vero quæ nec sunt, nec facta sunt, sed esse, & fieri possunt, vel non possunt, nunc agendum nobis est, ut sacramentum alijs investigabile, quantum fas est, intelligibile redatur. Sit ergo

DUBIUM I.

AN EADEM HUMANITAS POSSIT TERMINARI à tribus Divinis Personis?

CONCLUSIO NOSTRA

i R Esponderet affirmativè: Sic D. Thom. 3. p. q. 3. art. 6. in sed contra. ibi: Tres Personæ possunt subsistere in una natura divina: ergo etiam possunt subsistere in una natura humana, ita scilicet, quod sit una natura humana à tribus Personis assumpta. D. Thom. sequuntur omnes ejus Discipuli contra Scotistas, & Sapientissimum Larditum. Ratione prob. conclusio: ideò Divinæ Personæ sece excluderent à consortio ejusdem naturæ humanæ terminandæ, quia conjungi in illa argueret in ipsa (juxta sententiam contrariam) infinitatem; sed hoc falsum est. Hęc minor prob. ideò natura divina est infinita in terminatione passiva per divinas Personas; quia his infinito communicatur modo, constituitque quamlibet Personam infinitam, tūm ex parte naturæ, tūm ex parte Personæ; sed hoc non verificaretur de natura humana, sicut defacto non verificatur in unione ad Verbum, quod non constituit infinitum, cùm ipsa sit finita: ergo non argueret infinitatem trinatribus Personis communicatio, nec tria trium terminatio in natura terminata.

2 Prob. 2. Humanitas potest uniri immediatè cum subsistentia Dei absoluta, quo in casu tres divinæ personæ incarnarentur, ut supra dixi-

diximus disp. antecedenti à n. 26. ergo hoc ultimum non repugnat. Ant. prob. tūm , quia subsistentia absoluta perfectiori continet modo subsistentiam creatam , cùm ex se dicat perfectionem , quam relativa non affert. Tūm , quia potest , & defactō communicatur existentia divina , ut dictum est disp. antecedenti: ergo etiam subsistentia absoluta , vel assignetur disparitas.

OBJECTIONES.

3 Obs. 1. D. Anselmum , qui lib. 2. *Cur Deus Homo* cap. 9. & in lib. de Incarnat. cap. 4. expresè afferit , impossibile esse , quòd Filio incarnato , aliæ & personæ carnem assumant : ergo ruit conclusio. Respondet D. Thom. 3. p. q. 6. art. 3. Anselmum intelligendum esse de impossibilitate talis casus in unitate Personæ : sic enim ait primo loco ; *Plures enim Persona nequeunt unum , eundemque hominem assumere in unitate Persona &c.* in nostro verò casu non in una , sed in tribus fieret Personis Incarnatio : Quòd si quando , & hoc negare videatur Anselmus , atque obviam expresè occurrat Angelico Doctori , sequantur illum sui ordinis Alumni , inter quos supereminet in hac quæst. Sapientissimus Lardito , dignissimus Religio- nis Benedictinæ Generalis ; nostris verò suo Angelico Præceptoris adhærere bonum est , imò & opus ab illo non recedere.

4 Obs. 2. Quælibet subsistentia divina adæquaret capacitatem natu- ræ creatæ , scilicet humanitatis : er-

go terminata hæc per unam , non posset per aliam terminari , aliàs idem effectus , hoc est , eadem terminatio esset à duplice termino adæquato , quasi à duplice causa terminante , quod repugnat. Resp. distinguendo ant. adæquaret intensivè , conc; extensivè , nego ant. & conseq. Dices: ergo subsistentia creata perfectius terminat humanitatem , quām divina , cùm hæc relinquat locum , ut ultrà terminetur per aliam ; creata verò absolutè ita illam intensivè , & extensivè satiat , (ut dicamus sic) ne per aliam terminari queat ullo modo. Negatur consequentia : quia subsistentia creata ob sui limitationem , & inconvenientiam cum omni alia in ratione terminandi non admittit in hoc munus consortium ; subsistentiæ verò relativæ divinæ , eoquòd gaudent eadem numero virtute terminandi , & aliàs sunt infinitæ , non se excludunt à consortio ejusdem naturæ , ut patet in terminazione divinæ naturæ , quæ una cùm sit , à tribus terminatur Personis.

5 Obs. 3. Sequeretur naturam humanam esse infinitam (quod est impossibile) sicut quia divina communicatur tribus , infinitam esse argui- tur : ergo non est admittendum id , ex quo sequitur. Resp. quòd , natu- ram divinam esse infinitam , non deducitur ex communicatione tribus utcumque sumpta , sed ex eo quòd isthæc communicatio ei competit naturaliter infinitè , & identicè; nullus quorum trium modus verificaretur in natura humana sic terminata , ut manifestum est.

6 Obs. 4. Infinitatem ex alio ca-

capite sequendam : si enim corpus posset esse in infinitis locis , esset immensum ; sed æquè esset humanitas infinitè terminata per tres Personas infinitas , ac corpus locatum in infinitis locis : ergo æquè illa erit infinita , ac istud immensum. Nega paritatem : terminari enim solum petit potentiam in natura humana obedientiale , & hanc passivam , ratione cuius terminatur defactò à subsistentia Filij , quæ alias infinita est , licet infinitè non communicatur. Replere verò loca , estò supponeret in corpore subordinatiōnem divinæ omnipotentiarum ad infinitam locationem ; illa tamen præsupposita , per ipsam corporis entitatem naturalem deberent occupari loca tamquam per virtutem utcumque repletivam , & non pure passivam. Præterquamquòd corpus tam intensivè , quam extensivè replet locum , & ideo nequit adhuc bis locari , & quantò minus infinites? nulla verò divina subsistentia est terminus adæquatus naturæ humanæ terminabilis. Sed replicabis , &

7 Obs. 5. Si personalitas creata terminaret tres naturas , esset infinita : ergo etiam esset infinita natura creata , si terminaretur per tres Personas; sed esse infinitam ei repugnat : ergo & quod sic terminetur. Nega conseq. & parit. quia si personalitas creata terminaret tres naturas , contineret actu alias , seu extraneas personalitates , quod arguit in ea infinitatem in actu ; non enim clauderetur intra suos limites , sed alios sine fine transcendere posset; sed verò passiva terminabilitas per-

hanc , & per alias personalitates non est propriè continentia , sed passiva , & potentialis capacitas , ut sic terminetur , quod ad summum arguit infinitatem secundum quid , & in potentia. Et ut videatur clarius differentia inter virtutem activè terminativam , & capacitatem passivè terminabilem , intende in subsistentiam creatam , quæ si unam solummodo naturam terminaret alienam , argueretur esse infinitam : quia activè terminaret , activèque in actu contineret subsistentiam propriam illius naturæ , & tamen natura creata in ratione terminabilis passivè potest terminari , & facto terminatur per alienam subsistentiam , nempe Verbi , quin ex hoc sit infinita.

QUÆRES.

8 Num in casu terminationis unius humanitatis per tres divinas Personas essent hæ tres homines , unusvè solum? Resp. unum tan tum fore: quia concreta substantiva non multiplicantur , nisi tum forma , scilicet natura , tum suppositum , vel personalitas multiplicentur , ut diximus in de Trinit. disp. 2. dub. 4. n. 35. pro quo audi D. Thom. 3. p. q. 3. art. 3. ad 1. Dicendum , quod hac positione facta , scilicet quod tres divine Personæ terminarent unam humanam naturam , essent unus homo propter unam humanam naturam. Sicut nunc verum est dicere , quod tres Personæ sunt unus Deus , propter unam divinam naturam. Quo nil clarius pro hac conclusione.

Q U E R E S. 2.

9 Num unica persona divina possit terminare plures naturas humanas? Affirmativè respondetur cum D. Thom. 3. p. q. 3. art. 7. Et est ratio: quia hoc non repugnat ex parte principii, nec ex parte Personæ, cùm tām hæc, quām illud infinita sint; sed nec ex parte naturarum, cùm hæc non possent haurire, sive limitare vim infinitam terminandi: ergo possibile est. ¶ Et tunc, (inquires 3.) plures, an unus esset homo? Unus quidem propter rationem suprà datam: quia scilicet non multiplicarentur, tām natura quām suppositum. ¶ Sed contra 1. Si Persona una divina assumeret naturas hominis, & Leonis, non esset unum animal: ergo nec unus homo, si duas humanitates terminaret. Negatur ant. Unum esset animal in hoc casu: Sed quodnam quæres animal, an rationale, an Leoninum? Resp. quod esset utrumque, scilicet homo & Leo; sed utrumque unificatum in unitate Personæ, seu suppositi divini.

10 Contra 2. Persona est concretum substantiale, vel substantivum; & tamen multiplicatur in divinis sine multiplicatione naturæ: ergo in casu assumptionis duarum humanitatum per unicam divinam Personam, multiplicarentur homines, estò non multiplicarentur supposita. Resp. hoc esse proprium concreti personalis divini, quod non eget, ut multiplicetur, pluralitate naturarum, sed sat est

illi diversus modus formalis respiciendi unicam naturam divinam. Itaque Persona Patris respicit naturam ut ingenitam: Persona Filii ut principium quo generandi, & utraque ut principium quo spirandi. Hi autem diversi modi se habent in Personis divinis sicut formæ in concretis naturæ: undè sicut hæc, ut plurifacentur, requiritur, tum suppositum, tum formam totalem esse plura, sic etiam, ut concreta divina personalia plura dici possint, satis est, ut tām personalitates, quæ sunt velut subiecta talium modorum respiciendi naturam, quām ipsi modi, qui sunt veluti formæ, plurifacentur.

D U B I U M II.

UTRUM HUMANITAS, RETENTA PROPIA SUBSISTENTIA, POSSIT ULTRA PER DIVINAM TERMINARI?

11 **N**on dubitamus, imò supponimus, quòd Humanitas ut personata propria, & naturali subsistentia, à divina non potest assumi, ut tenet D. Thom. in 1. dist. 5. q. 3. art. 3. Et ratio ex ejus verbis deducta est; quia repugnat, quòd aliquid in eo sensu, in quo completum est, ultrà compleatur, sicut quòd id, quod existit, ultrà existens per aliud constituantur; sed de ratione personæ est complere, & ultimò complere juxta D. Thom. cit. ergo repugnat, quòd natura ut per eam completa, & personata ultrà per divinam personetur. Præterea id, quod substituit incomunicabiliter, alteri communicari non valet; sed huma-

nitas

nitas, in quantum personata, incommunicabiliter subsistit: ergo repugnat, quod ut talis ultra terminetur.

12 Sed contra: Natura divina terminatur per subsistentiam absolutam; & tamen ultra terminatur per alias relatives: ergo ratio non tenet. Dist. maj. terminatur completem, nego; incompletum, conc. maj. & dist. min. Ultrà terminatur in eo, in quo est terminata per absolutam, nego; in alio, conc. min. & nego conseq. Natura divina per absolutam subsistentiam solum terminatur quantum ad perfectatem independentiae, non vero quantum ad incommunicabilitatem, & ideo terminata per illam, adhuc terminari potest per subsistentias relatives: econtra sit in Humanitate, quae terminata per propriam subsistentiam, omnem perfectatem, cuius capax est, completem possidet. ¶ Dubium ergo est non de persona humana adaequatè sumpta, includenteque & reduplicante personalitatem, sed de humanitate, quae alias est personata, seu in sensu composito suae propriæ subsistentiae possitne ultrà per divinam terminari?

NOSTRA RESOLUTIO.

13 **N**atura creata terminata per propriam, & naturalem subsistentiam nequit ultra per divinam terminari, vel assumi adhuc de potentia Dei absoluta. Sic communiter Theologi. Prob. 1. ex D. Thom. qui 3. p. q. 4. art. 2. in 3. quandam Decretalem Inoc. III.

ubi dicitur, quod Persona Dei consumpsit Personam hominis, quæ verba explicat dicens, quod Persona divina sua unione impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet. Ex quibus deducitur repugnantia unius cum alia Persona, ut in terminando eamdem humanitatem consocientur. Si autem haec posset devinci repugnantia, certum videtur, Deum eam fuisse devictum, tum ut totus homo, & non solum ejus natura assumeretur, in quo magis bonitas ostenderetur divina, cum totum sibi assumeret assumptibile: tum ne miracula sine necessitate multiplicarentur: est enim miraculum ingens Humanitatem sine propria conservari subsistentia: ergo signum est invincibilem hanc esse repugnantiam.

14 Prob. 2. Subsistentia propria creata, & subsistentia aliena divina habent effectus contradictoriæ oppositos; sed Deus nequit komponere duo contradictoria in eodem subiecto: ergo nec in eadem humanitate subsistentiam creatam cum divina. Major prob. nam effectus subsistentiæ creatæ est reddere naturam subsistentem per se, & in se; effectus vero divinæ reddere subsistentem per aliud, & in alio; sed hi effectus contradictoriæ se resistunt, haud minus quam accidens esse in subiecto, & extra subiectum: ergo vera est negata major. ¶ Dicere tales effectus non esse ejusdem, & secundum idem: quia humanitas ratione propriæ subsistentiæ subsisteret in se, & ratione divinæ in alio; & rursus, ratione potentiarum obedientialis terminaretur per unam, & ratio-

tione potentiae naturalis per aliam: est evertere, & inverttere totam armoniam Philosophicam & Theologicam, eadem enim levitate assertare possemus naturam existentem per creatam existentiam posse divinitus per divinam reddi iterum existentem, imo posse simul hominem amore, & odio simul Deum prosequi ratione diversarum potentiarum, quod chymericum est, & idem indignum responsione praesens argumentum

SENTENTIA CONTRARIA.

15 **A** B aliquibus defensatur Neotericis per Illust. Godoy, & N. Salm. in praesenti n. 19. collaudatis. Obs. 1. cum illis: Non minus adaequat, & compleat personalitas divina naturam divinam, quam humana humanam; & tamen natura divina terminata per unam divinam subsistentiam, adhuc per aliam, & aliam divinas petit (& non solum potest) terminari: ergo terminata humanitas per propriam, poterit ultrâ per divinam terminari subsistentiam. Est ingens disparitas: quia subsistere per propriam, & alienam subsistentiam est subsistere simul intra se, & extra se, quod implicat; at verò subsistere duabus subsistentiis propriis, vel alienis, est subsistere dupli modo intra se, ut patet in divina natura, vel dupli modo extra se, ut si humanitas à duabus divinis Personis assumeretur, quod contradictionem non involvit.

16 Obs. 2. Natura divina semel terminata per Paternitatem potest communicari filiationi, & per

Tempo II.

eam terminari, non ut est persona ta per Paternitatem, sed ut natura est: ergo poterit etiam humanitas, licet non ut personata, terminari divinitus per subsistentiam divinam, ut humanitas. Nega paritatem: quia personalitatum divinarum una, & infinita est virtus terminandi, quin in hoc ullam dicant oppositionem, nec erga divinam, nec humanam natu ram terminandam: & licet quælibet divina subsistentia perfectiori modo quam humana terminet humanitatem intensivè, nulla tamen seorsim adaequat terminabilitatem istius extensivè. Subsistentia verò creata, cum sit modus naturalis, & congenitus cum humanitate, illam omnino claudit, & intercipit, quominus per aliam ultra intensivè, vel extensivè terminetur.

17 Obs. 3. (Et singamus casum, in quo Verbum assumeret naturam humanam jam subsistentem, relinquente verò propriam subsistentiam, & quod iterum Verbum retraheret ab illa suam divinam subsistentiam) tunc quidem natura humana per diversam subsistentiam subsistere deberet, ac primam naturali, quam reliquerat: ergo potest una natura creata per duas subsistere subsistentias creatas: ergo multo melius per incretam, & creatam. Vapidum argumentum! Tum, quia quæstio est de terminatione bina, & simultanea, non de bina & successiva. Tum, quia falsum est secundam subsistentiam fore distinctam à prima: nam sicut anima hæc determinatè exigit hunc, & non aliud intellectum, ita ut nec divinitus pos-

F

fit

82 Tract. VII. de Incarnatione, Disp. IV. Dub. II.

sit habere successivè distinctos , ita nec natura duas subsistentias : undè sic foret in casu argumenti , ut destructa prima , & recedente divina , resultaret eadem , quæ prius defuerat ex vi actionis productivæ naturæ , quæ adhuc in hac virtualiter perseverat , & formaliter in Deo producente.

18 Obs. 4. Et quidem urgen-
ter: Persona divina potest assumere
naturam Angelicam , ut expresè do-
cet D. Thom. 3. p. q. 4. art. 1.
ad 3. Et in 3. dist. 2. q. 1. art.
2. quæstiunc. 2. cum communi: &
infertur ex Apost. ad Hæbr. 2. ibi:
Numquām Angelōs apprehendit, sed semen Abrahæ; sed si sumeret eam , esset cum
subsistentia propria : hæc enim in
Angelo non distinguitur ab ejus essen-
tia : ergo poterit etiam assumere hu-
manam subsistentem. Quòd autem
subsistentia Angelica non distingua-
tur ab ejus essentia , traditur ex-
presè à D. Thom. 1. p. q. 3. art.
3. ibi: *In his, quæ non sunt compo-
sta ex materia, & forma, in quibus indi-
viduatio non est per materiam individualem,* id est , per hanc materiam , sed ip-
sa forma per se individuantur , opportet
quòd ipsa forme sint supposita , unde in eis
non differt suppositum à natura. Et ideo
docet in 4. contra Gent. c. 15. ad
4. quòd convenientius assumpta est hu-
mana natura , quim Angelica : quia assump-
tio natura à Deo est in persona , non in
natura , in homine autem aliud est natura ,
& aliud persona: quia est ex materia , &
forma compositus , non autem in Angelo , qui
immaterialis est.

19 Concessa majori , dist. cau-
salem minoris ; non distinguitur An-

geli subsistentia , radicaliter sumpta ,
ab ejus essentia , conc ; formaliter
accepta , nego min. & conseq. Solu-
tio hæc est N. Complut. abbrev. in
de Generat. disp. 15. q. 1. præ-
cipue num. 16. in cuius sensu acci-
pit D. Thom. subsistentiam Ange-
li , dum eam indistinctam ab ejus
ponit essentia: aliter enim expresè
sibi contrariatur (quod credendum
non est) cùm loco citato contra
Gent. afferat , naturam Angelicam
potuisse assumi sine personalitate : er-
go distinguitur juxta ipsum hæc ab
illa : Et 3. p. q. 4. art. 1. citatis
ait , quòd non posset (natura Ange-
lica) in unitatem divinæ personæ assumi ,
nisi ejus personalitas destrueretur : ergo
sunt esse distinctas. Loquitur ergo
de supposito radicali , quod coinci-
dit cum substantia individua , quæ
est radix proxima subsistendi , quæ-
que à natura non distinguitur.

Dices , idem posse dici de sup-
posito naturæ humanæ radicali hu-
mano , quod nec distinguitur ab ejus
natura : ergo ineptè diceret D. Th.
congruentius hanc assumpsisse , quām
Angelicam : quia Angelica est in-
distincta. Nego conseq. nam licet
utraque radicaliter sumpta sit substi-
tancia , ut individua , individuatio
vero naturæ humanæ sumitur con-
notativè ad aliquid distinctum , &
extrinsecum , nempe quantitatem , &
ideo saltim connotativè distinguitur
ab essentia ; individuatio vero An-
gelica , quæ radicat ejus subsisten-
tiā , tota sumitur ab intrinseco si-
ne ulla distinctione ab essentia ad-
huc ex parte connotati : undè est
intimior hæc naturæ suæ , quām hu-

m̄ana, & ideo congruentius h̄ec, quam illa assumi potuit.

DUBIUM. III.

*UTRUM OMNIS NATURA CREATA POS-
sit à Verbo assumi, vel ab aliquo
pradicato divino?*

20 **N**ON est quæstio de natura substantiali, materiali, & completa, cùm talis sit humanitas, quam certum est assumptam fuisse à Verbo; nec de natura spirituali incompleta, cùm talis sit anima, quam certum est unitam fuisse illi in triduo mortis; nec de spirituali completa, putà Angelica, quam assumi posse constat ex dubio antecedenti; nec de partibus substantialibus à Christo in ejus Passione separatis, cùm tales essent sanguis, capilli, &c. quas ex dictis disp. antecedenti n. 39. constat fuisse tempore Passionis Verbo itidem conjunctas. Difficultas est de partibus corporis incompletis, uti sunt materia, & forma, & de accidentibus. De quibus sit

CONCLUSIO PRIMA.

21 **R**epugnat materiam primam solitariè sumptam à Verbo posse assumi. Assertio h̄ec est Thomistica, cui adhæret Scotus contra Suarez, & alios. Ratio: quia materia prima repugnat vel propria subsistentia: ergo repugnabit etiam divina, cùm h̄ec pro naturali, & propria sit sufficta. Ant. prob. Tum, quia materia prima non existit nisi

ratione subsistentiæ, & existentiæ totius, cùm nec divinitus possit ab his separari: ergo numquā separata poterit per divinam terminari subsistentiam. Tum, quia cui repugnat ratione sui actus ultimus, scilicet existentia, repugnabit etiam primus, scilicet subsistentia; atqui materia prima solitariè sumptæ, vel ratione sui repugnat existentia: ergo & divina subsistentia. Argumenta, quæ contra hanc ebulire videntur conclusionem, ennodata manent ex his, quæ in Physica peracta, & capta per Theologum agentes jam supponimus: qua de ratione illa nunc omissimus.

CONCLUSIO SECUNDA.

22 **R**epugnat, quod forma materialis per Verbum divinum solitariè assumatur: Sic nostri Salm. in præsenti. Assertio h̄ec in statu conjunctionis ad materiam sic est certa, atque præcedens, & nihilominus prob: nam si adjuncta materia posset assumi à subsistentia divina, sequeretur, tum, quod in eodem composito essent duæ subsistentiæ partiales; divina alia pro forma; alia creata pro materia: quod reprobant ratio, & N. Complut. abbrev. in de Generat. disp. 15. q. 4. Tum quod ex subsistentiis divina, & humana resultaret compositio tamquam ex partibus unam totalem componentibus, quod subsistentiæ divinæ prorsus repugnat: ergo & quod h̄ec terminet formam corpoream in compositione repertam. Nunc sic; sed æquè repugnat, quod & illam terminet à materia sejunctam: ergo ne-

quit illam ullo terminare modo. Minor subsumpta prob. tum, quia formæ materiali solum competit subsistere subsistentia totius, haud secus quam materia; utraque enim est pars illius. Tum, exemplo accidentis, quod, quia dependet à subjecto, subsistenti autem repugnat talis dependentia, non est capax subsistendi per se; sed, à quo suo modo dependet forma corporea à materia: ergo repugnabit illi subsistere per se.

23 Prob. 2. In sententia adversaria, ideo forma separata potest subsistere, quia potest & existere; sed hæc ratio nil probat. Hæc minor probatur: accidentia enim separata divinitus à subjecto habent existentiam, ut patet in Eucharisticis; & tamen non possunt assumi ad subsistentiam divinam: ergo nec forma ex eo quod existere posse per se; immo minus forma, quam accidentia: hæc enim in sua linea sunt entia completa, non vero forma materialis: qua de causa difficultius videtur hanc à materia separari, quam illa à subjecto. Unde sicut accidentia separata ratione dependentia appetitudinalis à subjecto, licet possint existere, non possunt subsistere per se, ita forma materialis separata, licet posset existere, non vero subsistere: quia semper exigeret quantum ex se est à materia dependere.

SENTENTIA OPPOSITA.

24 **D**efensatur à pluribus, & gravissimis Thomistis, quos inter numerantur Illust. Go-

doy, & Gonet, Arauxo, & ex extraneis Suarez & alii, cum quibus, & pro quibus obs. 1. Forma materialis potest à materia separari, & sic existere: ergo etiam poterit subsistere subsistentia propria: ergo & divina: hæc enim illam eminenter continet. Consequentia prima probatur: quia subsistentia est, quæ constituit naturam proximè aptam, ut existat: ergo si potest per se existere, & poterit subsistere. Concesso. ant. negatur conseq. cuius probationis antecedens disting. Constituit essentialiter naturam aptam ad existendum, nego; connaturaliter, conc. ant. & nego conseq. Quamvis subsistentia sit proxima dispositio ad existendum, non tamen sic indispensabiliter disponit, ut divinitus non possit forma sine tali dispositione existere: quia non essentialiter petit existentia ante se subsistentiam, sed solum connaturaliter, seu de lege ordinaria.

25 Obs. 2. Materia prima non existit, nec subsistit, nisi media forma: ergo prius hæc existit, & subsistit, quam materia per eam: ergo forma capax est utriusque; hoc quod parificatur exemplo animæ, quam inde inferimus posse subsistere separatam: quia in composito prius illi convenit subsistentia, & ratione ejus materia. Resp. distinguendo ant. nisi media forma ut quo, conc; ut quod, nego ant. & consequentiam. Explicatur: verum est, quod subsistentia prius convenit formæ, ut subjecto quo, hoc est, medio quo actuatur primò materia, ut possit ultimò terminari per existentiam; falsum ve-

rō, quod forma corporea sit subiectum receptivum *quod subsistentia*, & existentiæ: existit enim, & subsistit per subsistentiam, & existentiam communicatas toti composito, ut subiecto *quod*, & ratione illius partibus materiæ, & formæ: Meditato diximus *forma corporea* ad differentiam formæ spiritualis animæ, cui per se primò convenit subsistere, & ratione ejus toti composito: per quod satisfactum exemplum inter arguendum obiecto.

CONCLUSIO III.

26 **A**ccidens nequit assumi ad subsistentiam divinam, potest verò ad existentiam. Sic communiter Thomistæ contra plures Scotistas, & aliquos Nostratum. Probr. prima pars: quia accidens non est capax subsistendi per se: ergo nec uniendi se subsistentiæ divinæ tamquam propriæ, vel vices propriæ gerenti. Ant. prob. Subsistere per se dicit omnimodam independen-tiam tamquam à subiecto; sed accidens nequit à tali absolvī independentia: dicit enim essentialiter inhærentiam saltim aptitudinalem, cùm ejus esse sit inesse, seu alteri accidere: ergo nequit sic subsistere. Prob. secunda pars: accidens potest per se existere, ut patet in Eucharisticis, quæ sine subiecto existunt; sed aliàs hæc propria existentia, cuius est capax, continetur eminenter in divina: ergo poterit per hanc accidens existere, ad illamque assumi. Nec obstat, quod existentia divina sit substantialis, & accidentis entitas sit accidentalis. Ma-

gis enim distant inter se natura crea-ta, & subsistentia divina, quām accidens, & substantia; & tamen Fi-de credimus naturam creatam per increatam subsistentiam terminari, propter hujus eminentiæ substi-tentiæ creatæ continentiam: ergo poterit etiam entitas accidentalis ad existentiam assumi substantialem. Sed

OBJICIES.

27 **C**ontra primam partem: De actu ad potentiam valet consequentia, ut inquit trita paroemia; sed actu accidentia Eu-charistica subsistunt per se: non enim in alio, nec per aliud: ergo capa-cia sunt subsistendi per se, & conse-quenter assumendi ad divinam sub-sistentiam. Concessa maiori, dist. min. subsistunt negativè, conc. min; positi-vè, nego min. & conseq. Est duplex modus subsistendi, alias negati-vus consistens in non consistendo in alio, vel per aliud, quæ non con-sistentia habetur non ratione alicuius entitatis positivæ, ratione cujus in se, & per se accidens sustente-tur, sed à divina opifice virtute, quæ accidens privat inhærentia, quam connaturaliter exigit, relinquens illud cum sola aptitudine, quam essentialiter affert: potest enim Deus conservare rem sine eo, quod acci-dit rei. Alius est modus subsistendi per se, scilicet positivus, qui ex-plicatur non solùm per non esse in alio, sed per entitatem positivam, positivèque ob-sistentem esse in alio, & hic est, quem non habet accidens, ob quod nequit assumi ad

divinam subsistentiam, ut per eam positivè sufficiatur: quo in sensu loquimur.

28 Obs. contra secundam partem 1. De ratione existentiæ accidentis est inhærere; sed existentiæ divinæ repugnat inhærere, adhuc aptitudinaliter: ergo nequit hæc pro illa substitui. Dist. maj. de ratione existentiæ accidentis ex terminis, seu de ratione omnis existentiæ, nego; de ratione connaturalis existentiæ, conc. maj. & min. & nego conseq. Solùm de ratione existentiæ accidentis, quæ est accidentalis, est inhærere: si autem per divinam suppleretur, non esset accidentalis, sed substantialis existentia.

¶ 2. Si albedo assumeretur ab existentia Verbi, hoc denominaretur album, quod rationem offendit: ergo non est admittendum. Negatur sequela: non enim albedo se haberet quasi forma denominans existentiam albam, sed quin potius existentia esset velut forma denominans albedinem existentem, haudsecùs quām ipsa albedo, quia habet rationem formæ, facit quidem substantiam albam esse, substantia verò, quæ habet rationem subiecti, non facit albedinem substantialem esse.

DUBIUM IV.

*UTRUM PERSONA CREATÆ POSSIT
divinitus terminare alienam naturam
creatam?*

29 **A** Liena est, & impertinens quæstio præsens ad nostrum institutum, quippèquæ

pure philosophicum tangit argumentum, & non nisi obiter, vel adoptivè versat Theologicum. Et ideo breviter ab ea nos expedire conabimur.

CONCLUSIO NOSTRA.

E St negativa adhuc de potentia Dei absoluta, & versatur contra Scotistas. Prob. 1. Ex D. Thom. 3. p. q. 3. art. 1. ad 2. ubi ait. Posse unam personam terminare diversas naturas solius proprium esse divinæ propter ejus infinitatem; cùmque creata finita sit, sequitur hanc non posse. Et quæst. 2. art. 3. ad 1. ait: *Non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere possit diversis essentiis, sive naturis.* Prob. 2. ratione ex his deducta: Persona divina in tantum potest terminare alienam naturam, in quantum continet hanc eminenter, estque infinita; sed utrumque est alienum adhuc divinitus à persona creata: ergo huic deneganda est talis terminatio.

Prob. 3. Subsistentia creata in sensu composito terminandi suam naturam, nequit alienam terminare (alias posset aliam, & alias ad usque infinitas, hasque actu, quod non minus repugnat, quām actu producere effectus infinitos) sed nec in sensu diviso. Hæc minor prob. sic enim separaretur à propria natura, cuius est modus, modus autem impossibile est à re modificata separari: undè sessio Petri sine Petro, vel à Petro semota non est dabilis: ergo nec quod detur subsistentia à propria natura separata.

ARGU-

ARGUMENTA CONTRARIA.

30 Obs. 1. Ad continentum
O eminenter aliud, non opus est infinitate, sed sufficit superioritas; unde videmus, quod anima eminenter est vegetativa, & sensitiva, & tamen non est infinita: ergo ex capite infinitatis non repugnat, &c. Resp. animam rationalem non dici eminenter sensitivam, & vegetativam, quia contineat alienas animas vegetativas, & sensitivas, sed quia ipsa, una cum sit, est simul, & formaliter vegetativa, & sensitiva; vegetativa vero haec, & non alia a se, & similiter sensitiva haec, & non alia a se; subsistentia vero, quae terminaret alienam naturam, deberet continere alienam subsistentiam, quod solius divinae proprium est.

31 Obs. 2. Anima nostra non habet virtutem reddendi corpus penetrabile, & impassibile, & similiter quantitas ex se non potest dare corpori majorem extensionem, quam habet; & tamen anima mediis accidentibus supernaturalibus causat dictos effectus; & quantitas media raritate corpus plus extendit: ergo pariter subsistentia creata, si per Deum disponatur, vel sublimetur, poterit extendi ad naturam extraneam terminandam. Nego conseq. & paritatem: Anima enim, & quantitas defacto habent virtutem ad dictos effectus, vel principaliter, vel instrumentaliter causandos: & solum

expectant, quod eleventur, vel disponantur. Subsistens verò creata adē longè est à continendo aliena naturae subsistentiam, sicut abest differentia Angeli à continendo differentias hominis, & Leonis.

32 Obs. 3. Personalitas creata, ut terminaret alienam naturam, non deberet praestare eumdem effectum formalem, quem praestaret propria subsistentia: ergo non opus est eminentia praedicta. Ant. prob. nam neque subsistentia divina in Incarnatione praestat eumdem effectum, ac praestaret subsistentia humana: hæc enim constitueret personam humanam, cum tamen subsistentia divina humanam excludat personam: ergo non deberet praestare eumdem effectum. Dist. ant.: non deberet praestare eumdem formalem, formaliter præcisè talem, conc; formaliter eminenter talem, nego ant. & conseq. Et probationem antecedentis similiter distingue. Est dicere, quod effectus praestitus à subsistentia aliena non esset idem formaliter ac à propria praestitus, si in ly formulari sistatur; esset vero idem, si ad ly formulari addatur eminenter: quia eminenter, & formaliter haberet natura per illum quod præcisè formaliter haberet per alium, quod est subsistere. Et si hoc non sufficeret ad continentiam eminentiam, desiceret hæc Deo respectu cuiuscumque effectus formalis, cum numquam esset prorsus idem praestitus media causa formalis creata, ac à se solum causatus.

TRACTATUS VIII.

DE GRATIA CHRISTI.

DE assumptione humana-
tatis per Di-
vinum Verbum
hucusque , incon-
gruè licet , & vel
ineptissimè peregimus. Nunc de his,
quæ cum illa coassumpit (qua de
causa hic , & sequentes tractatus,
Incarnationis Mysterio cohærentes,
de coassumptis à Theologis nuncupan-
tūr) opere præsum , divina opitu-
lante gratia , agendum duximus.
Sit ergo

DISPUTATIO I.

DE GRATIA CHRISTI SUBSTANTIALI.

Gratia Christi trimembbris
à Theologis considera-
tur : prima quarum dicitur substancialis , significata in illis verbis Joan.
1. *Verbum Caro factum est*: diciturque
substancialis , (alio nomine *gratia unionis*) quia non est qualitas , vel
forma accidentalis animam Christi
santificans , sed ipsum Verbum di-
vinum unitum substancialiter , con-
stituensque illum , non Filium adop-
tivum , quod facit in nobis gratia habitualis , sed Filium naturalem Dei ,
quod solius Christi proprium est. Pro
hac ergo gratia substanciali hanc pri-
mam disputationem instituimus. Alia

est gratia habitualis , significata in illis
verbis laudati Joan. *plenum gratie , &*
veritatis ; Et in hac convenimus nos
membra Christi cum capite nostro
Christo , licet non quoad effectum
Filiationis adoptivæ , ut infra dice-
mus disp. 2. quam huic secundæ dic-
cabimus gratiæ. Alia denique est gra-
tia Christi capitalis , significata in
illis verbis ipsius Joan. & cap. *de*
plenitudine ejus omnes accepimus : con-
sistitque in ejus habituali gratia con-
notante gratiam unionis , influente-
que in gratiam nostram , sicut ca-
put in inferiora membra : Et de hac
ageamus gratia in tertia & ultima hu-
jus tractatus disputatione.

DUBIUM I.

AN HUMANITAS CHRISTI SANCTIFI-
cetur per aliquid substancialē ex
unione ad Verbum.

NOSTRA RESOLUTIO

Est affirmativa , & com-
munis Theologorum con-
tra Rada , & Castillo. Prob. 1. ex
D. Thom. (ommissis aliorum SS.
PP. non adeò expressis testimoniis)
qui 3. p. q. 7. in Proæmio sic ait:
*De gratia Christi considerandum est. Pri-
mò quidem de gratia ejus secundum quod*
est

est quidam singularis Homo. Secundò, de gratia secundum quod est caput Ecclesiae: nam de gratia unionis jam dictum est; sed dictum fuit usque ad questionem præsentem de Verbo unito nostræ humanitati, & hujus partibus; Verbum autem sic unitum est quid substantialis: ergo datur gratia substantialis Christum sanctificans.

¶ Prob. ratione: Unio ad Verbum, seu Verbum unitum causat omnes, imò excellentiores effectus, quam gratia habitualis, & accidentalis: ergo erit gratia sanctificans, & sanctificans substantialiter. Hæc secunda pars consequentia legitime infertur: quia formæ substantiali substantialis effectus est tribuendus. Ant. prob. Effectus gratia habitualis sunt à peccato mundare, reddere subjectum dignum dilectionis divinæ, jus ad gloriam præstare, & constituere Filium Dei; sed ex unione ad Verbum resultant in humanitate Christi omnes isti effectus, & cum excellentia super à gratiam provenientes: est enim Christus non Filius adoptivus, sicut nos, sed naturalis sicut nullus, ex quo oritur jus ad gloriam naturale; est item Sanctus, mundus, & dilectus, & non per participantem gratiam, sù per participationem naturæ divinæ, sed per ipsam naturam divinam participantem, & unitam substantialiter: ergo tenet ant.

ARGUMENTA OPPOSITA.

¶ Bl. 1. Effectus formalis, & primarius alicujus formæ nequit præstari nisi ab ipsa forma cujus est: est enim ipsa forma

communicata subjecto; sed effectus formalis gratiæ habitualis est sanctificare: ergo nequit à Verbo præstari. Concessa maj. dist. min. Est sanctificare accidentaliter, conc; substantialiter nego min. & dist. cons. nequit præstari à Verbo accidentaliter, conc; substantialiter, nego conseq. Contra, dices: ergo eadem facilitate poterimus asserere, quòd denominatio albi poterit à duplice præstari forma, alia accidentalis, substantiali altera. Nego conseq. quia esse album est effectus determinatæ, & inseparabile speciei: & ideo determinatam, inseparabile speciei formam exigens: non sic esse Sanctum, dilectum Deo &c. Hoc enim potest ex multis titulis, sù per diversa media, formasque, vel quasi formas haberi, ut probatum est in conclusione. Sed replicabis, &

5 Obs. 2. Sanctitas non modò reddit objectum congruum dilectionis Dei, sed & dat posse radicale, vel & proximum ad redamandum, & operandum supernaturaliter; sed hos non dat effectus Verbum divinum unitum hypostaticè, cùm non communicetur per modum formæ: ergo ab illo non sanctificatur anima Christi substantialiter. Concessa maj. nego min. Verbum enim divinum omnes illos effectus causat in Humanitate cum differentia tamen, quòd effectum primarium constitueri Humanitatem Deo gratam, dignamque ejus dilectione, communicat physicè, media natura divina per modum subsistentiæ absolutæ, & existentiæ communicata; effectum vero subsecutum radicandi operationes su-

pernaturales, & beatitudinem causat moraliter, in quantum radicat moraliter gratiam habitualem, ut dubio 3. amplius explanabimus.

6 Obs. 3. Sequitur ex conclusione, quod gratia habitualis, seu accidentalis prorsus est inutilis, & otiosa: ergo ruit. Ant. prob. quia subsistencia divina continet creatam, omnesque hujus communicat effectus: haec opus est deficiat in Incarnatione; sed etiam gratia unionis, seu substantialis sic se habet respectu gratiae accidentalis: ergo haec superfluit. Resp. negando ant. ad cuius probationem concessa majori, negomin. quia, ut nuper dictum est, unus ex effectibus physicis gratiae est, radicare per modum formae physicæ operationes supernaturales: quem effectum, licet quantum ad perfectiōnem contineat gratia unionis; quantum verò ad praestandum illum, non continet nisi moraliter; alioquin exerceret rationem formæ physicæ, quod Deum dedecet. Unde ad hunc effectum opus est gratia habitualis: non ergo est inutilis haec.

DUBIUM II.

UTRVM UNIO HYPOSTATICA SIT RATIO formalis sanctificandi substantia-liter Humanitatem Christi?

7 Procedit hoc dubium inter Auctores concedentes (vel permitentes disputationis ergo) distinctam ab extremis unionem. Et supponimus Verbum divinum esse sanctificans ut quod Humanitatem; de ratione vero formalis disputamus in-

presenti, & dub. sequenti.

NOSTRA RESOLUTIO

8 **E**ST negativa, quam tenent communiter Thomistæ contra plures Juniores, quibus accedit oppidò Boliv. in præf. dub. 3. n. 57. Prob. ratione 1. Unio hypostatica in primis non est sanctitas per essentiam, alias non distingueretur à Deo; sed nec est per participationem naturæ divinæ, alias esset indistincta à gratia habituali, haec verò otiosa: quia unio radicaret per modum naturæ virtutes, & operationes supernaturales: ergo nullo modo est sanctificans substantialiter Humanitatem. ¶ Prob. 2. Applicatio sanctitatis ad subjectum sanctificandum non est sanctitas (sicut applicatio ignis ad calefaciendum nec est ignis, nec calefacit: & ad rem proximius, applicatio seu unio gratiae habitualis ad nostras animas non est gratia) sed unio humanitatis cum Verbo nihil est aliud, quam applicatio sanctitatis ad illam. Haec minor prob. omnis unio formalis cum subjecto est applicatio formalis formæ (nam quod unitio, seu actio unitiva activè praestat, id praestat formaliter unio) atque actio unitiva est applicatio activa: ergo unio erit applicatio formalis alicuius formæ; sed non alterius formæ, quam sanctitatis: ergo ita est.

ARGUMENTA CONTRARIA.

9 **O**BS. 1. Unio hypostatica perfectior est gratia habituali-

bituali: ergo perfectius ista sanctificabit; sed ista accidentaliter: ergo unio substantialiter: Concesso ant. nego conseq: stat enim aliquid esse perfectius gratia, quod tamen non sanctificet, ut appareat in existentia ipsius gratiae, quae absolute excedit hanc, & tamen existentia non sanctificat: & in ipsa unione hypostatica, quae excedit visionem beatam in perfectione, & tamen beatitudo non consistit in tali unione, sed in visione: quia ultra perfectionem requiritur, quod effectus corraspondeat naturae, seu speciei formae eum tribuentis.

10 Obs. 2. Inter effectus gratiae numeratur mundities à peccato; sed in hac excedit gratiam unio hypostatica: hæc enim incompatibilis est cum peccato levi, illa vero non: ergo excedit unio gratiam in sanctificando; sed hic excessus non aliunde oritur, nisi ex eo quod unio substantialiter, gratia accidentaliter sanctificat: ergo ita est. Dist. maj. effectus gratiae est mundities à peccato ratione ipsius gratiae, conc; ratione alicujus connotati, nego maj. & dist. min. In hac excedit unio gratiam formaliter, nego; connotativè, conc. min. & nego conseq. Concedimus in unione hypostatica adesse munditiem omnem, etiam à peccato levi: hanc autem non ab ipsa unione, sed à forma, quam connotat, unita oriri, sicut etiam in unione gratiae habitualis adest mundities non vero per unionem gratiae, sed per gratiam unitam. Similiter (quod amplificat solutionem) in visione beata non solum est mundities à pec-

cato levi, verum & impotentia peccandi; & tamen visio beata non est forma sanctificans: ergo pariter

11 Obs. 3. Non repugnat esse unionem, seu applicationem cum esse simul formam sanctificantem, ut patet in intellectione, quæ simul est forma denominans intelligentem, & unio intelligibilis cum objecto cognito: ergo ruit ratio secunda conclusionis. Nego paritatem: quia intellectus pertinet ad duas lineas, naturalem scilicet, & intelligibilem, idè intellectio ipsi correspondens secundum quod est actio physica, denominat ipsum physicè, & naturaliter intelligentem: Secundum vero quod est unio intelligibilis, ipsum intelligibiliter unit cum objecto. Non sic unio hypostatica, quippe quæ ad unum, & hunc ordinem naturalem expectat: & idè nequit esse simul applicatio formæ, & forma applicata.

D U B I U M III.

A Q U O S A N C T I F I C E T U R S U B S T A N T I A - l i t e r H u m a n i t a s C h r i s t i ?

R E S O L U T I O N O S T R A .

12 **N**atura divina sub munere subsistentiæ absolutæ, & existentiæ est unica ratio sanctificandi humanitatem Christi. Hæc sententia, prout jacet, est propria & singularis N.N. Salmant. ab ipsis inventa ut conformior rationi, nostræque Thomisticae doctrinæ, eamque tradunt in præsenti à n. 57. & in primis quod natura divina sit ratio sanctificans probatur ex Damasc. lib.

lib. 5. Fidei c. 15. ibi: *Ipse (id est Christus) se ipsum unxit , ungens quidem ut Deus sua Deitate : unctionis autem ut Homo , siquidem Deitas est unctionis humanitatis.* Et ex 6. Synodo generali act. 17. ubi dicitur , quod Humanitas Christi fuit perfusa divinitate , & ab ipsa quasi penetrata ; sed idem est in bona Theologia Christum fuisse unctionem , & Deificatum , ac esse sanctificatum : ergo à natura divina seu Deitate fuit ejus humanitas sanctificata.

¶ Prob. 2. ratione : natura namque divina constituit Deum sanctum ad intrà : ergo ipsa etiam constituit sanctum ad extrà id , cui communicatur , si capax sit sanctitatis ; sed capax est illius humanitas Christi : ergo . Nec obest , quod natura divina communicetur mediante , hoc est mediante personalitate Verbi : nam etiam subsistencia absoluta , & existentia divina sic communicantur , & tamen ab illis habet effectus subsistendi per se , & existendi .

13 Prob. 3 . Per exclusionem personalitatis divinæ , ad quam recurrent plures Thomistæ cum Mag. à S. Thoma , & Contenson : Personalitas non est sanctitas formalis : ergo ab ea nequit humanitas sanctificari . Prob. ant. omnis sanctitas est perfectio ; sed personalitas non dicit perfectionem , ut probatum nobis est tr. de Trin. disp. 2. dub. 4. ergo . Major prob. Sanctitas constituit objectum dignum dilectionis divinæ ; sed objectum non aliundè redditur dignum dilectionis , nisi ex bonitate , seu perfectione : ergo sanctitas est perfectio , seu dicere debet perfectionem .

Respondet Bolib. Personalitatem divinam licet non dicat perfectionem ad intrà , hoc est in ordine ad divinam naturam , ut illam perficiat , illam tamen dicit ad extrà , hoc est in ordine ad naturam creatam perficiendam . Sed contra est : quia si in se non est perfectio , quomodo naturam perficiet , vel creatam ? Tum , quia jam ex hoc sequetur inconveniens , ob quod relationibus denegamus perfectionem , esse scilicet tres perfectiones in divinis realiter , & specificè distinctas , & consequenter se excedentes : unde & Personæ essent inæquales in perfectione , seu ratione perficiendi ad extrà , quod nec audiatur .

14 Prob. 3 . Quia adhuc dato & non concessso , quod personalitas diceret perfectionem , non esset ratio formalis sanctificandi : ergo multò minus , si perfectionis expers sit . Ant. prob. nullum attributum , estò dicat perfectionem , sanctificat naturam divinam : ergo nec divina personalitas , licet dicat perfectionem , sanctificabit divinam , & consequenter nec humanam naturam . Consequentia hæc patet à paritate rationis , cùm utrumque , & attributum , & personalitas supponant divinam naturam sanctam , & sanctificatam per semetipsam . Ant. prob. Si attributum v. g. voluntas sanctificaret naturam divinam , ejus participatio formalis , nempè Charitas , etiam sanctificaret naturam humanam : sed falsum est apud omnes Charitatem sanctificare naturam humanam : hanc enim supponimus sanctificatam per gratiam : ergo & voluntatem divinam sanctificare naturam humanam .

sanc̄ificare naturam divinam.

Respondet Bolib. afferendo, quod attributa, imo & personalitates verē sanctificant ad intrā ; & tamen ait, quod sub hoc munere sanctificandi non participantur à prædicatis creatis, quæ sunt participations formales ipsorum, ut patet, inquit, in fide, quæ est participatio formalis cognitionis, vel luminis divini ; & tamen non imitatur illud in hoc, quod est esse incompatible cum peccato, cùm potius fides compatiatur cum eo, ut experientia constat : ergo non ex eo, quod voluntas divina sit sanctitas ad intrā, sequitur quod Charitas illam participans formaliter, imitetur eam in hoc, quod est sanctificare.

15 Pro hac dispellenda responsione nota, quod nulla creatura naturalis, etiam Angelica, est participatio formalis alicujus divini prædicati: quia nulla imitatur Deum secundū modum proprium ipsius: est enim natura divina ratio, & radix amandi, & videndi Deum in se ipso, ad quod nulla substantia, nec accidens naturale accedere potest: debet ergo esse participatio formalis Dei aliquid supernaturale; non tamen omne supernaturale, sed illud quod habet in se modum formalem prædicati divini: si enim ab illo absimiletur, ut fides v. g. quæ obscurè cognoscit, cùm Deus clarissimè cognoscat, & misericordia, quæ in Deo est virtus theologalis, & in homine moralis, & temperantia, quæ solum est virtualiter in Deo, in homine verò vel formaliter, & sic de reliquis; his in casibus, & simi-

libus non datur participatio formalis, sed virtualis: ad formalem enim opus est, ut inter virtutem divinam participantem, & creatam participantem detur duplex conceptus formalissimè talis, quorum participans habeat eundem modum essendi, ac participatus, cum sola differentia finalitatis, & infinitatis.

Unde si attente circunspicias, hæc sola invenies esse participationes formales prædicatorum divinorum, scilicet unionem hypostaticam, gratiam, charitatem, lumen gloriæ, & harum actus virtutum. Ex quibus patet jam ad Bolibaris responzionem: sanctitas enim est ex illis prædicatis, quæ participantur formaliter à creatis supernaturalibus, & consequenter, vel non datur in attributis, & relationibus, vel si datur, ut ipse vult, debet participari à charitate, quæ est participatio formalis divinæ voluntatis, quod non concedet: ergo nec debet concedere voluntatem esse sanctitatem: ergo nec personalitatem Verbi: eadem enim est ratio pro relatione, ac pro attributo.

16 Prob. jam directè conclusio quoad secundam partem, scilicet quod natura divina non sub expressione naturæ, sed sub expressionibus subsistentiæ absolutæ, & existentiæ sanctificat Humanitatem Christi: nam sub ea expressione illam sanctificat, sub qua formaliter communicatur; natura autem divina licet materialiter, & identice communicetur ut natura, non verò formaliter, sicut subsistentia, & existentia; quæ quia subrogantur loco subsistentiæ, & existentiæ creatarum formaliter, & ex intentio-

ne supplendi, & complendi illas communicantur; cum verò non distinguantur à natura, ideo illis communicatis directè, hæc quasi indirectè unitur: non enim unitur, ut suppleat rationem naturæ in Humanitate, cùm verè sit natura. Hinc ergo, oritur, quod sanctitas substantialis Humanitatis Christi à natura est divina, non quidem ut natura, sed sub expressionibus subsistentiæ absolutæ, & existentiæ.

ARGUMENTA OPPOSITA.

17 **O**BS. 1. Forma sanctificans physicè, radicare debet physicè dona, virtutes, & operationes supernaturales; sed natura divina sub expressionibus subsistentiæ, & existentiæ non illa radicat in Humanitate Christi: alias huic communicaretur per modum formæ physicæ, eo modo quo gratia accidentalis habitualis: ergo natura divina sic sumpta non est gratia substantialis. Resp. disting. maj. Forma sanctificans physicè tam quoad effectum primarium, quam secundarium sanctitatis, conc; sanctificans physicè præcisè quoad effectum primarium, nego maj. conc. min. & nego conseq.

Gratia sanctificans binum habet effectum, primarium aliud, scilicet constituere objectum congruum divinæ dilectionis, & hunc communicat Humanitati natura divina sub expressionibus dictis, non verò communicatis per modum formæ, sed per modum termini physici: est enim proprium subsistentiæ, & existentiæ terminare physicè naturam per ip-

fas subsistentem, & existentem. Alius est effectus secundarius, radicare scilicet attributa, seu dona supernaturalia, & hunc effectum tribuit natura divina *sub expressione naturæ*, non verò per modum formæ physicæ, de cuius ratione est imperfectio, scilicet perficiendi se per partem subjectivam, in qua sustentatur, sed moraliter in quantum, supposita sanctitate physica, & perfectissima effectus primarij, fit Humanitas digna, cui omnia dona supernaturalia, quorum capax est, conferantur. Dicimus *sub expressione naturæ*: nam sicut ad intrà per conceptum naturæ radicat attributa divina, ejusque operationes, sic ut ad extrà radicentur moraliter attributa, & dona supernaturalia, congruentior est expressio naturæ, quam subsistentiæ, & existentiæ. Undè in summa tota sanctitas refunditur in naturam divinam: nam si loquamur de physica, quoad effectum primarium tribuitur physicè à natura per modum subsistentiæ, & existentiæ; si verò de sanctitate morali, & quoad effectum secundarium, hæc communicatur moraliter à natura sub expressione naturæ, ut dictum est.

18 Per quod satisfit dubio, an scilicet Humanitas Christi sanctificetur per unionem ad Verbum finitè, an vè infinitè? Dicendo quod utroque modo, finitè quidem, & physicè, si attendatur ad physicum, & primarium effectum sanctitatis: neque enim physicè capax est subjectum finitum sanctitatis infinitæ; infinitè verò moraliter, si intendatur in effectum secundarium, præstitum mo-

raliter à natura divina per modum formæ moralis communicatæ ; quod appositiè expressit D. Thom. 3. p. q. 48. art. 2. ad 3. ibi : *Dignitas carnis Christi non estimanda est solum secundum carnem naturam, sed secundum personam assumptam, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* Et hac de causa diximus suprà tract. 7. disp. 1. à n. 48. Satisfactionem Christi esse valoris infiniti, scilicet moralitè.

19 Obs. 2. Estò personalitas divina non perficiat Deum, potest tamen Humanitatem perficere : ergo & sanctificare: ruit ergo ratio præcipua conclusionis. Ant. prob. Personalitas Divina aliquem effectum physicum tribuit Humanitati: ergo nequit non illam perficere : omne enim subjectum perficitur per formam, quam recipit, si aliàs mala non est: quanto plùs si bona, ut personalitas divina est? Resp. 1. Permissò, & non concessò ant. negando primam conseq. Stat enim quòd aliquid sit perfectio, & perficiat, & tamen non sanctificet, ut patet in attributis diuinis respectu Dei, & in pluribus supernaturalibus creatis, quæ creaturam perficiunt, & tamen non illam sanctificant.

Resp. 2. negando ant. ad cuius probat. dist. ant. Tribuit effectum physicum dicentem perfectionem, nego; illam non dicentem, conc. ant. & nego conseq. cum probatio-ne imbibita sub eadem distinctione. Explicatur hæc solutio in ipsa personalitate divina, quæ reddit natu-ram divinam subsistentem, tribuit que illi effectum physicum subsisten-

di relativè, & tamen quia ex se non dicit perfectionem, non illam perficit: idem ergo erga naturam humana-puta intelligendum, quòd scilicet, estò personalitas divina tribuat illi physicum effectum subsistendi non ideo illam perficiet, & mi-nus sanctificabit.

20 Obs. 3. Humanitas unitur Deitati per divinam personalitatem: ergo per istam sanctificatur: quod confirmat D. Aug. lib. 15. de Tri-nit. cap. 26. ubi ait: Tunc humani-tatem fuisse sanctificatam, quando di-vina juncta est Persona. Et expre-sius id docet D. Thom. 3. p. q. 6. art. 6. ibi: *gratia unionis est ipsum esse perso-nale.* Et q. 7. art. 3. ad 3. vocat hanc gratiam personalem: ergo ruit conclusio. Concesso ant. dist. conseq. per istam sanctificatur tamquàm per rationem formalem sanctificandi, ne-go; tamquàm per medium, quo ad-venit ratio sanctificativa formalis, conc. conseq. Ex quo patet ad tes-timonia SS. Aug. & Thom. Resp. enim quòd Persona, seu esse persona-le est quidèm sanctificativum quod Humanitatis Christi, non verò ra-tio formalis qua, de qua nobis ser-mo est. Et in hoc sensu gratia unio-nis dicitur à D. Thom. gratia per-sonalis.

21 Obs. 4. Per divinam perso-nalitatem unitur Humanitas intimius cum natura divina, quàm per gra-tiam. Item per divinam personalita-tem redditur Humanitas munda ab omni labore, imò à potentia laben-di; sed hi sunt effectus gratiæ, seu sanctitatis, imò & excedentes illos: ergo erit etiam sanctitas divina per-sona-

sonalitas. Hæc autem nimis, & ideo nihil probant: nam unio hypostatica intimius unit humanitatem Deitati, quām gratia, seu sanctitas creata, & tamen unio non est sanctitas, nec gratia. Similiter attributa divina sunt mundissima, ab omni labe immunita, imò incapacia illam contrahendi, & tamen ipsa non sunt sanctitas ad intrà: quia effectus primarius sanctitatis, qui est reddere objectum congruum dilectionis divinæ, solius proprius est naturæ divinæ; vel formaliter talis respectu sanctitatis substancialis, vel participata formaliter respectu accidentalis sanctitatis. Plura sunt, & alia argumenta contra conclusionem, quæ tamen committimus, cum potius obnubilent, quām illustrent aciem mentis studientium, materiaque eorum, nec ita sit utilis, ut non sit dispensabilis, nec ita intacta, ut ex his, quæ in præsenti, & in antecedentibus tractatibus tradita sunt, quantum fas est, non appareat, imò & eorum vis dispareat.

DISPUTATIO II.

DE GRATIA HABITUALI CHRISTI: ET
virtutibus eam consequentibus.

Gratia Christi habitualis, sive accidentalis sequitur examinationa, quæ veluti minor ad maiorem, & accidens ad substantiam, ad gratiam superadvenit substantiam: ait enim D. Thom. 3. p. q. 8. art. 13. in corp. Gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem (hypostaticam) sicut splendor so-

lem. Pro cuius perfecta intelligentia præ oculis habenda sint, opere præmium est, ea, quæ in tract. de Gratia nostra habituali in hujus operis corpore tertio dixerimus, ut ex illorum cum istis collatione, plena, atque perfecta hujus disputationis intelligentia possideatur.

DUBIUM I.

UTRUM ANIMA CHRISTI ORNATA
fuerit gratia habituali: Et ad quid
hoc fuerit necessaria?

RESOLUTIO NOSTRA.

1. **A**nima Christi præter gratiam unionis substancialis, gratiam possidet habitualem, seu accidentalem, ejusdem rationis cum nostra, & Angelica. Sic D. Thom. 3. p. q. 7. art. 1. ibi: Dicendum, quod necesse est ponere in Christo gratiam habitualem. Illum sequuntur communiter Theologi, sic sententiae huic firmiter adhaerentes; ut contraria improbabili, temerariæ, errore, & hæreticæ notis inuratur, maximè si cum illis verbis Joan. 1. confertur: Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre plenum gratia, & veritatis per quam gratiam intelligunt PP. cum D. Bern. Serm. 16. in Cant. & D. Thom. in hunc locum donum creatum, non substanciali, & increatum: sicut in tho veritatis creatam construunt, non incretam, cognitionem.

2. Ratio prima D. Thom. in hanc formam reducitur: Quantò aliquid plus Deo est proximitas, plus ejus char-

charismatum dona participat, quorum capax sit; atqui natura humana Christi omnes res creatas, etiam Angelicas in accessu ad Deum superat: cui enim Angelorum dixit aliquando & *Filius meus es tu?* Ergo maximè conveniens fuit, ut gratia, & gratia excellentissima super omnium gratias fuerit decorata. ¶ Ratio secunda est, quia Christus Dominus ratione gratiæ habitualis connotando gratiam unionis, est caput omnium juxta illud Joan. 1. *de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Sed perfectio, quæ est in membris (maxime homogeneis cum capite, qualia sunt hominis puri cum homine Deo) debet à capite derivari, vel cum illius perfectione conformari: ergo, supponunt in capite illam, quæ ex ipso ad ipsa derivatur. Nunc sic; sed homines hac gratia decorantur habituali: ergo supponunt eam in capite Christo velut in fonte locupletissime contentam.

ARGUMENTA OPPOSITA.

3 Obs. 1. In humanitate sanctificata per gratiam unionis non datur capacitas, ut sanctificetur per habitualem: ergo hæc non datur in Christo. Ant. prob: effectus primarius gratiæ habitualis præcontinetur eminenter in substanciali: ergo semel causatus per hanc, nequit iterum per illam causari, sicut semel quod humanitas existat, & subsistat per existentiam, & subsistentiam divinas substanciales, incapax est existendi, & subsistendi per accidentales creatas. Resp. negando

TOMO II.

ant. cujus probationis ant. dist. præcontinetur adæquatè, nego; inadæquatè, conc. ant. & dist. conseq. semel causatus nequit iterum causari sub eodem modo, conc; sub diverso, nego conseq.

Est dicere, quod gratia unionis causat quidem effectum sanctitatis in humanitate; ast non adæquatè: deficit enim radicatio per modum formæ physicæ operationum supernarum, quæ quidem radicatio addita effectui primario à gratia habituali præstito, illam à substanciali diversificat in modo sanctificandi humanitatem, quin ex hac radicacione sequatur major sanctificatio in accidentalis, quam in substanciali gratia; sed quinimo imperfectior: oritur enim hoc ex summa perfectione gratiæ substancialis, quæ non potest exercere rationem formæ physicæ. Exemplum subsistentiæ, & existentiæ divinarum non urget: quia præterquamquod continent eminenter creatas, præstant effectus existendi, & subsistendi complete, quod non facit sanctitas substancialis ob rationem datam.

4 Obs. 2. Subjectum tale substancialiter per unam formam non redditur tale accidentaliter per aliam: ergo humanitas sanctificata substancialiter nequit talis accidentaliter denominari: Ant. constat ex his, quæ tradunt N. Complut. abrev. in de Generat. disp. 5. n. 7. Scilicet, substanciali non habere partes substanciales, & consequenter extensionem substanciali: quia sic non posset habere partes accidentales, seu accidentalem extensionem ratione

G quan-

quantitatis; & consequentia est legitima. Resp. distinguendo ant. non redditur tale, talique modo, conc; tale, sed modo non tali, nego ant. & consequ.

Diversus est quasi specificè modus sanctificandi substantialiter, ab accidentaliter: nam cùm id dicamus esse specie distinctum ab alio, quod radicat proprietates distinctas, vel quas non radicat aliud, hoc sit in præsenti, quòd sanctitas accidentalis radicat phisicè operationes supernaturales, quas non radicat substantialis: undè infertur, quòd earum effectus sit specificè, vel quasi specificè distinctus. Si autem substantialia haberet partes, extensionemque substantialies, inintelligibilis esset distinctus modus extensionis à quantitate præstandus, ideoque semel extensa substantialiter, impossibile foret, quòd talis esset accidentaliter.

5 Obs. 3. Sequitur ex conclusione Christum esse Filium adoptivum ex gratia accidentalí, & naturalem ex gratia substantiali, quod non est admittendum: ergo nec ea, ex qua id sequitur, conclusio. Resp. negando sequelam: nam denominatio Filii convenit subiecto in quantum Personæ, cùmque in Christo unica, hæcque divina sit Persona, quæ Filius naturalis Dei est, ideo talis, & non adoptivus erit Christus Filius Dei.

¶ Contra: Filiatio adoptiva est effectus formalis gratiæ habitualis accidentalis: ergo hac communicata, & ille communicetur opus est: ergo ruit solutio. Dist. ant. Filiatio est effectus formalis primarius, nego; se-

cundarius, conc. ant. & nego conseq. Denominatio Filii adoptivi est effectus secundarius gratiæ habitualis, & ideo potest non communicari, si subiectum non sit capax, ut accidit in anima, quæ separata à corpore exuit denominationem Filii, quæ erat effectus secundarius Personæ, quiq; solùm huic competit, non verò ei, quod persona non est, sicut anima. Corpus etiam Christi habet in Eucharistia extensionem quoad se, quæ est effectus primarius quantitatis, non verò extensionem in ordine ad locum, quæ est effectus secundarius ob incapacitatem accommodandi eam, (alias magnam, & diversimodè figuratam) parvæ quantitati vini, vel Panis Eucharisticæ, & diversimodè dispositæ. Sic ergo in præsenti: est enim incapax Persona divina denominandi se Filiam adoptivam Dei, ideoque suspenditur hic effectus secundarius gratiæ accidentalis. Sed replicabis, &

6 Obs. 4. Humanitas Christi per gratiam habitualē est Deus (vel deificata) per participationem formalem, & insuper est Deus per essentiam per gratiam substantialē: ergo etiam erit Filius naturalis, & adoptivus secundūm diversas gratias; at si hoc repugnat, & primum: ergo & una ex gratiis saltim habitualis. Resp. distinguendo ant. est Deus per participationem, & per essentiam primariò, nego; primariò per participationem, & secundariò per essentiam, conc. ant. & nego conseq. Concedimus Christum esse sanctificatum, & Deificatum accidentaliter per gratiam habitualē, qui

. qui-

quidem effectus primariò convenit ei : quia non præsuponitur alteri conveniens ; esse verò sanctificatum , & deificatum substancialiter convenit ei secundariò , quatenus priùs supponitur hæc denominatio Sancti , & Dei in ipso Deo per prædictam gratiam substancialē præstata , quām humanitati data.

Ex quo sequitur , quòd nec est otiosa hæc sanctitas in humanitate : quia licet secundaria , est substancialis , & condignificans infinitè operations Christi . Nec alia accidentalis est inutilis : quia licet accidentalis , radicat illas per modum formæ physicæ . Quare verò non dicitur Christus Filius naturalis , & adoptivus simul ob diversas gratias , ostensum est suprà , & quòd paritas inter denominations Dei , & Filii non tenet.

7 Ex his jam constat secunda pars tituli dubii , & ad quid scilicet deserviat hæc gratia habitualis , sive accidentalis ? Duo sunt illius fines ; primus , ut anima Christi sanctificata accidentaliter possit physicè , & connaturaliter , hoc est , sine recurso ad miraculosam elicientiam , influere in operationes supernaturales . Secundus , ut servetur uniformitas quantum fas est inter caput hominum , & ejus membra , quatenus hæc , & illud eadem informentur gratia habituali : & cùm non possimus de plenitudine gratiæ substancialis accipere , nec tanta deceat excellentia puros homines , accipiamus saltim de plenitudine habitualis gratiæ .

8 Dices 1. hoc solum probare in Christo dari virtutes proximas

actuum supernaturalium , non verò gratiam habitualem eas radicantem , ut patet in actibus Fidei , & spei , quæ connaturaliter eliciuntur à peccatore , quin tamen habeat gratiam habitualem , sed solum virtutes proximas , fidem , & spem . Sed contra : primò , nam licet Fides , & spes operantur fine gratia connaturaliter , hoc est sine miraculo , non tamen connaturalissimè , cùm sit proprium cuiuslibet virtutis connaturalissimè existentis actu radicari in aliqua natura : Unde oritur , quòd hujusmodi virtutes habent in peccatore statum imperfectum . Secundò : quia licet hoc admittatur loquendo de aliquibus virtutibus non ita perfectis , loquendo verò de virtutibus sublimibus , ut sunt charitas , & lumen gloriæ , falsum prorsus est : & cùm in Christo dandæ sint hæ sublimes virtutes , insuper & modus connaturalissimus operationum , statusque perfectissimus aliarum virtutum inferiorum , proindè & gratiam habitualem , quæ cunctas radicet , admittere debemus .

9 Dices 2. effectus primarius gratiæ habitualis non est sanctificare subjectum : ergo ad hunc effectum non opus est gratia habitualis , maximè præsupposta gratia substanciali . Ant. prob. nam si gratia communicaretur lapidi , constitueret hunc participem naturæ divinæ , non tamen Sanctum , & amicum Dei : ergo signum est effectum primarium hunc non esse , sed primum . Si autem negetur gratiam posse recipi in lapide : quia gratia in ordine supernaturali habet rationem naturæ , de cuius est

ratione radicare operationes supernaturales, quarum subjectum incapax est lapis.

Contra: quia lapis potest à Deo assumi ad essendum, & subsistendum per subsistentiam, & existentiam divinas: ergo multò melius ad participationem naturæ divinæ media gratia. Resp. sustinendo solutionem inter argendum datam, & ad instantiam dicimus, quod natura divina potest communicari lapidi secundum numera subsistendi, & existendi: quia illorum capax est, non verò præstare denominationem sanctæ, quia incapax illius est: undè & hoc paragma in arguentem redditur: quia si natura divina adhuc communicatis effectibus indistinctis ab ejus sanctitate nequit hanc communicare lapidi, quia incapaci, nec gratia habitualis poterit sanctificare lapidem, cùm sanctificatio radicet operationes supernas, quarum incapax eliciendi lapis est.

QUÆDAM QUÆSTIUNCULÆ.

10 *QUÆRES I.* An in Christo fuerit gratia habitualis à primo instanti sue conceptionis? Resp. affirmativè: tum, quia illam habere maximam innuit perfectionem, quæ Christo Domino ex tunc non videatur deneganda. Tum, quia statim cœpit elicere operationes supernaturales charitatis, religionis, atque gratitudinis, quas, ut operaretur connaturaliter, gratia indigebat habituali. Tum demum, quia hæc, licet non sit proprietas rigorosa unionis hypostaticæ, est tamen illi con-

naturalis, ut ex D. Aug. inquit D. Thom. 3. p. q. 7. art. 13. ad 2. ergo. Et hinc inferto, quod ex tunc habuit Christus gratiam in tota illa intensione, quam habere potuit de potentia Dei ordinaria, & quod numquā accepit majorem intensionem: quia fuit perfectè beatus, nec in visione beata aliquid profecit, ut teneant communiter Theologi. Cùm enim visio beata sit terminus gratiæ habitualis, sequitur, hac non aucta, quod nec illa crevit. ¶ Nec obest illud Lucæ 2. *Prostiebat sapientia, & atate, & gratia apud Deum, & homines:* nam hæc intelliguntur verba de augmento gratiæ non in se, sed in ostensione ejus, & effectibus, ut appositi interpretantur D. Th. 3. p. q. 7. art. 12. ad 3. Naciancen. N. Ciril. & alii à N. Paulo laudati.

11 *QUÆRES II.* An anima Christi ornata fuerit omnibus illis virtutibus supernaturalibus, quæ compatiuntur cum unione hypostatica, & visione beata? Ante responcionem nota, nullam esse virtutem moralem naturalem, cui non corresponeat in ordine supernaturali virtus etiam supernaturalis: & sicut dantur virtutes naturales Prudentia, Fortitudo, Obedientia, & cæteræ, tales itidem & in ordine dantur supernaturali. ¶ Quo supposito resp. affirmativè: nam omnes hæc virtutes sunt proprietates gratiæ, quæ habet rationem naturæ in ordine supernaturali: ergo sicut in naturali consequuntur ad animam Christi tales virtutes naturales, ita & in supernaturali æquum est, imò & opus, ut consequantur fu-

supernaturales.

12 Diximus , quæ compatiuntur cum unione hypostatica , ut excludantur illæ , quæ non sunt virtutes , nisi reductivè , quales sunt Continentia , Verecundia , & aliæ , quæ ob suam imperfectionem cum tali pugnant unione. Et ideo D. Thom. 3. p. q. 7. art. 2. ad 3. negat Continentiam fuisse in Christo : nam hæc virtus patitur pravas concupiscentias , licet non illis continens succumbat , Christus verò non illas passus est : & tamen dicimus habuisse temperantiam : nam hæc tantò major est , quantò qui magis in concupiscentiis pravis exors est , & Christo plus nemo. An verò in illo fuerit virtus pœnitentia? negabimus infrà dub. 3.

13 Diximus etiam , quæ compatiuntur cum visione beata : quia cùm Christus ab initio sui fuerit illa condonatus , consequenter erant illi denegandæ virtutes illæ , quæ tali statui reluctantur , cujusmodi sunt inter alias maximè fides : de qua docet D. Thom. cit. art. 3. & N. Complut. abrev. in Log. disp. & quæst. ultimis , incompatibilem esse cum scientia , quantò magis cum scientia beatifica? Spes etiam : quia sicut de ratione Fidei est (inquit D. Thom. cit. art. 4.) quod aliquis assentiatur his , quæ non videt , ita de ratione Spei est , quod aliquis expectet id , quod nondum habet :: Christus autem à principio sua Conceptionis plenè habuit fruitionem diuinam , & ideo virtutem Spei non habuit.

¶ Nihilominus tamen habuit Christus aliquos actus spei , non circa objectum primarium , nec secundarium jam possessum , sed circa

aliqua secundaria , nondum habita , ut puta , circa gloriam corporis , & exaltationem sui nominis. Hi tamen actus non eliciebant à virtute spei , quæ verè non dabatur in Christo: est enim objectum Spei bonum arduum , at bona dicta. Et si habeant (inquit D. Thom. 2. 2. q. 18. art. 2. ad 4.) rationem ardui per comparationem ad naturam humanam , non habent rationem ardui habent gloriam animæ . Tum , quia gloria Corporis est minimum quid in comparatione ad gloriam animæ . Tum etiam , quia habens gloriam animæ , habet jam sufficienter principium gloria corporis . ¶ A qua ergo virtute tales elicerentur actus ? A charitate quidem : quia expectatio boni , ablata arduitate , non distinguitur à simplici desiderio boni absens : quod desiderium cùm sit amare bonum absens supernaturale , & non arduum , est proprium charitatis : quia ejusdem est virtutis , & desiderare bonum absens , & illo frui jam præsenti.

14 QUÆRES III. Num gratia habitualis Christi , ejusque virtutes sint proprietates ab unione hypost. dimanantes per eandem actionem? Negative resp. quia ad id opus erat , ut unio se haberet per modum radicis physicæ illarum , quod non verificatur , alias esset forma sanctificans , quod disp. præc. dub. 2. reprobabimus. Dices : D. Thom. cit. art. 3. ait: *Gratia habitualis Christi intelligitur consequens unionem , sicut splendor Solem.* Et ad 2. *Gratia habitualis non intelligitur ut præcedens unionem , sed ut consequens , sicut quadam proprietas naturalis :* ergo. Resp. quod ipse D. Thom. se dissolvit in hac 3. p. q.

7. art. 13. ubi ait : *Gratia causatur in homine ex presentia divinitatis, sicut lumen in aere ex presentia Solis.* Constat autem quod lumen in aere non est proprietas Solis : quid ergo ? quidam à Solis praesentia productus effectus. Talis suo modo est gratia respectu unionis hypostaticæ, ad cujus positionem ponitur in Christo necessariò, non verò per eamdem productionem unionis, quod opus est ad veram dimanationem, sed per distinctam : unde gratia assimilatur proprietati in necessitate positionis, & in inseparabilitate ab unione; discriminatur verò in identitate actionis productivæ essentiæ, & proprietatis.

15 *QUÆRES IV.* An gratia Christi habitualis sit simpliciter infinita? Supponimus esse super omnem gratiam creatam, omniumque Beatorum, vel Angelorum gratiæ gradus collectivè sumptos superexcedere, ut docent omnes Theologi : imò quodd & tanta fuit, ut intensior de potentia Dei ordinaria esse nequiverit. Quantum verò ad infinitatem resp. sub distinctione, & esse quidem infinitam moraliter sumptam, finitam verò physicè acceptam juxta dicta disputatione antecedenti n. 17. & 18. ibi vide.

16 *QUÆRES ULTIMO,* An gratia Christi habitualis ejusdem sit speciei ac nostra? Respr. affirmativè, si sumatur physicè : quia nequeunt dari participationes formales ejusdem prædicati divini diversæ speciei, & quia operationes, quas utraque radicat gratia, idem objectum formale conspiciunt. Negativè verò, si moraliter sumatur : nam sic est in-

finita, & infinitum simpliciter, cum simpliciter finito nequit ejusdem esse speciei.

DUBIUM II.

AN CHRISTUS SE DISPOSUERIT AD gratiam habitualem per proprios actus?

17 **S**Upponendum est primò, Christum ad gratiam non se disposuisse per actus proprios tamquam per dispositiones eam antecedentes : quia actus charitatis, de quo præcipue quæstio procedit, presupponit gratiam, à qua elicitur. Querimus de eis, ut dispositionibus consequentibus, quæ ita efficienter præcedantur à gratia, ut & eam in genere causæ dispositivæ ipsi præcedant, ad eum modum quo de gratia Angelorum asserit D. Thom. 1. p. q. 62. art. 6. Et 2. 2. q. 24. art. 3. ad 3. acquisitam fuisse ab eis media suorum actuum dispositione, non qui præcederent efficienter, sed qui gratiam subsequerentur efficientem, & tamen ad illam disponerent. Id quod & de primo homine in principio suæ conditionis tradit Angelicus Dr. 1. p. q. 95. art. 1. ad 5. & de aliis hominibus adultis assertunt communiter Theologi, dum extra Sacramentum justificantur.

NOSTRA RESOLUSIO

18 **E**St affirmans, quam præter paucos sequuntur communiter Thomistæ cum D. Thom. 3. p. q. 34. art. 3. ubi ait : *Cum ergo sanc-*

sanctificatio Christi fuerit perfectissima: :: consequens est, quod ipse secundum proprium modum liberi arbitrii in Deum fuerit sanctificatus. Prob. ratione ex ipso Sancto desumpta: nam ut inquit ipse q. 29. de Verit. art. 8. quidquid perfectionis spiritualis, & virtutis reperibile est in creaturis, Christo concedendum est ab initio sui esse; sed justificatio (ait ipse in 3. p. laudatus) adulorum est perfectior, quam parvolorum: quia illorum sit mediis propriis actibus activè; istorum verò passivè: ergo non istorum, sed illorum modus se justificandi verificatus est in prima Christi sanctificatione.

¶ Confirmatur ex ipso D. Thom. qui 1. 2. q. 113. art. 3. ait. In eo, qui habet liberum arbitrium, non sit motu à Deo adjutitiam absque motu liberi arbitrii, sed ita infundit donum gratiae justificantis, quod etiam simul cum hoc moveat liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum in his qui sunt hujus matris capaces; sed Christus Dominus habuit ab initio liberum arbitrium, sive que capax illo utendi: ergo mediis illius actibus, se movit, & dispositus.

SENTENTIA OPPOSITA

19 St Patris Suarez, & aliorum, qui solum per modum ornamenti concomitantis, non verò per modum causæ dispositivæ intervenisse actus à Christo elicitos, descendunt, in primo suæ conditionis instanti. Obs. 1. cum illis: In casum est dispositio, que contraria non invenit expellenda; sed in Chris-

to Domino nihil gratiæ introducendæ contrarium inveniebatur: ergo frustranea erat suorum actuum dispositio: Resp. negando maj. nam effectus primarius dispositionis non est expulsivus, sed determinativus ad formam participandam, ut patuit in Angelis, & primo homine, qui se mediis suis actibus ad suam justificationem coaptarunt, & tamen nullum oppositum cum ipsa peccatum supposuerunt.

20 Obs. 2. Si Christus per actum charitatis ad gratiam fuisse disponendus, meruisse (vel naturaliter mereri potuisse) illam, quod repugnat: quia gratia est principium meriti, & principium meriti non cadit sub merito, inquit trita Theologorum Parcemia; imò meruisse etiam gloriam, quam ab initio habuit perfectam, quod D. Thom. improbat 3. p. q. 19. art. 3. ergo ruit conclusio. Sequela ostenditur: haberet enim actus charitatis omnes conditiones ad meritum requisitas (vel quæ deesset, assignetur) ergo sequela est vera. Respr. habuisse quidem omnes præter unam essentialē, quæ est præcedere præmium in genere causæ efficientis meritoriae, quam ab habuisse sic absuit, ut quinimodo ipse charitatis actus præcessus fuerit à gratia in genere causæ efficientis physicæ, quomodo ergo hæc ullo modo efficeretur ab illo, qui omnimodo efficeretur ab illa? Sed contra, &

21 Obs. 3. Juxta dicta ex D. Thom. prædicti actus dispositivi fierent à Christo ex libero arbitrio, quod pugnat cum suo beatifico sta-

tu , in quo omnes actus regulantur per visionem beatam , ac proinde necessarii , non liberi debent esse: ergo ruit ratio , vel etiam auctoritas probativa conclusionis. Resp. quod est illi actus regularentur per visionem beatam , essent tamen liberi , quatenus tendebant in Deum , prout est ratio diligendi creaturas , & solùm essent necessarii , quatenus res picerent Deum secundum se : Et econtra sequeretur de medio tolli libertatem à Christo contra illud: oblatus est , quia ipse voluit , & rationem meriti quod habuit saltim respectu nostri , sed de hoc amplius infra tract. 10. de libert. Christi.

DUBIUM III.

*AN CHRISTUS HABUERIT VIRTUTEM
pœnitentiae?*

NOSTRA RESOLUTIO

22 **E**st negativa , atque communi apud omnes ferè DD. cum D. Thom. in 4. dist. 14. art. 3. quæstiunc. 3. ad 2. ibi: Dicendum , quod Christus non potuit peccare , & idem materia hujus virtutis non competit sibi , nec actu , nec potentia , & propter hoc non est simile de ipso , ac de aliis. Ubi supponit , quod licet in aliis sit beatis , non verò in beatorum capite. Ex quibus sic proceditur : non datur virtus ubi repugnat ejus actus primarius , nec hic datur ubi repugnat ejus primarium objectum ; sed objectum primarium actus pœnitentiae nec est , nec est dabile in Christo : ergo nec actus cir-

ca illud : ergo nec habitus elicivus talis actus , qui vocatur pœnitentia.

SENTENTIA OPPOSITA.

23 **D**efenditur à Suarez , qui concedit in Christo pœnitentiam quoad entitatem , ne vel hac careat excellentia , non verò quoad denominationem , ut ipsum pœnitentem denominet. Obs. 1. ex D. Thom. in 4. dist. 14. q. 1. ad 3. quæstiunc. 3. ad 2. ubi ait: *Quicumque habet virtutem pœnitentiae in hac vita , habet in futura , sed non habebit eundem actum , sed alium silièt gratias agere Deo pro misericordia relaxante delicta* : ergo pœnitentia nedum habet actum pœnitendi , verum & gratias reddendi , sed has potuit Christus dare pro alienis peccatis à Deo relaxatis: ergo. Resp. D. Thom. ex ipso loquendi modo innuere in Christo non dari pœnitentiam : ait enim: *Quicumque habet pœnitentiam in hac vita , habet illam in futura , quasi dicat: quicumque verò non habet in præsenti , nec in futura : Cùmque de solo Christo possit dici non habuisse in hac vita , ipse solus firmat regulam in contrarium. Præterea : de aliis præter Christum non est dubium , quin licet in gloria non habeant actum primarium pœnitentiae , imò nec objectum primarium præsens , possunt , vel potuerunt in via illud habere , & propter Dei misericordem remissionem : vel quia labi non permisit , ait D. Thom. prorrumpere in actus gratitudinis , qui licet sint secundarii , supponunt primarium aliquandò elicatum , vel elici-*

pos-

possibilem , ideò dabilis est in eis pœnitentiæ virtus ; in Christo verò numquàm fuit elicitus , nec potuit elici actus pœnitentiæ primarius : ergo repugnat aliquando fieri secundarium ; & consequenter pœnitentiæ.

24 Obs. 2. Licet pauper non possit exercere liberalitatem ob summam pecuniae , quam patitur , egestatem , non tollitur quin talem habeat virtutem in habitu , ut eliciat conditionatum actum ubertim expendendi , si pecuniis abundaret : ergo licet Christus ob summam innocentiam non possit exercere pœnitentiam , poterit illam habere , ut eliciat actum conditionatum pœnitendi , si peccaret , vel peccare posset. Nego conseq. & paritatem : pauper enim licet non abundet , potest tamen , pecuniis ; Christus verò nec habuit , nec habere peccatum potuit.

25 Obs. 3. Non repugnat formam aliquam communicari subjecto , quin ei tribuat denominationem primariam : ergo nec repugnabit Christo virtus pœnitentiæ quoad aliquem effectum secundarium , licet non quoad denominationem primariam pœnitentis. Ant. prob. effectus primarius personalitatis divinæ est constitutere personam ; & tamen communicata lapidi , non facit personam , sicut nec cadaver Christi personavit : ergo tenet ant. Resp. cum N. Salm. tract. de Incarn. disp. 9. dub. 3. Effectum primarium personalitatis esse facere subsistens , qui effectus in natura rationali vocatur persona ; in irrationali verò suppositum , undè re sunt idem , & solum nomine distinctum.

Sed quia hæc non cohæret doctrina cum alia ipsorum PP. qui ibidem disp. 12. n. 19. admittunt in divinitate personalitate duos primarios , & inadæquatos conceptus , & secundum unum , scilicet personandi , communicari non posse , dicunt , lapidi , posse verò secundum alium , scilicet subsistere faciendi , responderi potest distinguendo ant: quin ei tribuat denominationem primariam , nec adæquatam , nec inadæquatam , nego ; quin tribuat adæquatam , conc. ant. & nego conseq. In exemplo personalitatis , & aliis quæ à N. Paul. latè referuntur , semper ac communicatur forma , communicat hæc aliquem primarium saltem inadæquatum effectum juxta subjecti capacitatem , vel illum ut minus in aliquo eventu potens est communicare , & hoc sat est , ut subinde communicet effectum secundarium ratione primarii communicati , vel communicabilis. Ast pœnitentiæ effectus primarius in Christo nullus , nec actu est , nec potest esse ob impotentiam peccandi , & ideò non adest fundamentum , nec signatum , nec exercitum ratione cuius secundarii communicentur effectus , vel eliciantur actus. Et hac occurritur mille , quæ solutioni datae suboriuntur , instantiis.

26 Obs. 4. In Beatis datur virtus pœnitentiæ juxta D. Thom. n. 23. laud. ergo & in Christo. Ant. patet , & conseq. prob. Ideò in Christo non daretur : quia est impeccabilis ; sed idem afferit de Beatis concors Thomistarum sententia esse scilicet ab intrisco impeccables : ergo vel non datur in his , vel datur

datur & in Christo.

¶ Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 95. art. 3. ubi afferit Adamum habuisse in statu innocentiae virtutem pœnitentiaæ : erat, inquit ; sic depositus, ut si peccatum præcessisset, doleret. Et idem afferimus de Beata Virgine Maria, quamvis actum pœnitentiaæ non exercuerit, nec peccatum vel leve unquam commisserit : ergo idem tenendum est de Christo.

Ad hoc ultimum resp. quod licet in Adamo, & B. V. non fuit, esse verò potuit peccatum, & hoc sat est, ut in illis daretur virtus pœnitentiaæ, cuius contrarium fit in Christo. Ad primum verò resp. conc. ant. & dist. probationem consequentiaæ : Ideò in Christo non daretur : quia esset impecabilis utcumque, nego ; impecabilis essentialiter, & in omni statu, conc. maj. & dist. min. idem de beatis, scilicet esse ab intrinseco impeccabiles essentialiter, & in omni statu, nego, essentialiter concretivè ad præsentem beatificum, conc. min. & nego conseq. Solutio patet ex terminis. Sed

27 Replicabis contra eam, ex qua sequitur dari in patria fidem, & spem, quod tamen est falsum: ergo ruit solutio. Sequela ostenditur : non minus pugnat cum statu beatifico materia pœnitentiaæ, quam fidei, & spei : nam sicut hæc deest ratione status, sic & illa : ergo vel in patria dantur fides, & spes, vel si non, nec pœnitentia debet dari. Resp. negando sequelam, & paragium probationis. Tum, quia

materia fidei, & spei non solùm deest negativè, sed & adest materia eis contraria positivè, scilicet claritas, & possessio objecti, quæ contrariantur obscuritati fidei, speculationi spei, quod non verificatur in objecto pœnitentiaæ, cujus objectum deest sine subrogatione alterius positivè sibi oppositi. Vel si hæc non placet solutio, dic objectum pœnitentiaæ esse sive præteritum, sive præsens, sive possibile in aliquo statu, ad quod expiandum de præsenti, vel plorandum de præterito, vel præcavendum de possibili, datur in Beatis virtus pœnitentiaæ, at objectum fidei est de præsenti, hæc obscurè cognitum : spei etiam debet esse actu existens, licet non possum. Si autem hæc objecta absint, vel non sint actu, uti non sunt respectu beatorum, sed quinimò oppositum, abest etiam objectum exercitii illarum, & consequenter illæ.

28 Obs. 5. Peccatum non est objectum primarium pœnitentiaæ: ergo licet illud repugnet Christo, non repugnabit pœnitentia. Ant. prob. nam peccatum est malum, inquit autem D. Thom. 3. p. q. 7. art. 6. ad 1. *Habitus virtutum, & donorum propriè, & per se respiciunt bonum; malum autem ex consequenti:* ergo tenet ant. Resp. distinguendo illud ; peccatum non est objectum primarium, nec essentialiter cum illo connexum, nego ; est verò connexum essentialiter, conc. ant. & nego conseq. Objectum primarium pœnitentiaæ est jus læsum di-

Vinum reparandum ; at nequit hoc reponi sine depositione , vel expiatione peccati : illud tamen primò & per se respicitur , hoc autem secundum ex consequenti , ut inquit D. Thom. Est tamen consequens essentialiter : sicut enim sine peccato non est laesio divini juris , sic nec hujus repositio si non sit peccati depositio. Utrumque autem bonum est , & reparare jus , & expiare peccatum : unde non mirum , quod pœnitentia circa utrumque versetur modo dicto.

29 Obs. 6. In Christo Dominus fuit timor juxta illud Isai. 11. 3. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini:* ergo etiam pœnitentia : quia sicut haec respicit peccatum detestandum , sic timor peccatum fugiendum. Respondet sic Ang. Dr. 3. p. q. 7. art. 6. *In Christo fuit timor Dei, non quidem quatenus respicit malum separationis à Deo per culpam, sed secundum quod respiciebat divinam eminentiam, propter animam Christi quodam affectu reverentiali movebatur in Deum.* Et addit N. Paulus (post multiplices expulsos respondendi modos ad D. Thom. qui 2. 2. q. 19. art. 9. ad 2. ait contra nos: *Proprium & principale objectum timoris est malum, quod quis refugit*) addit inquam , quod eminentia divina non utcumquè excitat in Christo timorem , sed in quantum potens est ex se infligere malum. Jam ergo verificatur dictum D. Thom. quod malum est objectum sive malum nobis quod possimus incurrere , sive malum quod Deus potest infligere , non quidem per Christum incurrendum; sed malum per divinam eminentiam,

quantum est ex se possibiliter infligendum.

DUBIUM IV.

AN VIRTUTES MORALES PER SE ACQUISIBILES FUERINT IN CHRISTO PER ALCIDENS INFUSAS?

30 **S**upponimus in Christo virtutes morales acquisibiles , & difficultas est , an defacto eas acquisierit : anvè Deus sic disponens illas illi infuderit ? Suppositio deducitur ex Ang. Doctore 3. p. q. 7. art. 3. ad 1. ubi ait , in Christo fuisse virtutes morales , quæ in sui ratione defectum non important atqui plures sunt virtutes morales , quæ nullam indecentiam in sui ratione dicant; ergo concedendæ sunt Christo Domino : quod & suadet communis Theologorum parceria , ipsi scilicet , dandum esse quidquid perfectionis cæteris datur hominibus , non tam pugnans cum sua excellentia. Et quidem si aliqua ipsi inferretur indecentia , esset , ut ajunt adversarii , quod operaretur aliquid ex motivo talium virtutum , & non omne ut supremum agens ex motivo charitatis; atqui hoc minimè sequitur : quia quod actus eliciatur ex motivo aliquius virtutis non tollit , quod ordinetur ad finem charitatis : unde actus obedientiae , & humilitatis eliciti à Christo ex motivo intrinseco harum virtutum , fuerunt etiam ex motivo extrinseco charitatis in hujus finem ordinati , alias in Deo nulla daretur virtus præter charitatem: ergo fundamentum ruit contrarium huic

huic suppositioni , contra quam

31 Obs. Virtutes dantur ad vincendas difficultates ; sed in Christo nulla fuit , quæ vinceretur ex defec-
tu passionum insurgentium , imò &
fomitis peccati juxta D. Thom. 3.
p. q. 15. art. 2. ergo. Major prob.
nam exindè Theologi nullam vir-
tutem admittunt in voluntate circa
bonum proprium : quia nulla circa
illud occurrit vincenda difficultas:
tenet ergo major. Argumentum ni-
mum , & ideo nullum est: probat
enim à Christo Domino etiam vir-
tutes morales per se infussas exclu-
dendas esse , quòd nec ipsi annuunt
adversarii. Resp. tamen difficulta-
tem ex parte objecti de materiali
se habere ad illud attingendum **ex**
parte potentiae , imò quantò hæc
perfectius circa illud operatur, tan-
tò minus habet , quod vincatur , &
ut inquit D. Thom. in hoc art. ad
3. *Temperancia tanto perfectior est, quanto magis pravis concupiscentiis caret.* Undè refrñare concupiscentias non est
primarium munus virtutum , sed dis-
ponere , & coaptare potentias ad
eas faciliter , & juxta regulas
rationis exercendas : & cùm
voluntas circa proprium bonum sit
sufficienter propensa , & coaptata,
ideo ex hoc potius quām ex defec-
tu difficultatis non indiget virtute
superaddita.

NOSTRA RESOLUTIO

32 **A**sserit Christum Domi-
num non habuisse per
infusionem virtutes morales per se
acquisibiles , sed eas reapse ac-

quisivisse per proprios actus , & mo-
do naturali. Sic Arauxo , Nazar. &
N. Salm. in præsenti disp. 14. dub.
1. Prob. ex D. Thom. 3. p. q.
19. art. 3. in corp. ibi: *Habere ali-
quod donum per se est nobilius , quām
habere illud per aliud: semper enim cau-
sa , quæ est per se , potior est ea , quæ
est per aliud , ut dicitur in 8. Physic.* er-
go potius , & nobilius est Christum
habere virtutes per se acquisitas ,
quām per alium infussas ; sed Chris-
to concedendum est quidquid sine
sua præjudicio excellentiæ nobilius
est , & excellentius: ergo & habe-
re virtutes acquisitas perse , & non
aliundè datas.

Undè sicut gloriosius fuit Chris-
to gloriam sui corporis per propria
merita comparasse , quām per passi-
vam infusionem recepisse , ut loco
cit. inquit D. Thom. sic etiam
de virtutibus discurrendum est mo-
ralibus. ¶ Confirmatur exemplo scien-
tiarum naturalium , de quibus do-
cet D. Thom. 3. p. q. 9. art. 4.
(quod & annuunt adversarii nostri)
illas non habuisse Christum ab ini-
tio sui infussas : quia necessariæ erant
species , quibus intellectus actuare-
tur , quæque decursu temporis à suis
objectis essent ehibitæ ; atqui etiam
virtutes morales indigent in intellec-
tu talibus speciebus , per quarum cog-
nitionem fiant volibilia objecta vir-
tutum : ergo si has non habuit Chris-
tus à principio sui infussas , sed eas
exindè acquisivit exercitio sensuum ,
& intellectus agentis elaboratione ,
nec virtutes tunc habuit usque ad
tempus.

ARGUMENTA OPPOSITA.

33 **I**llustrissimus Godoy, S. Thoma, Gonet, & alii ex nostrisibus asserunt virtutes morales, alias naturaliter acquisibiles, fuisse per accidens infusas Christo ab initio sui. Cum quibus obs. 1. Si Christus per proprios actus, & cursu temporis virtutes acquisivisset morales, has haberet aliquandiu imperfectas; hoc suam dedecet excellentiam: ergo non est admittendum; Prob. sequela: illas haberet in statu continentiae (continentiae vocat D. Thom. illum statum in quo quis non meretur nomen virtuosi, sed continentis) sed hunc statum improbat in Christo D. Thom. 3. p. q. 7. art. 2. ad 3. quia est habere virtutem juxta Arist. 7. Ethicor. e. 9. in statu imperfecto, & inchoato: ergo vera est major.

Resp. disting. maj. haberet virtutes imperfectas negativè, hoc est ex defectu majoris intensionis possibilis haberi, conc; imperfectas positivè, hoc est ab exuberantia passionum reluctantium vincibles, vel impedibiles à suo exercitio, nego maj. min. sub distinctione data, & cons. Ex quo patet ad probationem min. ex D. Thom. absumptam: ait enim ipse nuper laudatus: *Temperatus in hoc à continente differt, quod non patitur pravas concupiscentias, quas continens patitur.* Cùmque Christus Dominus licet non haberet ab initio sui virtutes in gradu intensiori, fuit tamen exemptus à pravis, quas pateretur rebellionibus,

ideò habuit virtutem temperantiae, quod approbat S. Doctor, non verò continentiae, quam expressè reprobatur: nam contineri est pati ab appetitu inferiori, & hoc imperfectiōnem dicit positivam; esse verò temperatum est rationi attemperari juxta dictum virtutis acquisitæ: ast non amplius extendi tantum est imperfectio negativa.

34 Obs. 2. Prædictæ virtutes fuerunt Adamo à principio suæ conditionis infusæ, & idem tradit D. Thom. q. 16. de malo art. 3. de Angelis, hos scilicet non eas studio suo comparasse, sed à Deo illas per infusionem habuisse: ergo idem, & potiori titulo dicendum erit de Christo. Resp. concessio ant. quoad utramque partem, negando conseq. Et in primis quantum ad Adami virtutes est clara disparitas: hic enim editus est in plenitudine ætatis proiectæ, & sufficientis, ut & generare, & instruere alios posset, quod sine virtutibus infusis nullimodè posset exercere; at Christus ex una parte habuit à principio illas virtutes, quæ per se cum gratia infusæ sunt: ex alia non aliis indigebat in tan tenebra ætate ad ullum horum munerum: Igitur par erat, quod illas propria industria, & naturaliter sicut cæteri homines, ut illis quantum fas est conformaretur, compararet.

35 Ad exemplum Angelorum dic, quod cum hi sint natura media inter divinam, & humanam, nec sint tam immateriales, ut conjungant, & identificant actum primum operandi, (qui est virtus) cum ac-

tu secundo, sicut Deus, nec ita materiales, ut in sua creatione non habuerint actum primum, nec secundum sicut homines, sed ita immateriales, ut assimilarentur Deo in habendo ab initio sui actum primum, scilicet virtutes: & ita potentiales, ut hominibus assimilarentur in non habendo actum secundum identificatum cum primo, ideo à principio suæ creationis justos, prudentes, & sapientes natos fuisse opportuit saltem in actu primo. Christus verò in quantum homo, sicut cæteri homines opportuit esset, hoc est, sine actu primo, nec secundo: quia materialis erat, & aliás potens mediis speciebus ministerio sensuum receptis informare intellectum, & iste rectificare voluntatem, ut virtutes acquirerent, quibus faciliter, & feliciter operarentur, quarum acquisitione specierum denegatum est Angelis, sed omnes à principio ipsis sunt infusæ, ut suo dicemus latius in loco.

rum, cum aliquo tamen ad hasce addito connotato, vel respectu, quod ut pateat, sit

DUBIUM I.

*VTRVM CHRISTUS CONSTITUATUR
caput Ecclesiæ per gratiam habitualem; anvè per unionis gratiam?*

1. **S**UPPONAS de Fide certum Christum caput esse Ecclesiæ ex illo Paul. ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Quod & ratione suadetur, & paritate corporalis capititis: est enim de ratione capititis tres hasce habere proprietates respectu membrorum inferiorum, scilicet prioritatem, superioritatem, & influentiam; sed illas verè habet Christus Dominus. Hæc minor prob. est enim prior, cum sit primò electus, & aliorum exemplar: deinde est superior omnibus hominibus: quia *in primo instanti suæ conceptionis*, inquit D. Thom. 3. p. q. 34. art. 4. *acceptit non solum gratiam, quantum comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorēm.* Demùm habet influentiam in omnia nos membra, cum nobis gratiam, & gloriam omnibus meruerit: ergo verè est caput.

2. Dices: Cor habet prædictas tres proprietates, & tamen non Christus, sed Spiritus S. dicitur cor Ecclesiæ: ergo ratio ruit data. Respondet D. Thom. 3. p. q. 8. art. 1. ad 3. ubi ait: *Caput habet manifestam eminentiam respectu ceterorum membrorum, sed cor habet quandam eminentiam occultam*

DISPUTATIO III.

DE GRATIA CAPITALI CHRISTI.

CUM gratia capitalis, de qua in præsenti, non caput aliarum sit gratarum, quæ in Christo reperiuntur, sed ipsismet esse, vel saltem aliquam ex ipsis, quatenus ab eis cæteris hominibus sua cujusque gratia derivatur; ideo non ab hac hunc tractatum orsi sumus, sed substantialem, & habitualem præmissimus, quæ verè cuput sunt nostra-

tam: & idē cordi comparatur Spiritus S. qui invisibiliter Ecclesiam viviscat, & unit; capiti autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam hominibus preferitur. Apposita, & energica solutio! Nec obest dicere: In corpore naturali caput etiam est membrum: ergo erit Christus membrum Ecclesiae. Est quidem membrum, sed capitale, & omnibus superius, & hoc vocamus caput aliorum: unde dixit Paul. 1. ad Cor. 12. *Vos sis corpus ejus, & membrum de membro.* His præhabitatis, sit

NOSTRA, ET THOMISTICA SENTENTIA.

3 **D**icendum est, gratiam capitalem Christi consistere in recto in gratia habituali (debet tamen in obliquo connotare gratiam unionis: quia sine hac illa nequit esse principium valoris infiniti ad nostram desiderati redemptionem) sic Godoy, Gonet, & communiter Thomistæ cum suo Præcep. qui 3. p. q. 8. art. 5. ad 3. ait: *Gratia personalis, & gratia capititis convenient in essentia habitus, non autem gratia unionis.* Ubi ut vides gratiam personalem, quæ juxta ipsum loc. cit. est ipsa gratia habitualis, secernit à gratia unionis, & identificat cum gratia capititis: *conveniunt enim, inquit, in essentia habitus:* ergo favet nostræ conclusioni. ¶ Prob. ratione: Illa gratia constituit Christum in ratione capititis, per quam physicè, & formaliter constituitur in actu primo potens influere in actus meritorios nostræ Redemptionis; sed hæc non

est gratia unionis quippe quæ rationem formæ physicæ refugit, & solum rationem puri termini habere potest: ergo à fortiori erit gratia habitualis, quæ verè habet rationem formæ physicæ, & naturæ.

SENTENTIA CONTRARIA.

4 **E**st Patris Vazquezii, & aliorum. Obs. 1. nam Christus Dominus est caput non quatenus utcumque in omnia influit membra, sed influentia redemptiva, quæ infinita petit esse; atqui per gratiam habitualem nequit influere infinitè: ergo per illam non constituitur caput Ecclesiae. Resp. ex dictis tract. ant. disp. 1. à n. 67. Valorem infinitum operum Christi non consistere in aliqua denominatione extrinseca ipsis adveniente, vel in persona divina per modum formæ moralis ipsa condignificante, sed in ipsis entitatibus physicis operum Christi connotantibus Personam divinam: hoc cum ita sit, habemus in gratia habituali à qua talia producuntur opera) eumdem respectum, & connotationem, ut quæ aliæ non posset elicere actus, nisi limitatos & finitos, habeat per hunc modum influentiam in illos infinitam, & sic per illam caput Christus constituitur infinitè influens in suorum redemptionem membrorum.

5 Obs. 2. Gratia capititis ordinatur in bonum, & perfectionem aliorum; gratia verò habitualis ad perficiendum subjectum in quo est: ergo hæc nequit esse illa. Objectio

re-

112 Tract. VIII. de Gratia Christi, Disp. III. Dub. I.

retunditur in arguentem, qui gratiam unionis negare nequit perficere subjectum, in quo est, & nihilominus admissit illam esse capitalem, & in aliorum perfectionem ordinatam. Dicimus ergo, quod ita gratia ordinatur per se primò ad perficiendum subjectum, in quo est, sub qua ratione dicitur habitualis, ut & per se secundò in aliorum utilitatem ordinetur, ut hoc sub munere gratia capitalis nominetur.

6 Obs. 3. Ea gratia dicenda est capitalis, quæ prior, & perfectior est; hæc autem est gratia unionis, à qua omnis est gratia, & quæ in omnes influit gratias: ergo. Resp. neg. maj. nam per gratiam capitalem intelligimus in præsenti illam, quæ influit in sua membra homogenea, hoc est ejusdem naturæ, & per modum formæ physicæ, connaturaliterque operantis, quod solùm convenit gratiæ habituali Christi, cùm gratia unionis nec sit homogenea cum nostra, nec ejus sit influxus per modum formæ, sed per modum puri termini.

DUBIUM II.

VTRUM CHRISTUS FUERIT CAPUT
Adami in statu innocentiae?

6 Supponendum est, Christum esse caput omnium hominum, qui actu sunt membra Ecclesiæ. Forma autem Ecclesiæ constitutiva est Fides juxta D. Aug. in Psalm. 81. illam sic definientem: Congregatio fidicium. ¶ Ex quo infer-

caput esse Christum cathecumenorum, si habent fidem antequām bapticentur: excommunicatorum etiam, & consequenter Fidelium peccatorum, imò & Schismaticorum: quia ut docet D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. ad 3. Schisma non opponitur fidei, sed unitati, & charitati. Respectu verò Hæreticorum, & Infidelium solùm est caput in potentia, ut tradit ipse D. Thom. in 3. dist. 13. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. Et tandem respectu damnatorum nec actu, nec potentia est caput: quia incapaces sunt iterū reunendi se formæ fidei. Hæc intellige de Ecclesia secundūm essentialia, non de ea secundūm perfecta: ad hoc enim ultra fidem requiritur & gratia juxta D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. & q. 62. art. 1. ubi ait: Non autem efficitur homo membrum Christi nisi per gratiam. Difficultas est de primo homine in statu innocentiae, fueritne sub hoc statu membrum Christi media gratia, & fide de ipso venturo ex influxu ipsius Christi?

NOSTRA RESOLUTIO

7 Negativa est, quam patens demptis tenent communiter Thomistæ. Prob. 1. ex D. Aug. lib. de Correc. & gr. c. 11. ibi: Ille (scilicet Adamus) in illis bonis Christi morte non eguit: ergo non fuit membrum: hoc enim capite oppidò indiget. Prob. 2. ex D. Thom. q. 29. de Verit. art. 4. ad 3. ibi: Supposita illa opinione quod Christus non fuisset incarnatus, si homo non peccasset, Christ-

Christus ante peccatum fuisse caput Ecclesie secundum divinam naturam solum, sed post peccatum opportet quod sit Ecclesia caput secundum humanam. Quasi dicat Adamo non peccante, Deum ut talem solum fuisse futurum caput Ecclesiae; post lapsum verò ipsum ut hominem, hoc est Christum.

¶ Ratione prob. 3. quia defacto, & ex in præsentis decreti nulla est à Christo gratia, quæ non sit ab ipso ut Redemptore (solum enim venit ex fine redimendi, quo fine cessante, adventus & cessaret) atque gratia Adami non pendebat à Christo ut Redemptore: hic enim redemit sua morte, qua morte non eguit gratia Adami, ut inquit laudatus Aug. ergo non erat à Christo: ergo non recognoscet ipsum caput.

SENTENTIA ADVERSANS

8. Defenditur à PP. Gonet. Ferre, Suario, Lorca, & novissimè Lardito in de merito Christi dub. 10. Pro qua obs. 1. DD. Aug. in Psalm. 118. & Hieron. 5. ad Galat. ubi docent, homines, id est Adam, & Evam, in statu innocentiae ad eamdem ad quam nos nunc, tunc & ipsos pertinuisse Ecclesiam. Et Thomam 3. p. q. 8. art. 3. ubi sic ait: *sic ergo diuidum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi Christus est caput hominum.* Resp. 1. Parentes nostros in statu innocentiae pertinuisse ad nostram Ecclesiam. Ast non aetü, sed potentia. Resp. 2. Doctrinam SS. PP. veram esse, quatenus omnes

Tomo II.

etiam Adam, & Eva ejusdem fure Ecclesiæ membra post lapsum. Itaque ly secundum totum tempus significat à tempore Adam, & Evæ, non verò ab illa temporis particula in qua statum servaverunt innocentiae.

9. Obs. 2. Gratia originalis fuit effectus prædestinationis Adam (siquidem ex intentione conferendæ gloriae data est illi) sed prædestinationis Adam fuit effectus prædestinationis Christi: nam Christus influit in eujuscumque prædestinati salvacionem: ergo Christus influit ut caput in Adamum etiam in statu innocentiae. Resp. negando maj. nam gratia originalis non fuit Adamo collata ex intentione efficaci gloriae conferendæ, & consequenter non est effectus suæ prædestinationis: nam hæc efficaciter liberat quoscumque liberat, ex quo tota vis corruit argumenti: quia sola illa gratia est effectus prædestinationis, quæ conductit ad liberationem, vel redemptionem à peccato, cuiusmodi gratia originalis nullimode fuit. Sed replicabis, &

10. Obs. 3. Substantia Adam prius fuit, quam ejus originalis gratia, ut ex se patet; sed substantia Adami fuit effectus prædestinationis Christi, ut expressè tenent N. Salm. tr. de Prædest. disp. 5. ergo & gratia originalis. Resp. concessa maj. distinguendo min. fuit effectus prædestinationis substantia Adami, prout hæc pertinebat ad statum innocentiae, nego; prout lapsa, conc. min. & nego conseq. Idem effectus maximè secundum diversitatem statuum

H

plu-

plures potest conspicere fines partiales: undē substantia Adami in primo statu fuit effectus providentiae divinæ justificativæ in finem justitiae originalis illam ordinantis; in secundo verò fuit effectus providentiae redemptivæ in finem gloriæ illam destinantis. Sed replicabis, &

11 Obs. 4. Christus Dominus fuit prævolitus à Deo ut finis omnium rerum: ergo substantia Adami quomodocumque sumpta, imò & ejus originalis justitia imperatæ fuerunt à providentia redemptiva, ac proinde sunt effectus ejus. Dist. ant. ut finis omnium rerum sub omni consideratione formaliter, nego; sub omni materialiter, & sub aliqua formaliter sumptarum, concedo ant. & dist. conf: Substantia Adami, & ejus justitia sub omni consideratione formaliter sumptæ sunt effectus prædestinationis, nego; sub omni materialiter, & sub aliqua formaliter, conc. conseq.

Explicatur: Tam substantia Adami in primo statu, quām ejus primitiva gratia fuerunt imperatæ, & effectus providentiae justificativæ primordialiter, seu originaliter, & prout sic formaliter sumptæ non poterant esse effectus providentiae redemptivæ, seu prædestinationis; at verò jam effectæ, & Imperatæ à prima providentia, hæ ipsæ entitates materialiter se habentes ad quemcumque finem Deus illas ordinaret, defactò ordinatæ sunt per providentiam redemptivam ad finem prædestinationis, & sub hac ratione possent esse effectus prædestinationis; ceterum

absolutè non tales dicuntur: quia per effectum prædestinationis non qualemcumque, & utcumquè in eam ordinatum intelligimus, sed illum, qui non solum ordinatur postquam elicitor, sed & qui elicitus est ex meritis Christi, quod non verificatur in gratia originali, quæ ex mera, & gratuita divina providentia fuit communicata, licet jam sic producta in finem etiam, quem omnes conspi- ciunt creaturæ, nempè Christum, ordinata fuerit. Undē providentia justificativa, & redemptiva mutua se prioritate præcesserunt, ita ut justificativa aliam antecelleret quasi in genere causæ efficientis substantiam, & gratiam; redemptiva verò in genere causæ finalis omnium, quæ universum constituunt mundum, ante alteram præiret.

12 Obs. 5. Ideò gratia originalis non esset effectus prædestinationis Christi: quia per subsequens extincta est peccatum; sed hæ ratio enerva est: siquidem merita nostra mortificantur per subsequens peccatum, & tamen per poenitentiam reviviscunt in ordine ad gloriam: ergo idem dici potest de gratia Adami originali. Dist. maj. quia extincta est utcumquè, nego; quia extincta est irreparabiliter per Christum, conc. maj. nego min. & paritatem imbibitam cum conseq. quia peccata nunc patruntur in felici reparacionis nostra systhemate, de quibus licet cum Ecclesia personare: O felix culpa, quæ tamē, ac tantum meruit habere Redemptorem! Ideò extincta per eam nostra gratia, & merita iterum per Christum

tum reviviscunt; gratia verò originalis Adæ cùm præter hanc systhematis felicitatem clargita fuerit, in qua non aspiciebat Christum reparatorem, ita per peccatum fuit extincta, ut ipsa, & ejus merita quasi numquām exitissent, mortua manerent. ¶ Potest etiam dici, quod justitia originalis, si per penitentiam recuperaretur, saltim ut recuperata, posset esse effectus prædestinationis, cæterū tunc jam non justitia originalis vocaretur: sicut enim haberet entitatem illius, non tamen modum specialem subjiciendi corpus rectæ rationi. Vide N. Salm. in de Prædest. disp. 4. n. 25. & 26. Cùm quibus

13 Obs. 6. Nam juxta ipsos loco citato gratia originalis Adæ data, ortum duxit ex intentione efficaci conferendi illi gloriam: ergo fuit effectus ejus prædestinationis: corruit ergo juxta ipsos tota hucusq[ue] data doctrina. Resp. N. Salm. in dicto loco non determinasse circa subjectam materiam, & solum probabilititer locutus fuisse: ajunt enim ibi, non esse improbatum in via D. Thom. quod non est resolvere, sed refferre, & simul refferti ad hunc locum, in quo contrarium statuunt, ac defendunt.

14 Obs. ultimò Adamus habuit fidem in primo innocentiae statu: ergo fuit membrum Ecclesiæ: ergo & Christi. Dist. ant. habuit fidem de Deo, conc: de Christo, subdistinguo; de Christo ut tali, transeat;

ut sui Redemptore, & omnium reparatore, nego ant. & dist. primum consequens: fuit membrum Ecclesiæ Dei justificativæ, conc: Ecclesiæ Christi Redemptricis, nego cons. primam, & similiter secundam. Fides non utcumq[ue] est forma Ecclesiæ nostræ, sed Fides Christi venturi ut Redemptoris, Auctoris nostræ reparationis, quam non habuit Adamus, & ideo non fuit illius membrum, nec ejus capit[us] Christi.

DUBIUM III.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ANGELORVM?

15 PRO hoc melius quæsito capessendo, vide quæ infra in tr. de Merito dicemus, ubi statuimus Christum non meruisse Angelis gratiam habitualem, quo supposito, sit

NOSTRA CONCLUSIO.

Dicendum est Christum Dominum esse caput Angelorum. Constat ex illo ad Colos. 2. ubi de Christo dicitur: *Qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Constat etiam ex D. Aug. Conc. 3. ubi ait: *Caput nostrum Christus est: corpus illius nos sumus, adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, ut illa una Civitas fiat sub uno Rege, & una Provincia sub uno Imperatore.* Et expressius ex D. Thom. q. 29. de Verit. art. 4. ad 5. ibi: *Christus non solum secundum naturam de-*

vinum, sed etiam secundum humanam est Angelorum caput: quia illuminat eos secundum humanam naturam.

¶ Ratione demù constat: habet enim Christus tres conditiones ad rationem Angelorum capitum: est enim prior Angelis juxa illud Joah. 8. 58. *Antequam Abram fuerit, ego sum: nam in sensu quo præcessit Abraham, Angelos itidem præcessit.* Est etiam superior, & perfectior illis ex ad Hebræos 1. *Tantù melior Angelis effectus, quād differentiū præ illis nomen hæreditavit.* Influit etiam in illos tum illuminando, tum illis mendendo *accidentalia præmia*, juxta D. Thom. 3. p. q. 59. art. 6. Tum per modum finis cuius gratia, seu ut inquit Ap. ad Hebr. 2. *Propter quem omnia, & per quem omnia: ergo verè est caput omnium Angelorum.*

CONTRARIA SENTENTIA

16 **E**st D. Bonav. & aliorum, quam probant primò ex D. Chrysost. qui super 1. ad Ephes. ubi dicitur Christum esse supra omnem Principatum, & Potestatem: id interpretatur intellectum iri secundum divinitatem, cùm tamen resolutio nostra humanitatem comprehendat. Resp. Chrysost. tribuere divinitati radicem hujus dignitatis capitalis, non verò illam ratione divinitatis negare humanitati, cum & ipse super illud ad Colos. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo corporaliter*, qui est caput omnis Principatus, afferat oppositum. Et quidem ex ipso textu patet, si ad ejus

intendatur verba: ait enim: *In ipso inhabitat omnis plenitudo corporaliter, quasi & corpus ipsum (per quod intellige esse, esse humanum) hoc fruatur privilegio.*

17 Obs. 2. Justificatio Adami non fuit sub Christo capite, ut diximus dub. præced. ergo nec Angelorum. Est disparitas, quod licet utraque justificatio respiciat Christum finem cuius gratia, qua de causa (largè licet) dici valeat Christus caput Adami in primo statu, sicut n. 2. explicuimus, sed verè justificatio Angeli, quippe quæ gloriam efficaciter obtainendam respiciebat, erat effectus suæ prædestinationis: hæc autem effectus prædestinationis Christi, cum hic omnium primus, caputque prædestinatum à Deo, & ab æterno institutus fuerit, non sic justificatio Adami, quæ cum non esset effectus suæ prædestinationis; quia non respiciebat gloriam defactò per ipsum consequendam, nec etiam erat effectus prædestinationis Christi, & ideo hunc licet respiciebat ut finem materialiter objectivè, seu speculativè, non verò ut finem formaliter redemptivum, reparativum, nec conductivum hominis sic justificati in gloriam justificatis per Christum Redemptorem præparatam.

18 Obs. 3. Ex dicta sequitur doctrina, quod Angelii haud secùs justificati sunt ex meritis Christi, quam SS. PP. antiqui, de quibus infra tract. 10. dicemus justificatos ipsos fuisse ex meritis Christi non ut causæ moralis effi-

efficientis, sed finalis cuius gratia, quod etiam Angelis concedit nostra hæc resolutio; sed absurdum videtur in hac parte Angelos cum hominibus pariare: ergo id non est dicendum, ex quo istud sequitur. Resp. negando maj. licet enim Christus fuerit tum Patrum, tum Angelorum finalis causa justificationis, & non efficiens meritoria, aliter tamen, & aliter: nam isti per Christum non sunt redempti, nec gratia eorum fuit sanguinis Christi prætio comparata: unde solùm respiciebant ipsum ut caput suum, propter cuius gloriam, imò & servitutem, ministeriumque, quod erga ipsum quandiu vixerit, & regnaverit, impleturi erant, creati unt, & si Christum respiciebant Redemptorem, non sui Redemptorem, sed hominem. Hi verò ante adventum Christi non solùm ut finem cuius gratia nati sunt, sed & ut Redemptorem, cuius sanguinis prætio, atque lavacro & redimendi, & lavandi essent, eum conspiciebant. Imò ut & causam efficientem aliquomodo Christum conspexerunt, quatenus hic efficienter meritoriè gratiam eorum consumari meruit, & gloriam conferri sempiternam: totum quod ante adventum Christi habuerunt Angelii, idèque diversimodo istorum caput, ac antiquorum PP. Christus fuit.

19 Ex his tandem infer, quod si NN. Salm. varios, & in consequentes in hac notes materia, eo quod aliquandò afferant Christum finem esse cuius gratia Angelorum, & Adami in statu innocentia, aliquan-

dò id negent, eos sic inteligas opportet, ut dum affirmant, solùm respiciatur Christus Redemptor materialiter objectivè, seu speculativè; quando verò negant, loquuntur de Christo formaliter ut Redemptore ipsis, qui vel ipsorum gratiam meruerit primitivam.

20 Obs. 4. Inter caput, & membra debet dari convenientia in natura, quæ tamen non est inter Christum, & Angelos: ergo istorum ille non est caput. Probat hoc argumentum nimis, scilicet, nec Deum esse caput nostri, & Angelorum, quod vel proferre non licet. Deinde resp. cum D. Thom. in 4. sent. dist. 49. q. 4. art. 4. ad 5. quod loquendo de membris secundum se, non requiritur inter ea alia convenientia, quam proportionis, ut unum ab alio accipiat, & unum alii subserviat, quod quidem verificatur in praesenti, ut revolventi hucusque dicta constabit.

QUÆRES OBITER.

21 **N**Um Diabolus, dictus Lucifer, sit caput omnium malorum, etiam hominum quantum ad exteriorem gubernationem? Respondet D. Thom. 3. p. q. 8. art. 7. affirmativè, quod & probat ex illo Job. 41. in fine: *Ipse est Rex super universos filios superbìa.* Ratio ipsius hæc est: Pertinet autem ad gubernatorem, ut eos, quos gubernat, ad suum finem adducat: finis autem diaboli est aversio rationalis creature à Deo: ipso autem aversio habet rationem finis in quantum appetit-

tur sub specie libertatis. Prob. etiam ex tribus assignatis pro vero capite conditionibus , scilicet , prioritate, quam verè habuit Lucifer respectu Angelorum , & hominum malorum , quippè qui prior ante omnes vexillum contra Deum levaverit sese illi acerrimè obijcendo: eminentia etiam cùm omnes supererit in malitia , & astutia : & demum influentia , cùm & Dæmones subalternos instruat , hominesque in omne malum inducat : ergo verè est caput in hac linea. Quin obs-

tet quòd peccatores fideles etiam sint membra Christi : nam in moralibus non obest identitas , quò minùs ratione diversorum numerum idem pertineat ad diversa capita : & sicut homo ratione diversorum potest ad diversas communites pertinere , sic peccator ratione fidei , & spei caput suum respicit Christum ; at ratione peccati membrum est diaboli ; cui onus , pœna , supplicium , labor , & cruciatus sit per infinita sæculorum sæcula. Amen.



TRAC-

TRACTATUS IX.

DE SCIENTIA CHRISTI.

SUB nomine Scientiæ nonmodo accipit D. Thom. 3. p. à quæst. 9. usquæ ad 13. exclusivè cognitionem strictè scientificam, sed & omnem, etiam illam, quæ non præsupponit sui propter quid, versat, atque dis- cutit, ut ipse innuit art. 1. per hæc verba: *Scientiam enim largè accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Cujus ductum nos sequentes, triplicem super eam disputationem instituimus, scilicet de scientia ejus in communi, de scientia beata, & de scientia per se infusa, cui non nihil de scientia acquisita ad calcem suppperade- mus. Sit ergo*

DISPUTATIO I.

Priusquam de membris agamus in particulari Scientiæ Christi: de illorum capite, scientiâ in com- muni (quæ trimembris est, scilicet beata, infusa per se, & acquisita) opus est seorsum pertractemus: pro qua sit



DUBIUM I.

UTRUM INTELLECTUS CREATUS
*Christi potuerit intelligere intellec-
tione divina?*

DE fide certum est, Christum habuisse scientiam, sive cognitionem creatam ex illo Math. 22. ibi: *Cognita autem Jesus nequitia eorum. Et ex illo ad Hebr. 5. Didicit ex his, quæ passus est. Quæ testimonia de cognitione creata in- telligunt SS. PP. maximè secundum, cum discere impropriissimum divi- nae sit cognitionis. Accedit D. Th. hic, ubi ait: In 6. Synodo damnata est posito negantium in Christo esse duas sci- entias, vel duas sapientias. Quod & ra- tio suadet, & convincit: habuit enim Christus duas naturas divinam, & hu- manam, & nullam impotentem, nec sine potentiis naturæ intellectualis, quarum prima est intellectus, qui quidem si mancus, vel impos esset nescendi, indignam Christo inhabi- litatem inferret: ergo vera est sup- positio. Itidem supponimus cum com- muni Animam Christi defactò non intellexisse intellectione increata: quæstio est de possibili, &*

NOSTRA RESOLUTIO

ceret increatam actionem, ut effec-
tum: ergo repugnat &c.

3 **N**egativa, quæ ex D. Th. probr. 3. p. q. 9. art. 1. ad 1. dicente: *Dei intelligere est sua substantia, ut probat Philosophus 12. Metaphys. Unde hic actus non potuit esse anima humana Christi, cum sit alterius nature.* Sequuntur illum cuncti, (paucis demptis) Scholastici. Prob. ratione 1. Impossibile est, quod intellectio divina reddat intellectum nostrum intelligentem, quin ipsi per informationem, vel inherenteriam, vel per modum termini, vel per identitatem uniatur; atqui nullo ex his modo potest illi uniri. Prob. hæc min. singulatim: nam in primis uni-ri nequit informando, ne formæ im-
perfectionis incurrat, nec inhæren-
do, ne accidentis dependentiam di-
cat, nec terminando, ne, quod ac-
tio est, munera subsistentiæ, vel
existentiæ usurpet; sed demum nec
se identificando, ne increatum cum
creato coequet: ergo nullo modo.

¶ Prob. 2. Repugnat intellectum intelligere, quin per ipsum in-
telligere vivat; atqui repugnat in-
tellectum creatum vivere per intel-
ligere divinum, sicut & vivere per
divinam vitam: ergo & per intelli-
gere divinum intelligere humanum
Christi intellectum. ¶ Tertiò prob.
quia vita actualis, qualis est intel-
lectio, petit actuale principium ab
intrinseco se movens; hoc autem
principium nequit esse intellectus
creatus respectu intellectuonis divinæ,
alijs hæc respiceret principium crea-
tum, & principium creatum respi-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

4 **O**bs. 1. Non inconvenit, quod intellectio divina uniatur identice cum intellectu Christi creato, saltim in esse intelligibili ad modum speciei: ergo ex hac parte non repugnat, quod conclusio negat. Nega conseq. & paritatem: nam species formalissimè sumpta ad unam tantum pertinet lineam, scilicet in-
telligibilem (aliam enim, scilicet na-
turalem, quæ ipsam comittatur, so-
lum materialiter, & quasi vehicu-
lum, in quo ipsa substentetur, af-
fert) ideo sat est, si secundum in-
telligibilem identificetur; intellectio verò ad duas exæquò, & formaliter pertinet, ad naturalem quidem per modum operationis naturalis, &
ad intelligibilem per modum exis-
tentia intelligibilis, & hinc est, quod secundum utramque, vel secundum nullam identificari debet: cùmque secundum entitativam repugnet, se-
condum intelligibilem itidem repug-
net, opus erit. Sed

5 Replicabis: intellectio est unio intelligibilis intellectus cum objecto: ergo si hoc, & ille intelligibiliter identificantur, etiam intellectio iden-
tificabitur cum utroque: est enim inter ambo medians; si autem ex-
rema, quæ magis inter se distant, identificantur & quanto magis unio,
quæ minus distat ab extremis, cùm mediet inter ipsa? Id quod suaderet
doctrina N. Salm. tr. 2. disp. 2. dub.
10. n. 248. & tr. 7. disp. 6. n. 22.

Ubi

Ubi tenent, quod si natura Angelica identificaret sibi Verbum suum, etiam identificaret intellectionem saltim in esse intelligibili, cum mediet inter intellectum, & Verbum. Suadet etiam ipsum, quod diximus tr. 1. disp. 2. dub. 2. n. 19. ubi quia species, & Verbum in Deo sunt idem, recte intulimus, quod & intellectio inter ipsa medians, idem sit cum eis: ergo tenet illatio hujus instantiae. Resp. 1. ex N. Salm. citatis intellectionem non tam esse unionem inter intellectum & verbum, quam finem: non enim sicut in uniendo, sed unit, ut terminet totum intellectual processum; si quando verò unionem vocant illam, id intellige largè talem, & per modum operationis mediantem inter productens & productum, ita ut hæc extrema se ipsis uniantur, posita intellectione tamquam conditione connotata, sine qua non.

6 Doctrina hæc sanè obnoxia est pluribus instantiis, nec objectam solvit, quantum ad exempla adducta ex intellectionibus divina, & Angelica: posset enim dici ad illa, nihil scilicet probare identitatis inter intellectum & Verbum, nec in Deo, nec in Angelo: quia eorum intellectio non est propriè medium, sed finis. Ideò responderi potest secundò, aliter loquendum esse de extremis tam entitativè, quam intelligibiliter identificatis, & aliter de illis solùm intelligibiliter unitis. Prima identificatio est simpliciter, & absolute talis, & in omni linea, & talis est identificatio inter intellectum divinum, & ejus Verbum, eadem-

que esset, si natura Angelica identificaret rationem Verbi, quo in casu, cum ipsa natura sit essentialiter actu intellecta, non indiget actu secundo propriè mediante inter ipsam ut intelligentem, & Verbum ut intellectum, & ad summum potest dici medium quoad expressionem, quam ponit, vel fingit noster intellectus; si enim identificat essentialiter esse actu intellectam, debet identificare id, quo est intellecta, & hoc nihil est aliud, quam intellectio.

At verò secunda identificatio solùm est secundum quid talis, & in una linea, nempè intelligibili, & ita est actu identificatio, ut & sit distinctio in potentia: deficiente enim modo naturali, cui linea insidet intelligibilis, deficit identificatio, & succedit distinctio: ideo hæc identificatio non est tam intima, ut sub modo saltim naturali non admittat medium propriè tale, atque distinctum, & hoc est intellectio, quæ ad duas lineas, ut diximus, pertinet exæquo, & quatenus naturalis mediat per modum operationis inter intellectum producentem, & verbum productum; quatenus verò intelligibilis claudit processum intellectualis: quia est illius existentia, & quidem distincta ab extremis existentiibus, supponit enim ea constituta, & superadvenit eis accidentaliter ad modum existentiæ naturalis, quam ob similem rationem supponimus distinctam à re existente. Undè intellectio, quæ non est divina (vel Angelica in ficta hypothesi) nec in linea naturali, hoc est per modum operationis, nec in intelligibili, hoc est per modum exis-

tentiae potest identificari cum extremis. Dicere vero, quod haec magis distant inter se, quam ab intellectione, distinguitur; magis distant in esse naturali, transeat, vel conceditur: quia in esse naturali mediat intellectio per modum operationis; in esse intelligibili, negatur: quia in hac linea extrema identificantur, & intellectio superadvenit accidentaliter ipsis jam constitutis, haud secus quam existentia rebus naturalibus in linea naturali.

7 Obs. 2. Actio vitalis potest oriri ab uno principio, & recipi in alio subjecto: ergo non ex eo quod intellectio divina sit a divino intellectu, non poterit recipi in creato Christi, huncque denominare intelligentem. Et parificatur calefactione, quae cuicunque communicetur subiecto, hoc denominabit calefaciens. Resp. distinguendo ant: potest recipi in alio ipsum denominans vivens, nego; receptivum merum illius, conc. ant. & nego conseq. Et ad exemplum calefactionis dic, ipsum esse asylum nostrae probationis: ubicumque enim calefatio reciperetur, illud agens denominaret calefaciens, a quo ipsa activè egredetur; subiectum vero in quo esset, tantum esset ipsam passivè sustinens. Hoc dicimus permittendo solū, quod actio vitalis possit esse in alieno subjecto, quod nec permittere de intellectione divina ullimodè valemus, cum assignabile non sit quo unionis modo actio divina in intellectu reciperetur humano, ut probatum est.

8 Obs. 3. Deus potest uniri in-

tellectui creato per modum existentiae naturalis hanc supplendo: ergo etiam ut existentia intelligibilis, quod est proprium intellectus; sed tunc haec denominaret intellectum creatum intelligentem: ergo id non repugnat fieri in intellectu Christi. Resp. concesso ant. ex dictis supra tract. 7. disp. 4. n. 27. disting. cons. ut existentia intelligibilis sub hoc munere præcise, & denominans intellectum existentem, transeat; sub munere operationis, & denominans intellectum operantem, nego conseq. Nostra resolutio non utcumque negat unionem divinæ intellectus cum intellectu Christi, sed taliter, quod per eam Christus intelligat: ad quod non sufficit præcise facere existentem, sed insuper desideratur constituere operantem. Unde permisso, & non concesso, quod intellectio divina communicaretur ut existentia intelligibilis, & non ut operatio, adhuc nihil contra nos: quia intellectus Christi per eam estò existeret (quod non nunc ventilamus) at non intelligeret, quod in præsenti inquirimus, & discutimus.

DUBIUM II.

*QUOTUPLEX SCIENTIA FVERIT IN
Anima Christi?*

9 **D**E quatuor potest scientia tuis excitari dubium, scilicet, beata, per se infusa supernaturali, naturali per se infusa, & acquisita. Quarum haec est explicatio: Scientia beata coincidit in præsenti, ut in proemio adnotavimus, cum cog-

cognitione beatifica. Scientia supernaturalis est, quæ terminatur ad cognoscenda objecta, & mysteria supernaturalia. Scientia per se infusa naturalis est, quæ attingit objecta, quæ verè sunt naturalia, ex defectu verò specierum illa repræsentantium, modus attingendi est supernaturalis v. g. cognitio animæ nostræ in hoc statu, vel etiam Angelorum, qui non transcendunt lineam naturalem, & tamen quia hæc objecta non immittunt ex se species sui, nec phantasia potest illas naturaliter habere, dicitur infusa: quia fit per species supra, vel potius præter ordinem naturalem à Deo infusas: Et idem fit, dum animæ contemplanti aliqua objecta naturalia, ut de passione, & vita Christi, quæ naturaliter sunt attingibilia, infundit Deus sine interventu intellectus agentis, nec phantasiæ in sudatione species, quæ vivatius mysteria repræsentent; & esto ipsæ naturales sint, modus tamen eas habendi sine conversione ad phantasmata, est præternaturalis, & consequenter scientia per eas operans, esto naturalis, sicut & objectum, dicitur per se infusa. Scientia demùm acquisita, vel acquisibilis est, quæ speciebus naturalibus studio, & industria sensuum acquisitis, & depuratis per intellectum agentem cognoscit objecta naturalia. Qua præmissa intelligentia, sit

PRIMA CONCLUSIO.]

10 IN Christo fuit semper scientia beata. Sic D. Thom. innuens esse de fide, dum

ex sacra id probat pagina: nam Joan. 6. dicitur: Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem: Igo quæ vidi apud Patrem, loquor. Quæ de cognitione obscura fidei nequeunt intelligi, cùm cognitio hæc omnibus fidelibus communis sit: & quia utitur verbo vidi, quod fidei obscuræ non accommodatur: ergo de clara, & beatifica.

¶ Ratione prob. congruentiali (nam methaphysica haud facilè convinci potest, quod ex voluntate pendet divina) id quod est in potentia reducitur ad actum per id quod est in actu; sed homines sunt in potentia ad beatitudinem, & reducuntur ad actu illam habendam per Christum, juxta illud Apost. ad Heb. 2. Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, Autorem salutis eorum per Passionem consumare: ergo opportuit Christum habere actu scientiam beatam, quam alii per ipsum habituri essent. ¶ Prob. 2. Nam id, quod ab aliquo alii habent, tamquam à capite morali, fine, & exemplari, debet in ipso capite maximè splendere, si ei non repugnat, ut inquit D. Thom. 3. p. q. 9. art. 2. quia, inquit, semper causam opportet esse priorem causato; sed Christus Dominus est causa, finis, & exemplar, à quo in omnes descendit scientia beatifica, & aliæs hæc ei non repugnat: ergo idem.

11 Quod autem semper, & à primo suæ conceptionis instanti hanc habuerit Christus scientiam, constat ex illo Psalm. 64. 5. Beatus quem elegisti, & assumpsi, quod Gloria intelligit de Christo; atqui ab instanti

ti suæ conceptionis fuit assumptus: ergo fuit beatus: ergo comprehensor. Hæc conseq. est D. Thom. 3. p. q. 34. art. 4. ubi etiam ait; *Et quia gratia illa (Christi) non fuit sine actu, consequens est, quod actu fuit comprehensor, videndo Deum per essentiam.* Et loquitur D. Thom. de Christo ab instanti primo suæ conceptio- nis: ait enim prius: *non fuit conveniens, ut Christus in sua conceptione aciperet gratiam sine actu.* Quod autem hæc gra- tia fuerit consumata, conjunctaque cum visione Dei, ratione probat pro- sequens: *acceptit enim gratiam non ad mensuram::: gratia autem viatoris cum sit deficiens à gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiae com- prehensoris:* ergo si gratia Christi ab initio sui fuit sine mensura, non fuit deficiens sicut viatoris, sed consu- mata sicut comprehensoris; sed idem est esse comprehensorem, ac Deum clare videntem: ergo talis fuit Chris- tus ab initio sui esse. Sed

12 Obs. ex D. Thom. 3. p. q. 46. art. 8. sibi se sic objicien- te: Summum gaudium cum summa tristitia non compatitur; sed beatifica visio summum gaudium afferit in- compatibile cum summa, quam Chris- tus in sua Passione habuit, tristitia: ergo si hanc de fide est habuisse ex Matth. 26. *Tristis est anima mea &c.* impossibile est habuisse illud. Dist. maj. non compatitur secundum idem, conc; secundum aliud, nego maj. Et distincta similiter min. nego con- seq. Tristitia, & gaudium Christo sub diversa ratione conveniebat tam objectiva, quam subjectiva: objecti- va quidem; nam delectatio erat de-

morte nobis proficia, & tristitia de pœna ipsum affligente: subjectiva: nam delectatio in superiori parte ani- mæ insidebat, tristitia verò in in- feriori. ¶ Contrà, dices: ergo po- tuit Christus has duas simul affectio- nes habere absque miraculo, quod communi Theologorum menti refragatur. Nego conseq. quia iucunda affectio partis superioris secundum communem providentiam exigebat derivari in partem inferiorem; hoc autem impeditum est non sine mi- raculo.

SECUNDA CONCLUSIO.

13 C hristus habuit scientiam per se infusam, tam supernaturalem, quam naturalem (per se infusa ponitur ad distinctionem per accidens infusa). Primi generis est vir- tus fides, & omnes illæ virtutes, quæ habent objectum supernaturale, quæ per se petunt infundi, adquirique repugnat. Secundi verò est virtus quævis naturalis, quæ respicit objec- tum naturale, quæque acquiri po- test nostris actibus, per accidens ve- rò, Deo sic providente, infundi- tur creature, ut factum fuit in Ada- mo, cui ex speciali titulo simul cum anima donatæ sunt per infusionem scientiæ naturales, virtutesque mo- rales) Prob. ratione: quia contra- riuum indecens esset tantam Majesta- tem, & inconsequens cum assump- tione animæ perfectissimæ, quæ talis non esset, si deficeret ei præci- pius ornatus naturalis, qui est cog- noscere tum mysteria supernaturalia nostræ fidei per scientiam superna- tu-

turalem per se inditam, tum per scientiam naturalem per se infusam animas separatas, Angelos, & alia, quæ ministerio sensuum non possunt intellectui nostro presentari cognoscenda, nisi à Deo infundantur eorum species: ergo debent Christo tales scientiæ concedi à principio suæ conceptionis.

14 Obs. i. Id, quod est perfectius, excludit imperfectius: ergo si in Christo admittimus scientiam beatam, quæ perfectior est, excludi debet indita, de qua loquimur, quæ imperfectior est. Resp. dist. ant. Excludit imperfectius positivè tale, conc: negativè tale, sub dist. excludit illud sub illa ratione, quæ propria est perfectioris, conc. sub diversa, nego ant. & conseq. Expli-catur: nulla scientia de se est imperfecta, si per ly *imperfecta* intelligatur defectus positivus: est enim omnis scientia melior quam non ipsa, si autem positivè esset imperfecta, melius esset non esse, quam esse illius. Est tamen dupliciter imperfecta scientia creata, vel quia ad-miscetur aliqua imperfectione creaturæ, & hæc imperfectio est trans-cendens per omnem etiam beatificam scientiam, vel quia una scien-tia non accedit ad alterius perfec-tionem, & hæc vocatur imperfec-tio negativa, quæ excludi deberet accidente perfectiori, si hæc idem objectum, & sub eodem attingeret modo, ac imperfectior; secùs verò si diverso, & non opposito: cùmque imperfectio scientiæ de qua loquimur, solum habeat de imperfec-tione (præcisivè à transcendentali

nuper dicta) non esse adeò perfec-tam sicut beatam, & aliàs hæc sub diverso, & altiori modo ac indita attingat objectum, non est motivum exclusionis inferioris in concursu su-perioris.

TERTIA CONCLUSIO.

15 C hristus Dominus habuit scientiam per se acqui-sibilem. Sic DD. Scholastici, cum Magist. D. Thom. qui 3. p. q. 9. art. 4. in *sed contra ex ad Hebr. 5.* sic probat: *Cum esset Filius Dei, didi-cit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Glosa: *id est, expertus est.* Fuit ergo aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita. Ratio est: quia Verbum divinum debuit assumere animam per-fectam, quæ talis non esset, si ca-reret hac scientia: nam esset in pot-entia ad illam, ut ad actum con-naturalem, & aliàs acquisibilem, & sicut anima nostra sine scientia, ad quam est in potentia, est imperfec-ta, sc̄ anima Christi: ergo debuit illam habere. Sed

16 Obs. Sequi ex hac senten-tia dari in Christo duas scientias nu-mero diversas, quod absit: ergo non est vera. Ant. prob. nam scientia per se infusa naturalis, & acquisita de qua loquimur, habent idem objec-tum, scilicet naturale: ergo ut sum-mum possunt numero distingui. Res-pondet D. Thom. nuper laudatus, & nos cum ipso, quid licet objec-tum utriusque sit naturale, est tam-en formaliter distinctum ex conno-tatione diversi modi attingendi illud nam scientia acquisita attingit illud

per conversionem ad phantasmata, & per species proportionatas cum ipsis; scientia vero per se infusa sine tali conversione, & per species improportionatas, atque universaliores in representando, quippe quod & ipsa objecta, quae representant, minus habent de potentialitate, quam per intellectum agentem contacta, & depurata; sunt enim Angeli, anima, & alia hujusmodi in linea spirituali collocata: ergo debent tales scientiae specificè distingui. Sed

17 Replicabis: ergo dabitur in Christo duplex prudentia naturalis, scilicet acquisita, & infusa juxta diversitatem specierum deservientium judicio prudentiali, quod apud Scholasticos male audit, sed vel inauditum est. Nego conseq. & paritatem: quia cognitio practica, qualis est prudentiae, non ordinatur ad acquirendas species, nec de formaliter respicit modum illas habendi: hoc enim est proprium cognitionis speculativa, & scientifica; semel tamen ab his acquisitis, vel ipsis infusionibus utitur prudentia sine respectu ad modum, quo acquisitae, vel infusae sunt: quia hoc de materiali se habet ad suum exercitium prudentiale, & practicum.

DISPUTATIO II.

DE SCIENTIA BEATA CHRISTI.

Habita sufficiente pro captu nostro notitia scientiae Christi in communi, ut in particulari illam hauriamus ex D. Thom. 3. p. q. 10. opus est, descendamus; & primum de prima, & maxima inter-

omnes, scilicet beata, sermonem insituimus.

DUBIUM I.

AN SI CHRISTUS COGNOSCERET
omnia possibilia in Verbo, comprehenderet Deum?

Controversias hujuscemo-
di hypotheticas de re,
quae numquam fuit, est, erit, nec
esse potest, non aequaliter oculis aspi-
cimus, quippe quas, vel profusus inu-
tiles, vel parum proficias utilitati
studentium ducimus. Supponimus,
Christum numquam omnia possibilia
cognovisse in Verbo, immo nec posse
illa cognoscere: tum, quia non est,
nec potest esse tantus in ratione cog-
noscentis, quantus Deus est in ra-
tione cognoscibilis: tum ex defectu
luminis infiniti requisiti ad omnia
cognoscenda in Verbo possibilia. Sed
singamus, inquit, & inquirit titu-
lus questionis, hypothesis, in qua
cognosceret illa, & essetne in tali ca-
su cognitio Christi comprehensiva
Dei? Idem posset inquiri de qual-
ibet etiam minima creatura intellec-
tuali, & ideo impertinens videtur
questio haec ad hunc tractatum, in
quo de Christo agimus, & nihil
minus ut vestigiis majorum nostros
rum reverenter infistamus, eam bre-
viter discutiemus, ut ad alia, quae
de rebus agunt non fictis, conver-
tamur: principue cum resolutio hu-
jus questionis ex his pateat, quae
tract. 2. disp. 4. per totam latius
diximus.

NOSTRA CONCLUSIO.

² **A**ffirmat, in eaque con-
veniunt communiter
Theologi, ut potè expresa in D.
Thom. 3. p. q. 10. art. 2. ubi ait:
Aniam Christi non omnia possibilia
cognoscere: *hoc enim esset comprehen-
dere omnia, quæ Deus potest facere, quod
esset comprehendere divinam virtutem, &
per consequens divinam essentiam.* Quid
expresius? ¶ Prob. ratione: nam ad
perfectam rei comprehensionem suf-
ficit, quod ea cognoscatur secun-
dum omnia tam formalia, quam
virtualia prædicata, quæ in ipsa con-
tinentur; at hoc fieret ex cognitio-
ne omnium possibilium in Verbo:
ergo si Christus ea cognosceret, com-
prehenderet Deum. Major patet:
quia comprehensionis fit; quando nihil
latet in objectum cognoscendum; in
Deo autem nihil est aliud cognoscen-
dum præter prædicata formalia, atque
virtualia; ergo vera est major. Minor
prob. nam in primis omnium visio beat-
ifica, quanto magis Christi) cognoscit
omnia prædicata formalia: sed alias
attingeret etiam virtualia, si cog-
nosceret omnia possibilia in Verbo;
videret enim hoc non solum se-
cundum respectum ad possibile, vel
factibile in communi, sed secun-
dum respectum, & respectus omnes
ad omnia in particulari possibilia,
quod est attingere omnia virtualia
prædicata: ergo tenet minor.

³ Occurrit Scotus dicens nos-
tram rationem probatum ire, si crea-
turæ in Deo veluti in causa cog-
noscerentur; at non sic sit, sed

sicut in speculo. Sed contra: Tum,
ex D. Thom. q. 12. de Verit. art.
6. ubi ait: *Numquam invenitur à sanctis
dictum, quod Deus sit rerum specu-
lum, sed magis quod ipsæ res sunt specu-
lum Dei.* Quod si D. Aug. in lib.
de videndo Deum vocat hunc spe-
culum voluntarium, explicandus est de
speculo metaphorico, vel similitu-
dinario. Tum, quia speculum re-
præsentat persimilitudinem formalem
faltim quoad externa accidentia;
Deus autem in doctrina trita D.
Thom. non est similis creaturis, sed
quini mò hæ sunt Deo similes.

¶ Alii respondent quod ex cog-
nitione omnium possibilium infertur
comprehensio Dei in ratione causæ,
non verò in ratione entis. Sed con-
tra ex D. Thom. in verbis num-
antec. relatis, in quibus sic conclu-
dit: *Effet comprehendere divinam virtutem & per consequens divinam essentiam;* ergo ex comprehensione causæ se-
quitur comprehensio in esse entis,
vel essentiæ. Et reddit rationem in
Opusc. 2. c. 216. ubi ait: *Ejusdem
rationis est comprehendere essentiam aliqui-
jus rei, & virtutem ipsius.* Unumquod-
que enim (en rationem) potest agere,
in quantum est ens actu.

ARGUMENTA CONTRARIA.

⁴ **S**entientiam contrariam tue-
tur D. Bonav. Scotus, &
alii antiqui, pro quibus obs. 1. D.
Thom. q. 20. de Verit. art. 4. ad
9. ubi ait: *Dato etiam quod omniū
sūret (Christus) omnia, quæ sit Ver-
bum, non adaequaretur numero scitorum,
quoad modum scientiæ, quamvis esset equa-
lis*

lis numerus utrobique. Et 3. p. q. 10. art. 2. ad 3. ait: *Quavis igitur scientia anima Christi, quam habet in Verbo, parificetur scientia visionis quam Deus habet in se ipso quantum ad numerum scibilium; scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad charitatem cognitionis, scientiam anima Christi.* Et 1. p. q. 12. art. 7. ad 2. respondet: *Dicendum quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid ejus sit quod non videtur, sed quia non ita perfecte videtur, sicut visibilis est: ergo juxta D. Thom. adhuc supposita cognitione omnium possibilium in Verbo Christus non comprehendenter Deum: quia modus cognoscendi non est infinitè perfectus.*

5. Ad argumentum ex duobus primis testimoniois desumptum respurgere quidem, sed non convincere, si ad radicem attendamus, ex qua duas illas sequelas deducit D. Thom. scilicet ex hypothesi, scù conditione facta, & impossibili; nempe dato quod anima Christi sciret omnia possibilia; & cum ex impossibili sequatur quodlibet ideo D. Thom. infert, pro opportunitate materia versata, tum, quod talis cognitione esset comprehensiva, uti supra diximus ex 3. p. q. 10. art. 2. in corp. ubi expresior nequit esse: cum, non esse comprehensivam, uti facit in his duobus testimoniois: cum hac tamen differentia, quod in primo, ubi afferit, loquitur resolutoriè, & ex propria mente, & in corpore articuli, ubi semper suam prodit sententiam: In duobus vero nobis objectis, ubi negat, loquitur obiter occasione respondendi ad

argumenta: undè non loquitur resolutoriè, sed in sententia illorum, qui non contenti cognitione omnium possibilium ad comprehensionem, desiderant ultrà modum infinitè clarum, & perfectum cognoscendi. Quarè in forma breviter prædictis satisfit testimoniois, distinguendo sic: Et loquitur D. Thom. resolutoriè, & ex propria mente, nego; obiter, & in sententia aliorum, conc. &c.

6. Ad ultimum ex 1. p. dicimus nullam aliam continere doctrinam, quam tradidimus tr. 2. disp. 4. per totam, ubi idem diximus atque D. Thom. hic, scilicet, ad comprehensionem non sat esse cognoscere quidquid est in Deo, sed & cognoscere illud quantum cognoscibile est; in quo autem consistat cognoscere Deum quantum cognoscibilis est ibi explicuimus in eo esse, quod ultra cognitionem omnium, quæ sunt formaliter in Deo, cognoscantur etiam omnia, quæ sunt in eo eminentia liter, scù virtualiter, hoc est: omnia extrinseca producibilia: ad quod opus est cognoscere Deum cum omnibus connexionibus, & terminacionibus ad ea. Undè in summa testimonium allegatum idem, quod & nos dicimus, dicit: quia nequeunt cognosci omnia possibilia in Deo, quin Deus cognoscatur cum omnibus connexionibus, & terminacionibus ad ea: quod est cognosci quantum cognoscibilis est.

7. Obs. 2. Comprehensio est cognitio rei in quantum cognoscibilis est; sed cognitio omnium possibilium non infert cognitionem Dei, in quantum est cognoscibilis. Minor hæc

hæc prob. stat quòd aliqua res cognoscatur secundùm omnia, quæ est, & continet, & tamen non cognoscatur quantum cognoscibilis est: quia potest adhuc perfectius cognosci, ut si Deus, & Angelus cognoscant formicam secundùm omnia, quæ est, & continet, adhuc perfectius à Deo cognoscetur quam ab Angelo: ergo ab Angelo non cognoscitur quantum cognoscibilis est; & tamen cognoscitur secundùm omnia, quæ est, & continet: ergo non est idem cognoscere Deum secundùm omnia possibilia, quæ continet, ac cognoscere illum quantum cognoscibilis est, sèu illum comprehendere.

Hoc argumentum probat nimis, scilicet, quòd Angelus superior non possit comprehendere inferiorem contra commune placitum Theologorum, imò nec Angelum posse comprehendere formicam: quia tam ista quam Angelus inferior semper sunt per Deum cognoscibiles clariūs & perfectius. Cùmque hoc non concedatur, dicendum erit, non obstatre comprehensioni clariorem, & percipiacionem cognitionem ex parte cognoscens, dummodò ex parte objecti nihil formale, vel eminentiale relinquatur cognoscendum: Cùmque, si Christus videret in Verbo omnia possibilia, cognosceret omnia formalia, & virtualia, quæ in Deo sunt: verè hunc comprehendere, quidquid sit, quòd hæc eadem possint ab ipso Deo clariūs cognosci, atque perfectius percalleri.

8 Obs. 3. Christus amat in Deo(vel potest amare) omnes creatureas, quæ sunt, vel erunt, & tamen non sequitur

amare Deū quantum amabilis est: ergo idem erit dicendum de cognitione respectivè. Nego conseq. & paritatem: Tùm, quia bonitas divina non est ratio amandi necessariò creaturas: amantur enim liberè, & ex suppositione quòd Deus eas esse velit; omnipotentia verò necessariò connectitur cum omnibus possibilibus: undè si hæc omnia cognoscuntur in ea, ea etiam, ut causa debet cognosci adæquatè, hoc est secundùm totum quod potest, & consequenter secundùm totum quod est; quòd est comprehendi. Tùm, quia estò Christus amet omnia, quæ Deus defactò amat non verò potest amare simùl omnia, quæ Deus amat conditionatè, vel amat, si ea produceret: ergo non amat, nec amare potest eum quantum amabilis est.

9 Obs. 4. Ex cognitione omnium prædicatorum formalium, v.g. attributorum, quæ sunt in Deo, quæque beatus quilibet cognoscit, non arguitur comprehensio Dei: ergo multò minus ex cognitione prædicatorum virtualium, sèu possibilium. Ant. supponitur ex dictis tract. 2. disp. 4. per totam, & conseq. prob. quia altior, & difficilior est cognitionis attributorum in essentia, quam possibilium in omnipotentia: ergo si prima non infert, nec secunda debet inferre comprehensionem.

Resp. concessio ant. negando conseq. cuius probatio enerva est: quia prædicata formalia continentur in essentia formaliter, & clarè, quippe quæcum ipsa identificata: ideo hac visa, statim illa patent: possibilia verò solum virtualiter, & oc-

cultè continentur in profundo abyssō omnipotentiaz, idèo maximè latent, petuntque plus lucis, ut discerni queant. Unde dixit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. ad 3. ubi solvit hoc argumentum per hæc verba: *Licet majus sit videre Deum, quām omnia alia; tamen majus est videri sic Deum, quod omnia in eo cognoscantur, quām videre sic ipsum, quod non omnia, sed pauciora; vel plura cognoscantur: quia multitudo cognitorum in Deo sequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum.* Reliqua argumenta ex his, quæ in tr. 2. de Vis. diximus, satis disolvuntur.

DUBIUM II.

UTRUM PER SCIENTIAM BEATAM
cognoscat Anima Christi omnia, quæ
Deus per scientiam visionis?

CONCLUSIO NOSTRA

10 **E**st affirmativa, atque per pluribus in locis, sed præcipue 3. p. q. 10. art. 2. ubi id inquirit, quod hic inquirimus, & respondet ibi quod & hic respondemus. Probat illam. Ex illo Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occensus est accipere divinitatem, & sapientiam.* Ubi Glosa: *Id est omnium cognitionem.* Sed per cognitionem omnium non intelligitur omnium possibilium, ut ostensum est dub. præced. ergo ut minus omnium, quæ sunt, fuerunt, vel erunt. Nunc sic; sed hæc, & non plura cognoscit Deus per scientiam Visionis: ergo & Christus per scientiam beatam.

11 Ratione prob. 1. Ad Christum pertinet omnia illa scire, quæ ad ejus spectant Principatum, ne caput illa nesciat, quæ regit, vel in quæ influit; sed hæc sunt omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, ad quæ se extendit scientia Visionis Dei: ergo cognoscit illa. Major patet, & minor prob. nam Christus est causa finalis omnium, quæ facta, vel facienda sunt ad extrâ, juxta communem salubrioremque sententiam: est etiam judex universalis omnium, juxta illud Joan. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio;* Insuper habet potestatem super omnia juxta Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in Celo, & in terra.* Et Joan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus:* ergo in omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, habet principatum, ac per consequens inspectionem, ac guvernium: quod exercere sine notitia, & perfectiori omnium cognitione esse nequit. Ehinc prob. 2. quia visio beata cum sit beatitudo perfecta, implere debet omnes appetitus benè ordinatos, & tales sunt sciendi omnia, quæ beato subjiciuntur; sed Christo subjiciuntur omnia, quæ creata sunt, atque creanda: ergo.

ARGUMENTA CONTRARIA.

12 **A**to aliquam ignorantiam. Ignitæ (sic vocati quidam Hæretici: quia ignorantem Christum faciebant.) dixerunt ipsum latere notitiam Diei iudicii, quos sequuti sunt plures Sectarii, ut Luterus, Calvinus, & alii. Ex Catholicis Richardus

dus affirmavit , quod licet Christus cognoverit substantias , & accidentia permanentia , secus verò cogitationes futuras per totam æternitatem . Hugo exceptit aliqua particularia ab universalis omnium cognitione , quam concedit Christo . ¶ Obs. 1. illud Marc. 13. De die illo nemo scit , neque Angeli in Cælo , neque Filius , sed solus Pater ; sed hæc ignorantia nequit tribui ipsi ut Deo : ergo ut homini .

Resp. cum D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. ad 1. D. Aug. ab ipso laudato , & communi P.P. id esse intelligendum nescire Christum ut revelaret alii , non verò absolute . Dices : ergo idem dicendum erit de Angelis . Nego conseq. quia respectu horum non adest fundamentum ad sic interpretandum textum ; respectu verò Christi adest auctoritas duorum laudatorum luminarium , Joannis , & Matth. quibus addit D. Chrisostomum à D. Thom. ibi citatum sic dicentem : Si Christo Domino homini datum est , ut sit qualiter opporteat judicare , quod est maius , multo magis datum est ei sicut quod minus est , scilicet tempus iudicii . Accedit quædam Epistola Sophronii Patriarchæ Hierosolimitani approbata in 6. Synod. act. 11. & 14. in qua dicitur : anathema Themistio dicente Christum non secundum id , quod erat Deus sempiternus , sed secundum quod homo factus est diem iudicii ignorare .

13 Obs. 2. D. Gregorium , qui orat. 36. expresè afferit indubium esse , quin horam quidem iudicii uti Deus cognitam habeat , ignoret autem ut homo . Quam sententiam fecuti sunt Dam.

D. Athan. N. Cyril. Alexand. (nec improbarem reputat Origines) à N. Salm. hic n. 37. laudati : ergo ruit assertio: Resp. quod cum omnes hi SS. PP. nostram tradant sententiam locis à N. Salm. cit. in præsenti n. 24. veniunt in nostram partem necessariò , benignèque trahendi , ne antylogiæ , vel notula illis objiciatur . Dicimus ergo hos intelligendos esse PP. de scientia Christi à se habita , non de illa habita per Patrem , & in hoc posuit Christus differentiam inter se & Patrem , quasi diceret , nemo scit à se nisi Pater , nec Filius à se sed ex ipso Patre . In cuius sensu dixit Joan. 7. Mea doctrina non est mea , sed ejus qui misit me . Et 5. Non potest Filius à se facere quidquam : at quis dubitet , quin doctrina illa esset Christi , licet aliunde habita , atque multa operatus esset , licet dependenter à Patre ? Sicut ergo in his locis negat , doctrinam , & operationes suas esse , quin ex hoc inferatur non docuisse , nec operatum fuisse , sic ex eo quod neget sibi scientiam diei ultimi , non infertur absolute nescientia illius , sed negatur modus sciendi , quem habet Pater à se .

14 Obs. 3. Fallit nostra sententia , qua parte docet Christum omnia scire ; quia omnium tenet principatum , cum ipse Joan. 18. dicat : Regnum meum non est de hoc mundo : ergo non est tenenda . Resp. quod licet in his verbis non probetur Christi Regnum temporale , non tamen debet ei denegari spirituale , & hoc sufficiens est , ut omnia sciat , omnia spiritualiter regat , & in finem

132 Tract. IX. de Sciencia Christi, Disp. II. Dub. II.

suum recte perducat , qui est ipse Christus immediatus , & tandem finis ultimus Deus iuxta Paul. 1. ad Corinth. 3. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

15 Obs. 4. Sequitur ex conclusione quod Christus cognoscet omnia possibilia , quod probatur: cognoscit quidquid Deus per scientiam visionis , & Deus per hanc sua omnia decreta : hæc autem fuere tot, quot possibilia , quia circa nullum mansit ejus suspensa voluntas , vel illa volens , vel nollens illa : ergo de primò ad ultimum sequitur Christum omnia possibilia cognoscere. Res. ex dictis tr. 3. de scient. disp. 2. n. 10. quod per scientiam visionis Dei solùm illam intelligimus , quæ terminatur ad objecta secundaria creata , non illam , quæ terminatur ad ipsum Deum , vel quæ Dei sunt per identitatem ; & licet concedamus Christo notitiam omnium , quæ Deus scit per scientiam visionis terminatae ad objecta creata , quo in sensu procedit hæc questio , minimè verò cognitionem eorum omnium , quæ sunt idem cum Deo , qualia sunt decreta libera circa nolitionem infinitorum possibilium ob rationes dub. antecedenti expositas. Verum est , quod si loquamur de omnibus decretis quoad entitatem sumptis , omnia illa cognoscit Christus , cùm omnia unum sint ; si verò illa contemplamur , quodad connotata externa possibilia , vel secundum omnes terminaciones , & connexiones cum illis in particulari , sic illa non cognoscit omnia , aliàs comprehenderet Deum , quod impossibile est , nisi

intellectui divino.

16 Obs. 5. Sequitur in Christo lumen infinitum , & infinita vis in cognoscendo : quia cognoscit omnia , quæ aliquando extitura sunt , & consequenter totum universum cum omnibus causis , & creaturis intellectuilibus , quarum cognitiones sunt infinitæ , quia in æternum usque erunt duraturæ , & operaturæ ; sed hoc intellectui finito repugnat : ergo & quod asserimus in conclusione.

Resp. ad argumentum , quod licet Christus cognoscet omnia dicta , non indè arguitur infinita vis , nec lumen infinitum in cognoscendo : quia omnia hæc non sunt infinita genera , nec infinitæ species , sed ad summum infinita individua intra eandem , vel easdem species , hasque finitas non solùm in multitudine , sed & in essentia , & perfectione , ideoque multiplicatio individuorum , est in infinitum crescat , non addit novam difficultatem formalem , & essentiale , sed ad summum accidentalem , & materialem in cognoscendo ex parte objecti : nec ex parte potentiae infert maiorem formaliter vim , vel lumen cognoscitivum , sed ad summum maiorem extensionem intra limites illius , vel illarum determinatarum specimen , quarum individua tantum , & ad summum faciunt in ratione cognoscibilium infinitum secundum quid , & consequenter non exigunt , nec inferunt vim cognoscitivam infinitam simpliciter talem in cognoscente.

17 Obs. 6. Quilibet beatus habet appetitum ad videndum omnia ea , quæ

quæ pertinent ad ordinem Universi, ut sunt genera, & species rerum juxta D. Thom. 3. contra Gent. c. 59. & tamen non omnia videt: ergo non tenet secunda ratio conclusionis. Minor prob. si cognosceret omnia genera, & species, cognosceret etiam individua omnia juxta D. Thom. proximè laudatum, ibi: *Per cognitionem autem naturalium specierum, & individua sub speciebus hujusmodi existentia cognoscuntur ab intellectu Deum vidente;* sed falsum est cognoscere individua juxta ipsum D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. ergo minor tenet.

Concessa maj. nego min. cuius probationis auctoritatem explicò: per cognitionem specierum individua cognoscuntur, quæ uteumque ad statum pertinent beati, conc; quæ non concernunt ullimodè, nego maj. & explicò auctoritatem minoris: falsum est cognoscere individua, omnia, transseat; conducentia ad statum beati, nego min. & conseq. *Naturale est,* inquit D. Thom. laudatus in 1. p. desiderium rationalis creaturae ad sciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & haec sunt species, & genera rerum, & rationes eorum, quæ in Deo videbit quilibet videntis essentiam divinam. Cognoscere autem alia singularia, & cogitata, & facta eorum, non est de perfectione intellectus creati, nec ad hoc ejus naturale desiderium tendit. Quia tamen plura individua, & horum operationes aliquomodo spectant ad statum, vel dignitatem beatorum, v. g. ad S. M. N. Theresiæ, alumni sua Religionis, horumque facta, & cogitata, hæc etiam

cognoscunt: quia naturaliter id desiderant. Sed hinc quid sequitur? Nostræ conclusionis expressa confirmatio.

18 Obs. 7. Et ultimè illud, quod in Joan. 15. dicitur, interrogatum esse à Christo de Lazaro sepulto: *ubi posuisti eum?* Ergo ignorabat illud. Si ergo hæc recula à notitia Christi abscondebatur, quid de aliis ingentibus dicemus? Respondet, & quidem appositiè D. Greg. Magnus lib. 8. Epist. 42. per hæc verba: *Si Ignoite negavit sibiisse Dominum ubi fuerat Lazarus sepultus, atque ideò requisisse, proculdubio compelluntur fateri, quia nec sciret Dominus in quibus locis se Adam & Eva post culpam absconderint, cum in Paradiso dixit: Ubi est Adam? Aut cum corripuit Cain dicens: Ubi est Abel frater tuus?* Hæc ergo quæsita non innuunt nescientiam quærentis, sed audire intendunt verba respondentis.

Q U A R E S

19 Num cuncta, quæ diximus scire Christum per scientiam beatam & ea simili scire, & sciverit; num vero sucesivè? Hoc ultimum amplectuntur Abul. in Matth. 17. q. 114. D. Bonav. Sotus, & Scotus, Lorna, & alii. Communis autem sententia, & nostra affirmat contrarium, quod prob. auctoritate, & ratione D. Thom. qui q. 20. de verit. art. 5. refert., & refellit aliam sententiam per hæc verba: *Quidam dixerunt, quod anima Christi actu non videt omnia, quæ Deus potest facere, vider tamen habet: sed istud non videtur rerum: quia anima Christi, & quilibet beatus*

tus quantum ad visionem beatam, qua videt Verbum, & res in Verbo, non patitur successionem in intelligendo: quia secundum Aug. 14. de Trin. In Patria non erunt volubiles cogitationes. Unde opportet ponere, quod anima Christi omnia, quae huius videt in Verbo, atque in eo videat. ¶ Ratione suadetur: tum, quia visio beata exsuape natura est incorruptibilis, mensurataque aeternitate: quae autem sunt hujusmodi, habent esse, & operari simili actualiter, & absque ulla successione, & variazione. Tum, quia alias anima Christi non semper haberet plenitudinem cognitionis, etiam eorum, quae ad sui statum, influxum, & dignitatem pertinent, quod absit dici: ergo tenendum est, semper, & simili omnia cognoscere, quae cognoscit semel.

DUBIUM III.

UTRUM VISIO BEATIFICA ANIMA Christi sit notitia intuitiva futurorum?

20 Cognitio intuitiva est, quae terminatur ad rem sibi praesentem, atque coexistentem, & non sat est, si adsit praesentia intentionalis media specie rei cognitae, alias omnia cognoscerentur intuitivè: sed opus est & physica, per quam ne indistantiam intelligas localem (quia estò distans sit cognoscenda res, potest intuitivè cognosci, cum intellectus non dependeat à loco) sed eam praesimalitatem, ut, postquam res media specie cognoscitur in Verbo, quasi secundariò terminetur cognitio ad rem ipsam in

ipsomet cognoscendam, ut exercitè existentem. ¶ Supponimus, visionem beatam non mensurari tempore: quia non habet prius, nec posterius juxta suprà dicta ex D. Aug. num. anteced; nec ævo: quia hoc solùm rem mensurat naturalem: nec aeternitate Dei per essentiam ob improportionem rei creatæ cum mensura increata. Solùm ergo mensuratur per aeternitatem participatam. His præmissis, sit

NOSTRA CONCLUSIO.

21 VIsio beata Christi non est notitia intuitiva futurorum. Hanc sententiam tenent N. Salm. in hoc tract. disp. 20. à n. 52. ubi extremum judicium super hac re statuerunt, postquam sàpè in contrariam partem, licet non resolutiore, inclinare visi sunt. Eam à fortiori sequuntur quotquot scientiam Dei respectu futurorum negant esse intuitivam, ut Scotistæ, & Molinistæ.

¶ Prob. ratione: ad notitiam intuitivam desideratur, ut res cognita coexistat cognitioni, vel in propria duratione ipsius rei, vel in duratione ipsius cognitionis; at neutrum verificatur in cognitione beata Christi. Hæc min. quoad durationem rei patens est, quia loquimur de futuris, quae adhuc non existunt; quoad verò durationem ipsius visionis facile probatur: quia hæc quantumvis superior, si divina non sit, nequit facere rem praesentem, quae adhuc non existit, nisi contineat eminenter durationem rei extitare; atqui

duratio visionis Christi beatæ non continet eminenter durationem inferiorem futurorum. Prob. hæc min. tum, exemplo xvi, quod est mensura superior nostro tempore, & tamen, quia hoc non continet eminenter, nequit rem futuram temporalē sibi præsentiare. Tum, quia id ē circò nulla persona creata estò excellentior potest substitui pro alia creata: quia estò eminentior illa, hanc non continet. Tum econtra: Ideò enim æternitas Dei facit præsentia physicè omnia futura juxta D. Th. 2. p. q. 14. quia continet, ambique omnes omnium durationes inferiores: ergo si duratio visionis Christi illas non continet (est enim finita, & limitata, constansque genere, & differentia, atque sub his terminis clausa) non poterit futura sic sibi præsentiare, ut possit illa intuitivè videre.

SENTENTIA OPPOSITA

22 **D**escenditur communiter à Thomistis, quos inter super-eminent Lisbon. Oxomen. Ferre, & quotquot ad notitiam intuitivam non desiderant præsentiam physicam futurorum in æternitate: cum quibus obs. 1. Licet sit proprium æternitatis per essentiam facere futura sibi præsentia, potest tamen hic effectus communicari creaturæ, & maximè visioni Christi: ergo & videre illa intuitivè. Ant. prob. nam licet producere omnia sit proprium omnipotentiae, potest tamen virtus ejus communicari creaturæ quoad aliquos effectus, v. g. circa patrare

miracula: ergo idem de æternitate per essentiam videtur esse tenendum.

Resp. negando ant. & ejus probationis dist. ant: potest ejus virtus communicari circa patrare miracula perfectè, & per modum causæ principalis, nego; deficiente, & per modum instrumentalis, conc. ant. & nego conseq. Non in omnibus communicantur creaturis prædicata divina, sed in aliquibus, & imperfectè: quod & in ipsa omnipotentia videri potest, quæ creatrix cùm sit, à nulla tamen potest creatura formaliter participari sub hac ratione: & id genus est communicari quantum ad hoc, quod est continere eminentialiter aliam speciem: requirit enim infinitatem impropriam creaturæ, quæ fines, sive limites suæ speciei, scilicet genus, & differentiam transilire nequit. Ex quo sequitur, quòd æternitas per essentiam nequit participari quantum ad facere præsentia futura ab scientia Christi, ne dicatur hæc continere eminenter durationes inferiores temporis, vel xvi. Potest verò participari quantum ad rationem immutabilitatis, & individualitatis, haud secùs quām gratia participat naturam divinam quantum ad esse radicem visionis, & amoris Dei, non verò quoad esse eminenter naturas inferiores: quia participare est partem sumere, & partem relinquere.

23 Obs. 2. Sequitur ex conclusione, quòd notitia futurorum in Christo solùm est abstractiva, & quòd de abstractiva transit in intuitivam, quando objectum existat; sed hoc est contra leges Metaphysi-

sicæ, & contra, quæ diximus n. 19. ex D. Aug. qui 15. de Trin. cap. 16. ea sic repetit: *Non erunt voluntabiles (in Patria) cogitationes nostræ ab aliis in alias euntes, & redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus*: ergo tenendum non est. Resp. 1. Concessa maj. dist. min. Est contra leges Methaphysicæ, si objectum non varietur, conc; si varietur de absente in præsens, nego min. & conseq. Solutio est clara, & auctoritatem D. Aug. explicco: non sunt volubiles intrinsecè, & subjectivè, conc; extrinsecè, & objectivè, nego illam, & conseq. Est dicere, quod tota varietas ex parte objecti in præsens de absenti transeuntis se tenet, nulla ex parte notitiae. Secundò, & melius respondetur, intentum D. Aug. esse, quod non sit transitus de non cognoscere ad cognoscere, nec econtrà, non verò quod non sit à sic cognoscere, hoc est, abstractivè objectum dum abest, ad sic cognoscere, hoc est, intuitivè dum adest. Vel quod non sunt volubiles cogitationes quoad substantiam, licet sint quoad modum.

24 Obs. 3. Cognitio beata Christi respicit futura, ut sibi coexistentia, & præsentia physicè: ergo est intuitiva. Ant. prob. cognitio beata fit media essentia divina per modum speciei; sed hæc mensuratur æternitate essentiali, & non solùm participata: ergo faciet objecta physicè præsentia. Nego ant. ad cuius probationem dist. maj. media essentia divina infinitè communicata, nego; finitè, conc. maj. & min. & nego conseq. Est dicere, quod es-

sentia divina est species visionis beatæ, non tamen ut infinitè repræsentans, nec prout ejus duratio continet eminenter alias inferiores: & hac de causa visio beata Christi, quæ fit media illa, non potest se extendi ad faciendum præsens quod est absens.

25 Obs. 4. Visio beata Christi coexistit physicè æternitati, & æternitas coexistit physicè futuris: ergo etiam visio coexistit physicè ipsis, quod est opus, ut ea intueatur. Ant. patet, & conseq. prob. Tum: quia quæ coexistunt unit-ertio, coexistunt inter se: ergo si futura, & visio Christi coexistunt æternitati &c. Tum exemplo partium quantitatis, quarum duæ ultimæ dicuntur continuari: quia continuantur cum mediis: ergo etiam visio beata, & futura coexistent physicè: quia coexistunt æternitati veluti mediæ inter eas. Resp. dist. ant. visio coexistit physicè æternitati adæquatè sumptæ, nego; inadæquatè, conc. ant. & nego conseq. & paritatem probationis: quia æternitas estò alias fit formaliter indivisibilis, habet plures sinus virtualiter distinctos, ratione quorum visio coexistit physicè ipsi secundùm quod mensurat, & ambit durationes rerum existentium, & non secundum quod continet durationes futurorum. Si ergo secundum hoc non coexistit physicè æternitati, nec coexistit physicè futuris. Contrarium fit in quantitate, ubi partes extremæ continuantur, & coniuntur cum mediis adæquatè, hoc est, in quantum unibiles sunt, & consequenter cum extremis, cum sola differentia quod

quod istis mediatae, illis vero immediatae: ergo non tenet paritas. Per quod patet ad axioma: *qua coexistunt uni-tertio &c.*, quod intelligi debet de coexistentia adæquata; cuius solutio-
nis paragium vide tr. 6. disp. 2. n.

7. DISPUTATIO III.

DE SCIENTIA PER SE INFUSA CHRISTI.

Scientia Christi beatæ scientia ha-
bita aliquali, de infusa per se
sequitur agendum, de qua D. Th.
3. p. q. 11. per sex agit articulos,
super quos aliqua selectiora excita-
bimus quæsita. Sit ergo

DUBIUM I.

NTRUM ANIMA CHRISTI PER SCIEN-
TIAM INFUSAM SUPERNATURALEM COGNO-
VERIT QUIDITATIVÆ, & COMPREHEN-
SIVE OMNIA ENIA SUPERA-
TURALIA?

O Mittimus compendii er-
go quæstionem à NN.
Salm. in præsenti excitatam disp.
19. dub. 5. & à N. Paulo hic dub.
1. an scilicet, intellectus humanus
Christi potuerit cognoscere per scien-
tiā infusam supernaturalem omnia
possibilia? Licet enim cum eis hoc
dubium distinctum fateamur à 1.
disput. anteced. ubi resolvimus im-
possibilem esse cognitionem omnium
possibilium in Verbo: ex resolutio-
ne vero illius inseritur resolutio istius.
Si enim per cognitionem in
Verbo beatificam, quæ dicitur ma-
gisteria uti prior, & omnium maxi-

ma, nequeunt cognosci omnia pos-
sibilia à quantò minùs quibunt per
cognitionem supernaturalem infusam,
quæ vespertina est, & minor bea-
tifica? Quin obstet dicere, quod hic
inquiritur de cognitione possibilium
generalius, hoc est, sive in Verbo,
sive extra Verbum: nam cognitione ex-
tra Verbum nihil potest addere su-
pra cognitionem in ipso, siquidem
cognitione creaturarum in ipsarum spe-
cie creata non solum desolatior est,
ut inquit D. Aug. sed & minus, vel
non plus extensa, quam cum in Dei
sapientia, sive Verbo habetur divi-
no. Si ergo cognitione Christi beata
non potest omnia cognoscere in Ver-
bo possibilia, nec extra illud pote-
rit cognoscere ejus scientia infusa.

2 Præterquamquod ex cogni-
tione ipsorum in se ipsis, vel in spe-
cie creata, sequeretur saltim à pos-
teriori comprehensio Dei: esset enim
talis cognitione infinita, quia ex-
tenderetur non solum ad plura nume-
ro distincta, sed & ad plures, &
plures species sese in infinitum ex-
cedentes in perfectione essentiali, ita
ut coequarent in ratione termini
Deum in ratione principii, & ideo
illis cognitis quidditatibꝫ in ratione
termini adæquati, cognoscetur & ea-
rum principium adæquatè, sicut qui
cognosceret comprehensivè Filium in
Divinis, qui est terminus adæqua-
tus Patris, & Patrem utique com-
prehenderet juxta ipsum Filium sic
cum Philipo loquentem: *Philippe, qui video
me, video & Patrem meum.* Cumque ex
dictis dub. 1. disput. præced. con-
fert, quia Christus non potest elice-
re infinitam cognitionem, & conse-
quen-

quenter comprehensionem Dei in Verbo, æquè, plus imò, nequibit per speciem creatam ex ipsis possibilibus ebibitam illam habere.

3 Quod amplius eleganti D. Thom. testimonio roboratur: ait enim q. 20. de verit. art. 5. Tunc unaquaque res comprehenditur, quando ejus definitio situr: definitio enim est virtus comprehendens rem: cuiuslibet autem virtutis definitio sumitur ex his, ad quæ virtus se extendit. Unde si anima Christi sicut omnia, ad quæ virtus Dei se extendit, comprehendenderet omnino virtutem Dei. ¶ Sed dices: Ex cognitione omnium objectorum alicujus potentiarum, v. g. omnium colorum, non sequitur comprehensio illius potentiarum, v. g. visus: ergo nec ex cognitione omnium possibilium comprehensio omnipotentiae. Neg. conseq. & paratrem: quia potentia v. g. visiva non est causa colorum, sed passim esse habens ad eorum recipiendas in se similitudines, seu species ab ipsis immisssas; at omnipotentia est causa omnium possibilium, quæ quasi exirent ex visceribus omnipotentiae: ideo nequeunt ea omnia quidditativè cognosci, quin ex eorum notitia resultet & comprehensio virtutis, à qua egrediuntur. Hæc summatim diximus, ne omnino intactum dictrum dubium relinquamus, licet alias supposito primo jam citato, minus necessarium duxerimus hoc præmittere. Nunc ad præsens.

4 Pro quo supponimus per scientiam infusam supernaturalem cognovisse Christum modo undequaque perfecto, & comprehensivo omnia entia naturalia, nedum in genere,

aut specie, verum & singulatim in individuo. Sic D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. in corp. ubi rationem reddit: Quia conveniens erat, ut ejus potentialitas reducetur ad actum, quem non haberet, si actu omnia saltim naturalia non cognovisset. ¶ Sed dices: Scientia non datur de singularibus: ergo falsa est suppositio. Resp. 1. quod, ut in limine hujus tract. prævenimus, non nobis sermo est in toto illo de scientia strictè sumpta, sed de quacumque cognitione, etiam non scientifica. Resp. 2. quod licet scientia non terminetur primariò ad singularia, terminatur verò secundariò, maximè dum attinguntur sub aliqua ratione certa, & invariabili, ut contingit in scientia beata, & Angelica.

5 Et numquid, (quæres) illa omnia cognoverit Christus unica, vel pluribus cognitionibus? Et an simul anè successivè? Resp. probabilius, quod per plures, successivèque. Non tamen per plures, quæ singulis individualibus corrispondent: si enim Angelus, ut tradunt N. Salm. tr. 7. disp. 6. n. 97. cum D. Thom. ab ipsis laudato, cognoscit unica cognitione totum hoc universum, utendo omnibus suis speciebus, in quantum omnia convenient in aliquá ratione communi, illaque in ordine ad cognitionem adunante, posteriori ratione idem, sed & plus poterit scientia infusa Christi; sed quia omnia, quæ per hanc cognoscit scientiam, pertinent ad diversas, atque inter se disparatas lineas (sunt enim entia naturalia, supernaturalia,

necessaria, libera, præsentia, futura, & præterita, tum phisica, tum moralia, quæ in unicam cognitionem haud facile coordinari queant) multiplicandæ erunt cognitiones juxta diversas coordinationes, quod fieri media aliqua successione inconveniens non reputamus, imò connaturalius scientiæ infusæ creatæ esse dicimus. Quæ doctrina oppidò cohæret cum ea, quam tradit D. Thom. 3. p. q. 11. art. 5. ad 2.

NOSTRA, ET COMMUNIS RESOLUTIO.

6 **A**nima Christi per scientiam infusam supernaturalem cognovit nedum quidditativè, verum & comprehensivè omnia entia supernatura lia creata. Quoad utramque partem, scilicet quidditatiavam, & comprehensivam, constat ex D. Thom. 3. p. art. 1. ubi ait: *Omnia, quæ per revelationem divinam innescuntur, sive pertineant ad donum sapientie, sive ad donum prophetie, sive ad quocumque donum Spiritus S. omnia enim ista abundantius, & plenius ceteris cognovit anima Christi.* In quibus verbis loquitur de scientia infusa Christi, non de beata, ut constat ex titulo articuli id exprimente: & in illis non modo asserit cognitionem omnium supernaturalium, sed plenissimam, & uberrimam inter omnes cognitiones, quæ alia nequit esse, nisi comprehensiva. Idem asserit opusc. 2. cap. 216. ubi expreßè utitur termino *plenissimè*, de hac loquens cognitione: ergo sententia est D. Thom. nostra resolutio.

¶ Utraque pars ratione ipsius

Sancti comprobatur: nam decentissimum erat, ut omnis scientia Christi potentialitas expleretur, & actuaretur, ut sic animam assumeret undeque perfectam, atque informatam, non informem atque anima Christi per scientiam infusam ad omnia illa erat in potentia, ut scientur quidditativè, & comprehensivè: hæc minor probatur: nam objecta omnia dicta sunt repræsentabilia per speciem eorum quidditativam, & repræsentativam, quæ species cum sit debita alicui virtuti intellectivæ, cui proprius, & appositus, quæm scientiæ infusæ Christi Domini concedenda est? Hac autem possessa, quis neget esse in potentia? ergo vera est minor.

ARGUMENTA CONTRARIA.

7 **S**Ententiam oppositam sequuntur Suarez, Bañez, Lorca, & alii, quorum aliqui solum cognitionem comprehensivam, ut Suarez, alii vero & quidditativam negant, ut Bañez. Pro quibus obs. 1. Si per scientiam infusam cognosceret Christus omnia entia supernatura lia, cognosceret etiam visionem beatificam, unionem hypostaticam, & id genus alia; sed hoc non. Prob. hæc min. hæc connectuntur essentialiter cum Deo Trino, & Uno: ergo cognosceretur Deus Trinus, & Unus, sicut ipsa, comprehensivè; sed hoc repugnat: ergo & primum, ex quo sequitur. Resp. non quamcumque connexionem sufficere ut uno cognito connexo, alterum & connexum cognoscatur, maximè quan-

quandò id , cum quo connectitur cognitum , vel comprehensum , superexcedit virtutem cognoscentis: quia transcendit ejus sphærām , atque lineam , ut latius discussimus tract. 7. disp. 1. à n. 46. & plenè verificatur in præsenti , cùm comprehensio Dei extra sphærām cadat scientiæ inditæ , & creatæ. Unde poterat retundi objectio contra objicentem sic: Visio beatifica comprehendit se ipsa , quæ connectitur cum Deo viso: ergo comprehendit ipsum? minimè. Item: Amor naturalis , quo Angelus diligit Deum super omnia , ut Auctorem naturalem , connectitur essentialiter cùm eo ; sed Angelus comprehendit hanc Dei dilectionem: ergo & comprehendit Deum sic dilectum ? nec etiam : ergo nec id respectivè in nostro casu inferendum est.

- 8 Obs. 2. Sequi ex conclusione quòd scientia infusa Christi comprehendat lumen gloriæ , atque visionem beatificam ; sed hoc repugnat , cùm haec absolute excedant scientiam infusam : ergo ruit conclusio. Concessa sequela majoris , dist. imbibitam minoris : excedunt in essētis , conē; in esse intelligibili , ne- go imbibitam , & conseq. Exemplum adest hujus solutionis in Angelo in- feriori , qui comprehendit superio- rem , & in intellectu nostro , qui cognoscit substantiam materialem , non obstante inæqualitate in esse en- tis : quia proportionatur in esse in- telligibili. Itaque tam lumen gloriæ , quam visio beatifica possunt compre- hendi per inditam scientiam , cum hac vero differentia , quòd , cùm

gratia sit radix adæquata , & in- trinseca luminis , hoc non solū potest comprehendī in se ipso , sed in comprehensione suæ causæ , nem- pè gratiæ ; visio vero beata cùm gratiam non recognoscet ut sui cau- fam adæquatam , completur enim per essentiam divinam , quæ formaliter , vel etiam efficienter concurrit ad vi- sionem , potest quidem cognosci in se ipsa , non vero in comprehensione gratiæ : sicut hac de causa in comprehensione animæ , vel intellectus non comprehenduntur omnes , quas elicere possunt , cognitiones: quia requiritur comprehensio causæ adæquatæ , quæ non est sola ani- ma , vel intellectus , sed insuper desiderantur ad completionem & species.

9. Replicabis: Visio beatifica ne- quit cognosci , ut diximus , in gra- tia sola (causa enim adæquata coa- lescit ex illa , & essentia divina , quæ per scientiam infusam nequit quid- ditativè cognosci) sed neque in se ipsa : ergo datur aliquid supernatu- rale , quod per hanc non cognosca- tur scientiam. Minor prob. modus cognoscendi per hanc Christi scien- tiā assimilatur cognitioni Angeli , qui non cognoscit effectum vitalem intrinsecè in se ipso (saltim dum non existit adhuc) sed in ejus causa , v. g. intellectu in intellectu , voli- tionem in voluntate , actum cha- ritatis in charitate : ergo nec scientia infusa Christi cognoscit visionem beatam in se ipsa : ergo nullo modo. Resp. ad argum. quèd lieèt modus communis cognoscendi per hanc scien- tiā sit ad modum Angelorum , hoc est

est, effectum in ejus causa adæquata, si tamen hæc non est intra latitudinem objecti proportionati cum scientia, tunc sine cognitione causa potest in se ipso cognosci effectus. Exempla: Motus cœlestis potest comprehendendi in se ipso ab anima separata per scientiam sibi inditam, & tamen per hanc non potest cognosci in causa, scilicet Angelo eum causante: quia nequit Angelum comprehendere. Similiter Angelus cognoscit, & comprehendit in se ipso animam nostram, & tamen illam non cognoscit in causa illius creatrice, nempè in Deo ut creante: quia Deus in creando exerit vires infinitas. Totum quod non alia ratione, nisi quia ex una parte causa est inproportionata cum virtute cognoscente, & alias objectum non transvolat sphæram cognoscentis. Hoc sanè verificatur in nostro casu, & idè scientia infusa Christi potest cognoscere visionem beatam in se ipsa. Sed replicabis 2. &

20 Obs. 3. Visio beata excedit hanc scientiam in intellectualitate activa: cognoscit enim Deum intuitivè: ergo etiam in intelligibilitate passiva: quia tantundem habet res in ratione intellectivæ, quantum in ratione intelligibilis, cum utraque eumdem ortum habeant, scilicet ab immaterialitate: ergo non est proportionatum objectum scientiæ infusa Christi visio beata: ergo nequit hæc per illam cognosci: ruit ergo responsio. Dist. ant. excedit materialiter, transeat; formaliter, nego ant. & conseq. Est dicere, quidam quamvis sit aliquis excessus, hic non

est formalis: formalis quippe excessus in linea intelligibili consistit in diverso, & superiori gradu immaterialitatis, qui in præsenti non datur, sicut nec in Angelo superiori respectu inferioris. ¶ Sed contraria insitas: Indè arguimus, Angelum inferiorem esse ejusdem immaterialitatis pro formalis cum superiore; quia Angelus inferior attingit, & comprehendit idem objectum ac Angelus superior; sed in præsenti fit econtra, quod scientia infusa non attingit, nec potest attingere objectum visionis beatæ, scilicet scientiam divinam intuitivè: ergo scientia infusa, & visio beata non sunt ejusdem immaterialitatis pro formalis.

11 Ingens replica! Sed tamen ad illam respondetur dist. causalem majoris: quia Angelus inferior attingit per modum potentiae simplicis objectum superioris, conc; per modum virtutis elevantis, nego maj. & dist. min. scientia infusa nequit attingere objectum visionis, nec ut potentia simplex, nec ut virtus elevans, conc; præcisè per modum potentiae simplicis, nego min. & conseq. Explicatur: Inter potentiam simplicem, (hoc est, quæ sine ullo adjuvamine attingit objectum) & hoc debet servari æqualitas omnimoda, & formalis in immaterialitate: nam & ipse modus attingendi per se solam, & sine ullo fulcimento hanc innuit æqualitatem: ideo Angelo inferior, qui sine illo attingit objectum superioris, arguitur convenire cum hoc in immaterialitate pro formalis. Inter virtutem vero elevantem,

tem, ejusque objectum non debet servari tanta æqualitas, ut non excedat objectum ipsam virtutem in immaterialitate: uti videre est in essentia divina, quæ profectò excedit in illa visionem creatam: ex ipsa enim elevatione infertur, quod attingentia illa non est connaturalis, nec æqualis sicut cognitio Angeli. Ideoque objectum semper superemi- net visionem, & quantumvis ab illa utcumquè attingatur, numquam cum ea æqualitate, & proportione, ac Angelus superior attingitur per in- feriorum. Ehinc ergo nascitur, quod scientia infusa cognoscat visionem, & lumen gloriae, non tamen horum objectum: quia scilicet non est omni- nò proportionatum, sed semper aliquomodò superexcedens lumen, & visionem: si ergo hæc exceduntur ab objecto, nil mirum quod scientia infusa cognoscat lumen, & visionem, & non istorum objectum.

12. Obs. 4. Unio hypostat. est quoddam donum supernaturale inat- tingibile per scientiam infusam: ergo hæc non omnia attingit supernatu- ralia. Ant. prob. Si talis scientia at- tingeret unionem comprehensivè, comprehendenter etiam ejus specificatum, scilicet personam divinam, quod est impossibile: ergo & attin- gere unionem. Hoc argumentum pro- bat nimis, quod scilicet nullum do- num supernaturale, maximè quod sit participatio formalis prædicati di- vini, possit per scientiam infusam Christi comprehendendi, cùm omne illud specificetur per prædicatum divinum incomprehensibile per hanc scien- tiā.

Deinde resp. quod tunc attingens, vel cognoscens virtus specificatum cognoscit, & attingit specificativum, quandò hoc continetur intra lineam, vel limites virtutis attingentis; se- cùs verò si secùs: cùmque specificati- tum unionis hypostaticæ longè transvolet sphéram, sive limites scien- tiae infusæ in esse cognoscibili, & maximè compræhensivè, hinc est, quod licet talis scientia comprehen- dat unionem hypostaticam, minimè verò Personam divinam, quæ ip- sam specificat. Vide similem solu- tionem suprà n. 7. & in hoc alium alibi superiùs citatum. Undè satis erit, quod cognito prædicato par- ticipante, vel specificato ab aliquo, hoc etiam divinum specificativum, sive participatum cognoscatur aliquo- modò juxta majorem, vel minorem lucem cognoscentis, non tamen quidditativè, & comprehensivè, sed in confuso, vel sub aliqua ratione communi, vel solum quoad an est.

D U B I U M II.

*AN CHRISTUS PER SCIENTIAM INFU-
SAM COGNOWERIT EVIDENTER MYSTERIUM
TRINITATIS QUAOD AN EST?*

13. **N**ON est sermo de cog- nitione intuitiva, quæ solius visionis beatæ propria est, sed de abstractiva, & quoad an est, quam- que supponimus habuisse Christum de Deo, ut Auctore supernaturali: quia non minus sunt efficax medium effectus supernaturales (quos suppo-нимus à Christo cognitos) ad Deum Auctorem supernaturalem cognoscen- dum

dum, quām naturales ad Auctorem naturalem; sed per hos Deus evidenter infertur Auctor naturalis, etiam ab hominibus fidei lumine substitutis: ergo &c. Imò mediis effectibus naturalibus scit aliqualiter Christus Deum Auctorem supernaturalem: videt enim potentiam obedientialem cum sua essentiali habitudine ad Deum. Cognita autem perfectè aliqua habitudine ad terminum, vel principium, nequit non horum aliqua acquiri notitia certa, & evidens, sicut quoad *m. est.* Difficultas est circa Deum ut trinum, circa quem supponimus, quod quidditativa non potuit esse cognitio per scientiam infusam, cùm & hæc notitia solius visionis beatæ propria sit.

NOSTRA RESOLVITIO

14 **A** Nima Christi per scientiam infusam cognovit certò, & evidenter mysterium Trinitatis quoad *m. est.* Sic D. Th. 3.p. q. 11. art. 1. ubi per eam assertum cognovisse omnia illa, quæ per revelationem divinam homines noverrunt, sive ad prophetiæ, sive ad sapientiæ, sive ad quocumque aliud donum pertingant; atqui homines cognoscunt, & confitentur mysterium Trinitatis per revelationem: ergo & Christus. ¶ Prob. 2. ex Seraphica Doctrice, ac Matre nostra S. Therese à Jesu aureis quæ hoc mysterium annotavit litteris, & idem scriptum terris ad nostram instructionem tradidit Mans. 7. c. 1. n. 6. & 7. ibi: *Metida en aquella Morada por vision intellectual, por cierta manega de re-*

presentacion de la verdad se le muestra la Santissima Trinidad, todas tres Personas, con una inflation, que primero viene à su espiritu à manera de nube de grandissima claridad, y estas Personas distintas: y por una notitia admirable, que se da al alma, entiende con grandissima verdad ser todas tres Personas una substancia, y un poder, y un saber, y un solo Dios. De manera que lo que tenemos por Fe, allí lo entiende el alma (podemos decir) como por vista, aunque no es vista con los ojos del cuerpo, &c. Si ergo S. Therese, alias illustrissimæ Magistri indita est hæc hujus altissimi mysterii tam perspicua notitia, quid de illo, quem omnes omnium Magistrorum vocant (& benè dicunt) dicemus?

15 Prob. 3. ratione huic, & aliis precedentibus assertionibus communis: nam decentissimum fuit, ut omnis Christi potentialitas ad actum, & perfectionem reduceretur, quæ ejus decet dignitatem, & opus non dedecet redemptionis; sed fuit anima ejus in potentia ad mysterium hoc capiendum sine præjudicio suæ dignitatis, nec impedimento nostræ redemptionis: ergo illi concedenda fuit ejus notitia quoad *m. est.* Minor in qua, si qua est, difficultas est, prob. quoad duas ultimas partes: nam longè à præjudicio opus fuisse videtur, quod Magister omnium, qui que omnes mysterium hoc docturus esset, prius, & pleniùs quām omnes, ipse sciret, & præsciret: ergo non præjudicavit ejus dignitati, nec officio redemptoris hoc scire mysterium. Quoad primam partem probatur: nam possibile est hoc scire myself.

mysterium quoad *an est*, sicut possibile est scire Deum Auctorem supernaturalem solum quoad *an est*: ergo per aliquam virtutem; sed non per scientiam beatam: hæc enim quidditativè, & intuitivè illud tangit: ergo per scientiam infusam: ergo interdiù hæc non cognoscat illud, erit anima Christi in potentia, & aliquomodo imperfecta: ergo vera est min. quoad trinam partem.

16 Nec obstat (obviam fit tacita objectioni) quod Christus cognoverit hoc mysterium quidditativè per scientiam beatam, per quod sufficienter dignitati, & officio ejus provideri videbatur, non obstat: nam Christo concedenda est non solum cognitio, sed & modi omnes naturales, & supernaturales cognoscendi, quorum capax est, & quibus utuntur reliqui homines, ut sic membra, & caput, quantum fas est, conformentur: cùmque unus ex his sit cognoscere mysterium hoc per effectus, quod visioni beatæ non convenit saltim primariò, & directè, concedenda est illi virtus supernaturalis, quæ sic illud cognoscat, & hæc alia non est, quam scientia infusa dicta.

¶ Dices: nullum esse effectum, vel vestigium creatum per quod in cognitionem Dei trini veniatur: ergo licet notitia evidens illius ut unius dari possit, minimè ut trini. Resp. negando ant: quia Christus ut minus cognovit per hanc scientiam unionem hypostaticam, & consequenter ejus specificativum, scilicet unam ex Personis, & ex duabus se mutuò diligentibus potuit inferre amorem

substantialem, scilicet Spiritum S. ergo aliquod, relictis aliis, assignatur vestigium creatum ad inferendum tres Personas, & consequenter mysterium Trinitatis.

OPPOSITA SENTENTIA.

17 **D**efensatur ab AA. n. 7^a citatis, quibus adhæret Vazquez. Cum quibus obs. i. D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. ibit Ipsam autem Dei essentiam per hanc scientiam (Christus) non cognovit, sed solum per primam, scilicet beatam: ergo multò minus cognovit Trinitatem. Explico D. Thom. non cognovit quidditativè, conc; quoad *an est*, & evidenter, nego ant. & conseq. ¶ Dices: quomodo compatitur cognoscere quoad *an est* evidenter per scientiam infusam id, quod Christus sciverat per evidentiam attestante (supponere enim debemus evidenter cognovisse extra Verbum testimonium divinæ revelationis, & quod veritas revelata erat infalibilis circa mysterium Trinitatis) cùm cognitio in attestante pugnare videatur cum cognitione evidenti per scientiam infusam: illa enim est simplex cognitio, hæc autem scientificus processus? Quæsiti hujus resolutio, quam plurimis occurrit obicibus, vel melius dicam tricis metaphysicis, quæ, sicut muscarum pedes casses aranearum graciles implicant, & captant, sic istæ ingeniolos juvenum aded irritiunt, & illaqueant, ut ab illis extricari non valentes, horrore, & nausea studium, & scientiam professuantur.

18 Breviter ergo resp. missis cum veneracione aliorum placitis, & laqueosis anfractibus, quod Christus non habuit revelationem hujus mysterii, si per eam intelligas, quam nos de illo habemus viatores: haec enim relinquit obscurum intellectum, & sicut Christus non habuit fidem, sic nec revelationem propriam, & obscuram fidei; habuit vero revelationem ut Comprehensor claram, & intuitivam, de qua Apost. ad Rom. 8. 11. ait: *Non sunt condigne: ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis,* quæque coincidit cum visione beatifica. Præter hanc revelationem nullam habuit aliam: Quia tamen homo erat rationalis, & discursivus, habuit modum cognoscendi (præter primum) alium scientificum media scientia infusa, & per effectus, & mysteria inferiora, altissimum Trinitatis mysterium inferentia: sicut enim Catholici Philosophi verè credunt Deum esse fidei obscuro lumini innitentes, & præter hunc habent etiam alium modum cognoscendi Deum esse per processum scientificum, & à posteriori, sic Christus innixus speciebus de hoc mysterio infusis, simpliciter illud cognoscebat, & nihilominus attenus ad plura vestigia creata ipsum concernentia, per hanc scientiam evidenter illud inferebat. Hujus doctrinæ vide fulcimentum, & exemplar tract. I. disp. 2. dub. I. n. 6. Sed contra illam repones, &

19 Obs. 2. Si per discursum posset Christus hoc mysterium evidenter demonstrare, post præmissam cognitionem creature haberet secun-

dam ex illa illatam cognitionem, per quam cognosceret mysterium Trinitatis in se ipso immediate, hoc est media impressa, immo & expressa specie ipsum immediate repræsentante; sed hoc est prorsus falsum, & repugnans: nam sic cognoscere Deum solius proprium est visionis beatificæ, nec species aliqua præter Divinam potest Deum immediate repræsentare: ergo repugnat talis cognitionis secunda, sive collativa, & consequenter scientifica. Omissis aliorum placitis,

Respondetur cum Illustrissimo Godoy, Pal. & N. Salm. in præsenti à n. 68. quod secunda cognitionis attingeret quidem Trinitatem per speciem tam impressam, quam expressam ipsam repræsentantem, non tamen omnino immediate: quia semper supponeretur, vel potius effingeretur aliqua creatura superni, vel supernaturalis ordinis primariò terminans, ad cuius instar Trinitas repræsentaretur, & cognosceretur: non quidem Trinitas prout est in se, hoc enim omnem humanam beatorum supervolat cognitionem, sed ad instar entitatis altissimæ, perfectissimæ, ordinisque omnem supereminens naturalem: quia & ipsæ species supernaturales sunt. Haec autem repræsentatio licet solùm quoad *an est*, esset tamen certa, & evidens, & consequenter scientifica. Nec mirum quod per hanc scientiam altius Christus non cognoverit, cum ea ex se non transgrediatur modum operandi viatorum, sicut nec ejus scientia naturalis, & acquisita, media qua potuit ut Philosophus dissertissimus

etiam inferre Deum Auditorem naturalem. Et quidem si objectio hæc aliquid probaret, convinceret, quod nec hoc posset Christus scire, quod Philosophi ethnici solo fulciti lumine obtinuere naturali: sequitur enim idem inconveniens respectivè.

DUBIUM III.

*UTRUM ANIMA CHRISTI PER SCIEN-
TIAM INFUSAM COGNOVERIT COGITA-
TIONES CORDIUM, & FUTURA CON-
GENITA?*

CONCLUSIO

20 **A**ffirmativè resp. cum omnibus Thomistis, & communiter extraneis. Prob. 1. ex Matth. 19. ubi dicitur: *Et cùm vi-
disset Iesus cogitationes eorum, dixit: q̄ ut
quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et 26. circa futura contingentia: *Ante
quām gallus cantet, ter me negabis.* Nec dixeris, hæc Christum calluisse per scientiam beatam: tum, quia æquè posset dici, quod per scientiam in-creatam, quod tamen minimè: *Tum,* quia Christi scientiæ infusaæ denegandum non est id, quod pluribus hominibus concessum est; constat autem, quod plures Prophetæ, & SS. sine recursu ad scientiam beatam, id obtinuerunt scire, & in veritate præ-dixere: ergo potiori ratione Christus: de quo D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. ad 3. ait: *Quia igitur ha-
buit plenitudinem prudentie secundum do-
num consilii, consequens est, quod cognos-
ceret omnia singularia presentia, præterita,
& futura.*

21 Prob. ratione: quia decentissimum, (imò & fuit quasi ne-cessarium,) ut qui omnium, vel Angelorum est caput, director etiam, & Magister hominum, omnia eorum sciret, & præsciret, ut sic omnia suo subjacerent regimini, & ut ma-la cognosceret, quæ vitaret, vel puniret, vel super eis Patrem placaret, & bona promoveret, ad illaque suo exemplo provocaret &c. quæ mu-nera, nisi omnia dicta nosset, exerce-re non posset saltim modo humano, qualique opportebat, ut sicut per hominem mors, per hominem etiam (& non præcisè ut Deum) resur-rectio veniret mortuorum (1. Cor. cap. 15. v. 21.) ergo tenet resolu-tio. ¶ Deindè hæc omnia scibilia sunt: ergo si Christum ea præteri-rent, esset anima ejus ad sciendum in potentia, & consequenter imper-fecta, indigna, vel non ita propor-tionata, quæ in personam assumere-tur divinam.

22 Quidam, vel ubi Chris-tus hæc futura, & cogitationes præ-sentiret, & sciret? Relictis aliorum placitis, resp. quod in se ipsis me-diis speciebus ea repræsentantibus non solùm quoad esse entitativum, sed & quoad esse sub exercitio tali, vel tali tempore. Audi D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 6. ubi comparat cum hanc scientiam possidente mentem Prophetæ per hæc verba: *Quandoque reuelatio prophetica est impressa quadam similitudo divina præscientia, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis.* Et infra q. 173. art. 2. idem repetit, & addit: *Imprimendo species intelligibilis ipsi menti, sicut patet de his, qui acci-pient*

piunt scientiam , vel sapientiam infusam , sicut Salomon , & Apostoli : ergo si Christus illam habuit , habuit etiam eumdem modum cognoscendi cogitationes , & futura , hoc est in se ipsis mediis speciebus ad id munus impressis.

SENTENTIA OPPOSITA.

23 **T**enenetur à Lorca , Gabriel , & aliis , & prob. 1. ex Paralip. 2. c. 6. ubi de Deo dicitur : *Tu solus nosci corda hominum* : ergo non & anima Christi . Confirmatur ex D. Thom. in 3. distinct. 14. q. 1. art. 3. qui ait : *Quedam sunt ad qua naturalis cognitio nullo modo sex extendere potest* , sicut est ipsa essentia divina , futura contingentia , cogitationes cordium , & alia hujusmodi , & horum non habet anima Christi scientiam per ipsum modum , sed cognovit ea in Verbo ; sed in Verbo cognovit ea per scientiam beatam : ergo non per infusam , nec in se ipsis. Resp. in his testimoniosis sensum esse de cognitione connaturali , quae solius Dei propria est , non verò excludi cognitionem supernaturalem , quae haberi potest per infusionem scientiarum , & specierum ei de servientium. Quod innuit D. Thom. in suis verbis : inquit enim : *Quedam sunt ad qua naturalis cognitio &c.* Et licet concludat dicens , quod cognoscuntur in Verbo , non excludit modum ea in se ipsis cognoscendi per scientias , & species supernaturales & infusas.

24 Obs. 2. Sequitur ex conclusione , quod possit Christus praedita cognoscere per scientiam natu-

ralem : sunt enim multa secreta cordium ordinis naturalis ; sed hoc non admittitur : ergo nec id , ex quo sequitur. Resp. dist. imbibitam majoris : sunt ordinis naturalis in esse entis , conc. in esse intelligibili , nego maj. & concessa minori , nego conseq. Sanè multa ex his objecta non transgrediuntur lineam naturalem : quia tamen sunt ex se occulta , solique Deo ut tali subjecta , & aperta , nequeunt naturaliter sine lumine , vel speciebus supernaturalibus cognosci , quibus utatur scientia infusa , ut ea penetret.

¶ Dices : ergo Christus fuit Prophetus , ususque fuit prophetica notitia , quod negare videtur D. Thom. q. 20. de Verit. art. 6. Sed contra est , quod dicitur Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Resp. ergo , quod licet Christus non fuerit Prophetus in quantum comprehensor , qua de causa D. Thom. 2. 2. q. 134. excludit à beatis quemlibet gradum Prophetarum ; fuit tamen ut viator : non tamen talis deficenter sicut cæteri homines , cum hoc solum postulet lumen prædicendi transiens , sed perfectissime & excessivè supra omnes : habuit enim habituale , & indeficiens lumen , quo secreta cordium , & futura præsentiret. Hujusmodi verò modus prophetandi coincidit , vel est idem cum modo cognoscendi per scientiam infusam , quo in sensu etiam D. Thom. 2. 2. q. 174. art. 5. ad 3. Et 3. p. q. 7. art. 8. Et q. 31. art. 2. admittit Christum verè esse Prophetam.

DISPUTATIO IV.

DE MODO , ET PERFECTIONE IN
Christo cognoscendi per scientiam
hanc infusam.

AD esse rerum sequitur essendi modus. Diximus hucusque aliquid de esse , & entitate scientiæ Christi, imò de objectis , ad quæ extenditur , & quorum limites non transgreditur : nunc de modo , & perfectione ea cognoscendi, aliquid opus est agamus. Sit ergo

DUBIUM I.

AN CHRISTUS IN EXERCITIO SCIEN-
tiae infusæ potuerit uti discursu , &
conversione ad phantasmata?

Discursus binam exigit cognitionem realiter distinctam , una quarum est causa alterius, defectu cuius Deus , nec Angelus discurrunt formaliter , sed ad summum virtualiter , quatenus in causa cognita cognoscunt & effectum per eamdem cognitionem. ¶ Converti intellectum ad phantasmata nihil est aliud , quām in speciebus expressis phantasiam (quæ alio nomine idoli , vel etiam phantasmata dicuntur) speculari , & quasi studere id, quod intellectus capere intendit , ut apud D. Thom. i. p. q. 84. art. 7.

¶ Supponimus , Christum non indiguisse , ut cognosceret , discursu , nec conversione ad phantasma ; inquirimus vero , non de ne-

cessitate , sed de potentia , potueritne per discursum , & dictam conversionem operari media scientia infusa ? Suppositio hæc constat ex D. Thom. 3. p. q. 11. art. 2. ubi ait: *Anima beata ante resurrectionem , & post intelligere possunt absque conversione ad phantasmata.* Et hoc etiam opportet dicere de anima Christi , quæ plenè habuit facultatem comprehensoris. Et eadem est ratio pro discursu , cùm necessitas discurrendi ex imperfecto modo oriatur cognoscendi dependenter à sensibus.

CONCLUSIO PRIMA.]

Christus in exercitio scientiae infusæ potuit discurrere. Sic D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. in corp. ubi ait: *Et hoc modo scientia animæ Christi (loquitur de infusa) poterat esse discursiva : poterat enim ex uno aliud concludere , sicut fibi placet.* Ipsum sequuntur omnes ejus Discipuli. Ratio est : quia species servientes huic scientiæ repræsentant tum essentiam , tum proprietas , & istarum cum illa connexionem ; sed alias Christus potuit distribuere suos conceptus , ita ut uno essentiam cognosceret ut illativam proprietatum , & alio proprietates ut illatas ex essentia , quod est propriè discurrere : ergo ita est. Quod parificatur à contrario quod in Angelis contingit , qui ideo non possunt sic dividere suos conceptus : quia ejus natura , & intellectus hunc modum excedunt cognoscendi ob ejus majorem perfectionem , & penetrationem objecti supra humanum capitum:

tum : ergo Christus Dominus, quem minuit Deus Pater paulo minus ab Angelis in esse, & operari humano modo, potuit hoc uti, ut homo, qui non quia fuit Deus, facultates, & modos earum exercendi amissit, sed quin potius perfecit.

3 Confirmatur : Sicut habitus fidei est indiferens, ut recipiatur in natura Angelica, vel Humana, sic scientia infusa eadem gaudet indifferenta; sed fides in natura Angelica non potest componere, & dividere conceptus deservientes ut discurrat ob incapacitatem subjecti: ergo si econtra recipiatur in natura capaci sic operandi, qualis est humana, poterit utique sic operari in ordine ad discursum: ergo idem respectivè dicendum erit de scientia infusa recepta in natura Christi, quæ humana est. Totum quod in trita illa Philosophorum parœmia ineumbit: *Unumquodque recipitur ad modum recipientis.*

ARGUMENTA OPPOSITA.

4 **P**ATRONOS habent D. Bonav. Lugo, Suarez, Vazq. & alios. Cum quibus obs. 1. Damasc. 12. de fide c. 22. & 13. c. 14. ubi de Christo affirmat non habuisse consilium, nec electionem, & reddit rationem: *neque enim ignorantia laborabat*: sed consiliare, & eligere est proprium discurrentium, & convinantium media cum fine, & præmissas cum conclusione: ergo Christus non potuit uti discursu. Respondet 1. D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. ad 1. quod à Christo excluditur con-

Tomo II.

silium, quod est cum dubitatione, & per consequens electio, quæ in sui ratione tale consilium includit. Non à Christo excluditur usus consiliandi. Respr. 2. Damascenum loqui de usu ex indigentia, non verò de potentia discurrendi, de qua unicè nobis sermo est.

5 Obs. 2. Discursus petit unam cognitionem terminatam immediate ad essentiam in se, & aliam ad proprietates in se ipsis; sed hoc non salvatur in exercitio scientiae infusæ Christi: quia species servientes huic scientiæ sunt, sicut Angelicæ, quæ simùl repræsentant essentiam, & proprietates, ac per consequens in unicam influunt cognitionem: ergo &c. Et quidem si cognoscuntur proprietates per essentiæ cognitionem; ut quid opus erit alia cognitione? Ergo verè non est opus. Consentio huic ultimæ conseq. & hoc unicè probat argumentum, scilicet, non opus esse bina cognitione, non verò impotentiam ea utendi. Undè solùm imitantur species Christi Angelicas in hoc quod est cognoscere unico intuitu præmissas, & conclusionem, ut sit in Angelis; sed & ad placitum est Christi uti, sicut cæteri faciunt homines, dupli: est enim Christus homo, non habens facultatem, quam alii, minus expeditam ad hoc munus discurrendi. Itaque anima Christi sic potest uti inadæquate speciebus, quæ deserviunt suæ scientiæ, ut non solùm cognoseat, si velit, solitariè essentiam, sed etiam ita ut unâ cognitione attingat essentiam ut illativam, & aliâ proprietates ut illatas. Cujus ratio à priori est, quia Christus est rationalis, hoc

K 3

est,

est, capax ratiocinandi, vel discurrendi, quod non competit Angelis, nisi ad summum virtualiter. Sed replicabis, &

6 Obs. 3. ¶ Hæc cognitio discursiva Christi attingens proprietates, est actus primarius, vel secundarius? Si primarius, contra: nam species solum terminatur primariò ad essentiam (& talis est cognitio, qualis est species) ad proprietates verò ratione essentiæ. Si secundarius, & quomodo attingit proprietates in se ipsis? Pro hujus solutione argumenti memineris quæ in limine hujus tract. præmisserimus, non nos loqui in illo de scientiæ cognitione præcisè scientifica, sed vel de illa, ut in præsenti dubio, vel de cognitione utcumquè sumpta. Ehinc inferes, scientiam Christi non solum deservire ad discurrendum, sed ad simpliciter cognoscendum: cum hac tamen differentia, quod primariò ad cognoscendum, & secundariò, & quasi accidentaliter ad discurrendum: nam hic modus accidit substantiæ, & fini scientiæ Christi, seu ratione subjecti, in quo est, scilicet hominis: si enim poneretur in Angelo, nullo modo discurret.

Quo supposito, resp. quod si loquamur de scientia Christi, secundum quod est ratio cognoscendi simpliciter divina, vel supernatura, uterque actus, sive terminatus ad essentiam, sive terminatus ad proprietates, est primarius: nam in ratione formalí objecti utriusque convenit objectum, & alias unum non attingitur ratione alterius, sed in se, & propter se. Si verò loquamur de

scientia, prout est ratio cognoscendi scientificè, sic secundariò terminatur tam ad essentiam in se ipsa, ut illativam, quam ad proprietates in se ipsis, ut illatas: quia supponit terminationem primariam ad objectum supernaturale secundum se. Potest verò concedi, quod facta comparatione inter illativam, & illatas, illam primariò attingit: quia propter se; has verò secundariò: quia propter illam. Idem dico de speciebus respectivè, per quod corruit totum argum. Vide dicta tract. 3. disp. 1. dub. 4. n. 34.

7 Obs. 4. Si per scientiam infusam potest Christus discurrere, sequitur, quod, & per beatam, quod tamen non admittitur: ergo nec primum. Negatur sequela, & redditur disparitas: quia scientia beata non subditur imperio voluntatis, ut sic, vel sic operetur, sed necessariò, & unico intuitu videt & essentiam, & passiones; econtra scientia infusa, qua liberè potes uti voluntas, ut, vel simpliciter, vel illativè operetur. ¶ Dices: Scientiam infusam Angeli subdi etiam imperio voluntatis, & tamen non discurrere: ergo ruit solutio. Respr. non discurrere, sed id est ratione subjecti, quod discursivum non est: undè si ejus scientia colocaretur in homine, discurreret, sicut si scientia infusa hominis colocaretur in Angelo, non discurreret: ex quo infertur, quod scientiæ infusæ creatæ accidit discurrere, licet essentialiter discursiva sit.

¶ Dices: ergo non distinguuntur essentialiter scientia infusa Christi,

ti, & Angeli. Conc. conseq. (& id innuit D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. ad 3.) solum enim distinguuntur ratione subjecti, in quo sunt accidentaliter. Contra; Potentia discursiva, & non discursiva, v.g. intellectus Angelī, & hominis distinguuntur specificè: ergo etiam scientia infusa utriusque. Nego conseq. quia scientia utriusque discursiva est, & solum non discurrit ratione subjecti incapaci discurrendi, quod est distingui accidentaliter; potentiae verò illorum non ita conveniunt in hoc, sed alter discursivus essentialiter, alter verò nec accidentaliter discursivus est: ergo non habent rationem convenienti specie, & ideo essentialiter distinguuntur.

SECUNDA CONCLUSIO.

8 **A**nima Christi potuit in cognoscendo converti ad phantasmata, licet non quoad omnia objecta. Hæc secunda pars prob. auctoritate, & ratione D. Thom. 3. p. q. 11. in sed contra. ibit: *Anima Christi cognovit quadam, quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas.* Potuit ergo intelligere non convertendo se ad phantasmata. In quibus verbis ratio imbibitur, scilicet, quia sunt objecta insensibilia, quæ sub sensibili non recidunt phantasia. Prima pars æquè constat ex ipso ibidem ad 3. Dicendum, quodd licet anima Christi potuerit intelligere, non convertendo se ad phantasmata, poterat tamen intelligere se ad phantasmata convertendo. Ratio est: quia species hu-

jus scientiæ repræsentabant aliqua objecta materialia: ostendant ergo adversarii repugnantiam, ne illa excitarent phantasiam ad formandum de ipsis phantasmata, quibus intellectum provocarent, ut in illis specularetur singularia objecta per illa repræsentata, postquam per intellectum agentem à sua materiali crassie essent depurata. Maximè cùm per scientiam infusam non exuerit anima Christi modum operandi humanum, quin potius illum perficerit, & cum statu viatoris conformaverit. Argumenta contra hanc conclusionem sicut eundem habent contra ipsam incursum, ac præcedens, ita & eundem pro ipsa habent occursum, ac solutionem, ideo ea ommittimus.

DUBIUM II.

**AN SCIENTIA CHRISTI INFUSA FUE-
RIT major, quam Angelorum
scientia?**

9 **P**ræmittit huic N. Paulus cum N. Salm. aliam controversiam, scilicet, an per hanc scientiam cognoverit Christus futura intuitivè? Sed cùm id negaverimus disp. 2. dub. 3. scientiæ beatæ, quæ perfectior est, quid dubii restat circa infusam, quæ imperfectior est? Verè nihil, in cuius testimonium eisdem utitur probationibus ad negandum huic intuitum futuri, ac illi, imò & addit hoc non despiciendo ratiocinium: In tantum, inquit, hæc scientia intuetur futura, in quantum ejus du-

ratio contineret eminenter duratio-
nes futurorum ; hoc autem nequit
esse ; nam duratio scientiæ beatæ
alicujus, qui adhuc non erat quando
Christus, sed futuris erat postea, non
poterat contineri in duratione scien-
tiæ infusa illius : hæc enim imper-
fectior est, quæ duratio scientiæ
beatæ ; sed inferior nequit eminen-
ter continere superiorem : ergo te-
net minor tacitè negata. Sed

10 Dices contra hoc : ergo Chris-
tus crevit, vel profuit in hac scien-
tia, ut quando futura in statum
perveniebant existentiæ : tunc enim
ejus scientia infusa de abstractiva,
quæ imperfectior ad intuitivam, quæ
perfectior est, transibat ; sed hoc
est contra D. Thom. qui 3. p. q.
12. art. 2. afferit: In hac scientia
Christum non profuisse : ergo non
est admittendum. Dist. causalem pro-
bationis majoris : in intuitivam, quæ
perfectior est essentialiter, nego ; ac-
cidentaliter, conc. maj. Et expli-
cato similiter D. Thom. nego con-
seq. Hæc notitia intuitiva, & ab-
stractiva non distinguuntur essentialiter,
scù specificè : nam specificè
& essentialiter non distinguitur ea-
rum objectum, quippe quod ante
existentiam, & post illam idem
essentialiter est, & ideo per tran-
situm de abstractiva in intuitivam,
non crevit essentialiter, ut expressè
tenet D. Thom. cit. sed acciden-
taliter extrinsecè, & quoad effectus
magis per illos se manifestando. Imò
nec numero distingui petunt prædic-
tæ duæ scientiæ : quia per eamdem
numero cognitionem, qua Angelus
cognoscit intuitivè rem nunc exis-

tentem, cognoscet abstractivè illam,
jam præteritam, tota distinctione ex
parte objecti se tenente, nulla ve-
rò ex parte potentiarum, vel scientiæ
cognoscentis. Sed

11 Replicabis adhuc : Præsen-
tia, & absentia sunt ratio formalis
diversificandi formaliter gaudium,
& desiderium voluntatis. Item sen-
sus interni specificantur, & distin-
guuntur per præsentiam, vel absen-
tiam ejusdemmet objecti, ut patet
in sensu communi, qui solummodo
præsentia, & phantasia, quæ sive
præsentia, sive absentia attingit
objecta sensibilia : ergo idem est
dicendum de scientiis intuitiva, &
abstractiva. Respr. quod tam sensus
interni, quæ voluntas sunt in at-
tingendo suum objectum minus uni-
versales, & magis limitati quam in-
tellectus : ideo hic, quippe qui uni-
versalior, & abstractior, ambit præ-
sentiam, & absentiam sine diffe-
rentia essentiali, & formali ex par-
te objecti ; voluntas verò, & sen-
sus interni, quippe minus transcen-
dentes, attingunt rationes objecti-
vas magis limitatas : undè post ter-
minationem ad rem existentem, res-
tat illis nova difficultas in terminan-
do se ad rem absentem. Et addi-
mus pro voluntate, quod hæc ter-
minatur ad rem, non prout est in
voluntate, sed prout est in se : un-
dè cùm res existens, & non exis-
tens quantum ad esse in se multum
differant, ideo opus est pro illarum
attinentia distinctis essentialiter ac-
tibus ; econtra intellectus trahit ad
se res, & in se mediis speciebus
cas purificat, elebat ad statum ma-

gis

gis universalem , & abstractum, in quo adunantur in aliqua ratione communi sub qua per illum attinguntur. Hæc ut aliquid de dubio prætermisso , & nos dicamus.

12 Circa præsens supponendum est (id quod non obscurè colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 54. art. 4.) Scientiam distingui à speciebus, cùm istæ ex parte objecti , scientia verò ex parte se teneat potentia; quod magis urget loquendo de scientia supernaturali , de qua nunc : cùm enim ab objecto , & potentia paratur notitia , si potentia non elebatur per aliquid supernaturale ex parte ejus se tenens , impossibile est quòd eam possit parere. ¶ Supponendum etiam est , species deservientes huic scientiæ esse sicut ipsam ordinis supernaturalis: nam talis est cognitio qualis est species: cùmque cognitio hujus scientiæ sit sicut ipsa , ejusque objectum , supernaturalis , tales etiam erunt species ipsi deservientes. ¶ Nec interest (occurritur objectioni) quòd species deservientes fidei , quæ supernaturalis est , sicut ejus objectum , sint naturales : elebantur enim , vel coordinantur , aut modificantur per aliquem modum , vel auxilium supernaturalre , ut diximus tr. 2. disp. 2. dub. 5. n. 49. His ita prælibatis , sit

PRIMA CONCLUSIO.

13 Species deservientes scientiæ infusaæ Christi sunt minùs universales , quæ Angelicæ. Sic communiter Thomistæ , & ex-

pressè D. Thom. 3. p. q. 11. art. 6. in corp. ibi: Scientia indita anima Christi habuit modum connaturalem animæ humanae: est autem connaturale animæ humanae ut recipiat species in minori universalitate , quæm Angelii. Et ad 1. sic ait: Scientia animæ Christi est infra scientiam Angelorum , quantum ad modum recipientis. Prob. ratione : licet enim hæ species non possint dici connaturales animæ Christi : sunt quippe supernaturales : ast debent , quantum par est , cum ejus immaterialitate conformari ; atqui hæc minor est quæm Angelica : ergo minor etiam erit immaterialitas specierum : ergo minor universalitas earum : à majori enim , vel minori immaterialitate pendet major , vel minor abstractio , major , vel minor limitatio. Major patet in illuminatione spiritus inferioris per superiorum , in qua veritates , quæ infunduntur , particularizantur ita , ut trahantur ratione subjecti ad modum , & gradum potentiae eas recipientis. Minor etiam constat : nam immaterialitas animæ Christi non est tanta , ut non concernat materiam physicam , quam tamen excludit Angelica.

SENTENTIA OPPOSITA

14 Defenditur à Suarez , & aliis , illamque admitti ut probabilem non reputant inconveniens N. Salm. tract. 7. disp. 5. n. 98. Quo tamen non obstanti , in præsenti , ubi suum ultimum proferunt judicium , nostram tenent expressè . Obs. 1. D. Thom. in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4. ibi:

ibi : Cùm anima Christi habuerit limpidissimam cognitionem inter omnes creaturas , scientia ejus fuit magis unita , & per formas magis universales , quim aliqua scientia creature : ergo. Respr. D. Thom. expressè tenere nostram sententiam , ut vidimus num. antec. Unde concilianda sunt nobis duo loca , quod est difficile , vel recurrendum ad retractationem , ut volunt N. Salm. Vel melius dicendum est cùm à Sancto Thoma in tom. de Sacram. disp. 22. art. 2. in fine , D. Thom. in libris sententiarum agere Interpretē , non Magistrum , ut in præsenti : ideoque in primo loco potuit se accommodare menti Mag. Sēnt. non proferendo suum judicium usque dum ex sua loqueretur sententia , quod facit in præsenti.

15 Obs. 2. Christus per hanc scientiam illuminat Angelos juxta D. Thom. 3. p. q. 11. art. 4. & 6. ad 1. Diendum est , quod sicut supra dictum est (art. 4.) Scientia anima Christi est perfectissima , & excedens Angelorum scientiam quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis ; atqui illuminans recipit species in majori generalitate illuminato , ut docet D. Dionys. cap. 15. de Cœlesti Hierarq. & D. Thom. q. 9. de Verit. art. 1. ad 4. ergo Christus universaliores habet species. Poterat probabiliter concedi ant. cum D. Th. qui in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. quæsiunc. 4. ad 3. Et opusc. 1. c. 26. docet , aliquos homines illuminasse Angelos , & tamen nullus habuit species adeo universales , sicut Angeli. Sed melius & probabilius

in via D. Thom. cum N. Salm. tr. 7. disp. 14. n. 10. dic , nullum purum hominem umquam Angelos illuminasse , sed concede hanc Christo , qui est caput illorum , excellētiam , quin obstat regula DD. Dion. & Thom. quæ debet intelligi , loquendo de illuminante , & illuminato ejusdem naturæ immaterialis , ut puta de illuminante Angelo superiore Angelum inferiorem : non de illuminante inferioris naturæ , ut est Christus , qui qua parte est homo , debet recipere species magis limitata , qua verò parte est Doctor universalis , caputque Angelorum , interest sua & hos illuminare.

16 Obs. 3. Sequitur ex conclusione , quod Angelus unico actu plura objecta cognoscat quam Christus , quod parum quidem exaltat hujus dignitatem : ergo non est admittenda. Potest concedi ant ; non tamen quod Angelus cognoscat talia objecta ea claritate , qua Christus per unum , vel per plures actus eadem attinget. Sed & potest sic distinguiri : plura objecta attendens ad totidem species , conc. ; attendens ad pauciores , nego ant. cum imbibita probatione , & conseq. Est dicere , quod Angelus unico actu innixo totidem speciesbus , ac alius actus Christi , plura percipiet objecta : quia sunt ejus species universaliores : cùm verò species communicata Christo , licet magis limitata , sint plures numero : nam per eas cognoscit quidquid Deus per scientiam visionis , & plura possibilia , quæ Angelos prætereunt , si per unum actum attendit pluribus numero , vel specie distinctis spe-

ciebus, poterit ejus notitia in uno actu amplior esse, quam Angelica.

SECUNDA CONCLUSIO.

17 **S**cientia infusa Christi perfectior est Angelica, tum, in ratione luminis (hoc est, scientiae, seu virtutis) tum, in ratione speciei (hoc est, in speciebus ipsis deservientibus) est tamen utcumque, & secundum quid imperfectior. Prima pars patet: quia tam intensivè, quam extensivè excedit Angelicam; intensivè quidem, sic enim docet D. Thom. n. 15. laudatus, & quia est proprietas scientiae beatæ, quæ longè intensior est in Christo, quam in Angelo: extensivè etiam, quia ad plura objecta se extendit cognoscenda, ut nuper diximus num. antecedenti. Secunda pars patet etiam: quia species serviens perfectiori scientiae, perfectiorique cognitioni, perfectior debet esse, quam imperfectiori deserviens: talis est species scientiae Christi, seu Scientia Christi in ratione speciei, ut probatum est: ergo &c.

Tertia pars, nempe quid secundum quid sit imperfectior, probatum, quia permittit Scientia Christi discursum, & conversionem ad phantasmata, quod aliqua est imperfectio, quam tamen excludit Scientia Angelica. Tum, quia per unicum speciem plura, saltim extensivè, cognoscet objecta Scientia Angeli, quam Christi: ergo quidquid sit de majori, vel minori perspicacia, in hac majori extensione per unicum speciem, superabit Angelici-

ca scientiam Christi infusam: ergo excedet hanc secundum quid. ¶ Si autem quæras in quo consistat major intensio scientiae Christi supra Angelicam? Resp. in eo stare, quid idem objectum majori claritate, & penetratione calleat, in eoque sic perspecto plures latentes veritates, & rationes referet, pluresque inferat conclusiones quam Angelica, ut explicat N. Paulus hic n. 38. & 44. Sed

18 Obs. D. Thom. 1. p. q. 55. art. 3. ibi: quando Angelus fuerit superior, tantum per pauciores species universalitatem intelligibilium apprehendere poterit, & ideo opportet, quod ejus formæ sint universaliores. Item 2. contra Gent. c. 48. Universalitatem speciei (& consequenter ejus perfectionem) confert cum virtute activa causæ universalis; sed eo perfectior simpliciter est virtus activa, quo universalior est: ergo pariter eo perfectior erit species quo universalior. Nunc sic; sed quo perfectior simpliciter est species, eo perfectior est cognitio, & quod cognitio est perfectior, eò perfectior est scientia: ergo de primò ad ultimum perfectior est simpliciter Scientia Angeli, quæ universalioribus utitur speciebus, quam Scientia Christi.

19 Ad utrumque D. Thom. testimonium resp. concedendo verum esse, quando cætera sunt paria, negando vero cæteris non paribus. Hoc est, quid facta comparatione inter species æqualis claritatis, certitudinis, & penetrationis circa idem objectum, illa erit perfectior, quæ universalior; si vero, licet una sit uni-

universalior, altera illam in prædictis comitibus excedat, hæc erit absolute perfectior. Idem dicimus de causis, quæ cæteris paribus, perfectiores sunt universaliores; secùs verò econtrà, ut patet in virtute Solis, quæ universalior est virtute formicæ, & tamen hujus virtus est perfectior: quia est virtus viventis, qualis non est Solis. Patet etiam in specie supernaturali Angeli, quæ forte minus universalis est, quām aliqua species naturalis illius, & tamen illa excedit hanc in perfectione: quia licet utraque verè sit species, sunt tamen diversi ordinis; comparatio autem, ut teneret, deberet fieri intra eundem.

APPENDIX.

CIRCA SCIENTIAM CHRISTI NATURALIEM per se infusam, & circa scientiam per se acquisibilem.

20 *DUBITABIS I.* Quodnam sit objectum extensivum scientiæ Christi naturalis per se infusæ? (pro hujus, & aliorum, quæ dicentur in hac Appendice intelligentia, vide dicta disp. 1. n. 9.) Resp. esse omnes substantias materiales, quippe quæ sub sensibili non cadunt aprehensione, nec de illis possumus species eas quidditativè repræsentantes efformare, & naturaliter solum per earum effectus, & accidentia sensibilia cognoscimus: & insuper animas separatas. Ratio est: quia anima nostra est in potentia ad illa cognoscenda saltim in statu separationis: ergo congruum, & decentissimum est, ut

anima Christi hac non laboret carrentia, & potentialitate, sed illius possideat actum, & perfectionem, quæ ejus dignitati correspondet.

21 *DUBITABIS II.* Num & Angelos cognoscat Christus per hanc scientiam? Indubium est aliquomodo illos cognoscere, cum hoc & animæ nostræ separatae concedat D. Thom. 1. p. q. 89. art. 2. & 3. p. q. 12. art. 1. ad 2. An quiditativè? Probabilis negamus cum N. Salm. tract. 2. disp. 2. n. 182. ubi animæ separatae negant quidditativam cognitionem Angelorum: quia non habet cum illis convenientiam in gradu immaterialitatis. Audi D. Thom. in 1. p. cit. ubi loquens de anima separata, sic ait: *Et idè de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet; de Angelis autem imperfectam, & deficientem, loquendo de cognitione naturali anima separate.* Nunc sic; sed cognitio naturalis ejusdem est speciei in anima Christi, quām in nostris: ergo idem dicendum est de omnibus. Solum potest esse differentia in majori perfectione cognoscendi quoad *an est* in Christo, quām in nobis, hoc quod est vide re in ipsa anima nostra, quæ intra lineam cognitionis quoad *an est*, perfectius operatur separata, si species sibi dentur, quām unita. ¶ Ex quo deducitur, scientiam Angelorum naturalem excedere similem scientiam Christi: cognoscit enim Angelos, etiam superiores quidditativè, & comprehensivè, quod Christo ex vi hujus scientiæ denegamus.

22 *DUBITABIS III.* Utrum scientia per se acquisibilis fuerit in Chris-

eo per accidens infusa? Affirmant D. Bonav. Scot. Durand. Suarez, Lugo, & alii. Negant communiter Thomistæ cum D. Thom. qui expreſſè docet contrarium 3. p. q. 9. art. 4. Ratio est: quia id est conceſſendum Christo, quod sibi perfectius est, & connaturalius, si fini redēptionis non obſiſtat; ſed perfectius est, & connaturalius, nec obſiſtens fini redēptionis, quod hæc ſcientia propriis acquiratur actibus. Minor hæc prob. quia in primis connaturalius est cuilibet naturæ quod à ſe, & intrinſecè, quām quod aliundè, & extrinſecè ei advenit; ſcientia autem hæc ab intrinſeco acquiritur. Deinde perfectius est habere à ſe aliquam perfectionem, quām ab alio, ſicut perfectius eſſe activum, quām paſſivum in aliqua linea: ſcientiam autem acquiri actionem petit, infundi verò paſſionem. Deniqvè nullimodè opponitur fini redēptionis (vel oſtendatur undè) hanc ſcientiam per proprios actus acquiri: & econtrariō ſequeretur otioſum, & in eafum eſſe in Christo intellectum agentem, cùm, ſi hæc inſunderetur ſcientia cum ſpeciebus ipſi deſervientibus, ceſſaret elaboratio talis intellectus, finisque illius. Sequeretur etiam Christum Dominum non ſe conformatſe cum ſuis homogeneis membris, ſcilicet hominibus, in operationibus humanis, & connaturalibus, quæ ſunt omnibus communes: ergo ne hæc inferantur abſurda, affirmandum eſt per proprios actus acquisiſiſe Christum ſcientiam hanc.

23 Dices primò: ergo Christus

aliquandiū ignorans fuit, interdiū ſcilicet acquisiſiſe species, & mediis illis ſcientiam hanc. Resp. negando conſeq. quia erant illi aliae tres ſcientiæ hucusquè relatae, per quas omnia ſciebat, & nihil ignorabat, & ad ſummuſum fuit ignorans negatiue, quantuſum fuit ex parte hujus ſcientiæ, quod non dedecet Christum, quando per notitiam aliarum trium compenſabatur hic defectus, ſi talis dici licet. ¶ Dices 2. Intellectum agentem non fuſſe otioſum: quia praeter officium abſtrahendi, & elaborandi species, habet etiam illuminandi intellectum poſſibilem: & hæc doctrina videtur D. Thom. in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 5. ubi afferit, hanc ſcientiam fuſſe Christo inditam, quin ſequatur, otioſum fuſſe intellectum agentem: ergo non tenet ratio exhibita. Resp. D. Thom. expreſſè hanc ſententiam retractaſſe loco num. anteced. ex 3. p. citato, dicens: Et quamvis aliter alibi ſcriperim, dicendum eſt in Christo fuſſe ſcientiam acquisitam, que proprie eſt ſcientia ſecundum modum humanum. Per quod ſatisfit D. Thom. ſi in aliis laudetur locis contra noſtram aſſerſionem, quæ videri poſſunt in N. Paulo. Imò licet concedamus hoc illuminandi munus, cùm præcipuum fit abſtrahere, ſemper eſſet otioſus talis intellectus quantum ad ſuum potiſſimum officium, quod eſt incideſe idem inconveniens.

24 DUBITABIS IV. An Christus comparaverit hanc ſcientiam ſubito ab instanti ſuæ conceptionis: an ve ſuccesſiue, & traxtū temporis tranſcurſo? Resp. quod hoc ſecundo mo-

do,

158 Tract. IX. de Scientia Christi, Disp. IV. Dub. II.

do. Sic D. Thom. 3. p. q. 11. art. 2. ad 1. ibi: *Scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul operatur, sed successivè. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non à principio sci-
vit omnia, sed paulatim, & post aliquot tempus, sicut in perfecta etate. Ratio etiam id suadet: quia hæc scientia dependet ab intellectu agente, & hic à phantasia, hæc autem à ministerio sensuum, qui non ab initio, & subito possunt ministrare species, sed per exercitium ipsorum, & decursu temporis: ergo tenet resolutio.*

25 DUBITABIS V. An Christus per hanc scientiam cognoverit omnia? Respondet D. Thom. 3. p. q. 12. art. 1. in corp. quod per scientiam acquisitam scit omnia illa, quæ possunt siri per actionem intellectus agentis. Et ad 3. ait: *Vnde per hanc scientiam non cognovit essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, presentia, & futura, quæ tamen cognovit per scientiam inditam.* Quomodo verò omnia cognovit quæ per intellectum agentem sunt attingibilia, si omnia hæc singularia nescivit? Resp. ex ipso ad 1. Non omnia hæc cognovisse in singulari: cognovit autem plura, & ex his cog-

novit per acutissimum eius acumen alia innumera cum ipsis connexa: & ex his alia usque ad omnia ex primis facile sibi inferibilia. Hæc sunt ejus verba: *Dicendum, quod scientia rerum acquiriri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarumdam diarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quæ expertus est, in omnium devenit notitiam.*

26 Questionem, utrum tamen hæc quam præcedentes scientiæ infusæ Christo, sit simplex qualitas? meditato ommittimus; tum, quia ex simili quæstione, quam noster excitat Gavinus in Log. maj. disp. 1. q. 5. sufficiens lumen habere potest resolutio: Tum, ne ingenia juvenum obnubilemus, si testimonia D. Thom. hinc, & hinc sibi quævidetur adversari, in medium adducamus, & confusionis plus, quam instructionis ad calcem comparemus. Vide N. Paul. à n. 46. & D. Th. 3. p. q. 11. art. 6.



TRAC-

TRACTATUS X.

DE ALIIS COASSUMPTIS A VERBO;

Diximus de his, quæ in Christo perfectionem præferunt primariam, ut sunt gratia, & scientia ejus: nunc de aliis, quæ ipsis vel co-
mitantur, ut sunt impeccabilitas, libertas, adoptio, filiatio, & servitus,
vel ab ipsis procedunt ut merita, vel ipsis præcedunt, ut prædestinatio,
super est agendum. Quarè sit

DISPUTATIO PRIMA.

DE IMPЕCCABILITATE CHRISTI.

DUplex impeccabilitatis caput potest in Christo considerari, nempe unic
hypostatica, & visio beata: de hoc nihil in praesenti nobis est agen-
dum: quia propriam habet sedem apud D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 4. sed
de primo, de quo ipse in hac 3. p. q. 15. art. 1. & 2.

DUBIUM I.

AN CHRISTUS SECUNDUM SE CON-
sideratus potuerit peccare?

I EDITATО INQUIRITUR DE
Christo secundum se, hoc
est, ratione unionis hypostaticæ, &
præcissivè à visione beatifica. In-
quiritur etiam, an potuerit: cùm,
quòd defactò non peccaverit, de-
fide certum sit ex 1. Petri 2. *Qui pec-
catum non fecit.* Et ex 7. ad Hæbræ.
Talis decebat ut nobis esset Pontifex Sanc-
tus, innocens, impollutus, segregatus à
peccatoribus. Et quidem si peccasset,
pœna, quam sustinuit, fuisset debi-
ta: ergo non satisfecisset pro aliis.

2 CONTRA: EX sacra pagina vi-
detur Christus desperasse, ut dum
dixit: Matth. 27. & Marc. 15.
*Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti
me?* Et deliquisse innuit David Ps.
21. dum in Persona Christi ait: *Lon-
gè à salute mea verba delictorum meorum.*
Et Apost. 2. ad Cor. 5. ait: *Qui
peccatum non noverat, pro nobis pecca-
tum fecit.* Et Luc. 3. dicitur: *Cùm
baptizaretur omnis populus, & Iesu bap-
tizato:* Ecce commune omnibus, in-
clusivè Christo, lavacrum: ergo &
commune fuit peccatum. Ad primum
resp. verba Christi non desparationem
dicere, sed desolationem, in qua Pa-
ter pro tunc illum dereliquit, re-
trahendo à parte inferiori solatium,
quod aliás in illam naturaliter des-
cen-

cenderet. Ad illud Psalm. & Apostoli dic, delicta nostra sibi Christum sumprosse, ut Auctor eorum videretur esse hominibus, à quibus quæ non rapuit, tunc exolveret ob similitudinem, quam exhibuit carnis peccati, non verò quia hoc, nec dolus unquam inventus est in eo. Et ob hanc rationem suscepit baptismum, quasi unus ex membris suis: nam sèpè capiti ea, quæ sunt propria membrorum, appropriantur, juxta illud Act. Apost. 9. *Saul, Saul, quid me persequeris?* Ubi de persecutione suorum, quasi suimet esset, querebatur.

3. Nunc ad propositum difficultatis devenientes, hæc potest in duplice excitari sensu, scilicet, num Christus potuerit peccare in sensu composito unionis hypostaticæ, hoc est, conservando illam; vel an potuerit saltim in sensu diviso, hoc est, illam amittendo per peccatum? Duplex est sententia: Prima, quam tenet Scotus, & Scotistæ cum aliis, affirmat. Secunda, & communis negat, tam in sensu composito, quam diviso unionis hypostaticæ. Cum quibus, & N. Salm. sit

NOSTRA, ET PRIMA CONCLUSIO

4. **C**ristus Dominus peccare non potuit, nec conservando unionem hypostaticam, nec illam expellendo per peccatum. Prob. 1. ex D. Aug. lib. 3. contra Maximum Arianum cap. 75. ubi loquens de natura humana Christi, ait, esse talem, quæ nullo peccato potuit depravari. Prob. 2. ex D. Greg. Mag.

lib. 3. Moral. c. 13. ubi de Christo ait, ut non solum peccare non potuerit, sed nec interius tentari, aut turbari. 3. ex Rupert. lib. de voluntate Dei c. 11. ibi. *Humanitas Christi non per creationem, sed per assumptionem facta est creatura talis, quæ peccare non solum nolle, verum etiam non posset.* 4. ex D. Ansel. lib. de conceptu Virginis cap. 8. ibi: *Perspicuum est, quod in eo, quod Filius Dei in Personam assumpsit de Virgine, nulla potuit esse peccati macula.* 5. ex D. Thom. in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. in corp. ubi de Christo ait: *Vnde non poterat peccatum attingere ad ejus animam, sicut nec Deus potest peccare.* Et in resp. ad 1. ait: *Sicut Deus non potuit descendere ad hoc quod peccaret, & ideo Christus nunquam peccavit: ita non potuit descendere ad hoc quod peccare posset, & ideo etiam Christus nunquam peccare potuit.* Quid expressius?

5. Prob. 6. Hac unica, sed efficaci, & invincibili ratione: Si Christus peccare posset, peccatum ejus in personam refunderetur Divinam; sed hoc dicere est blasphemia: ergo nefandum id, ex quo sequitur. Prob. maj. *Actiones*, inquit trita, & tuta Philosophorum, & Theologorum paræmia, sunt suppositorum; sed suppositum in Christo non est solum natura, sed & Persona, & Persona divina: ergo si &c. Major est Arist. 1. Metaph. cap. 1. & D. Thom. in 1. dist. 5. q. 1. art. 1. & alibi sèpè. Et Concil. Florent. sess. 18. quod talem paræmiam à Joanne illo Theologo prolatam planè admissit: Et hoc, ut hanc propositionem de fide tenendam statueret:

ret: Pater generat; hanc autem, ut contraria fidei, detestaretur: Essentia generat: ergo vera est major.

6 Respondent adversarii, à supposito esse quidem actionem non elicitivè, sed denominativè tantum. Sed contra: quia jam indè sequeretur, quòd, & si solùm denominativè esset actio à supposito, eadem proprietate, ac suppositum humanum est peccans, dignumque, quòd pœnam luat æternam, etiam divinum peccaret, & reus pœnae æternæ constitueretur, quod absit. Sequeretur etiam, quòd sola essentia divina esset Pater generans: quia illud est generans, quod elicit actionem generativam; hoc est damnatum in Concilio laudato Florentino: ergo non est admissendum.

¶ Sed obs. contra hoc: Humanitas habet potentiam remotam ad peccandum; & tamen Verbum non denominatur remotè peccans: ergo licet Humanitas admittatur proximè peccabilis, non ideo Verbum erit proximè potens peccare. Resp. dist. ant. habet potentiam remotam ad peccandum cum propria subsistentia, conc; cum divina, nego ant. & conseq. Solutio patet ex terminis. Ea propter Marsilius respondet, quòd denominatio peccantis convenit supposito creato: quia capax est, non verò divino propter ejus incapacitatem. Vapidus recursus! Ex eo se queretur, quòd nec denominaretur suppositum divinum passum, mortuum &c. quia mori nequit, nec pati, cuius solùm capax est suppositum creatum: & similiter nec Verbum divinum esse Filium Virginis

Mariæ, quod est hereticum.

SECUNDA CONCLUSIO.

7 **D**ata hypothesi quòd humanitas Christi sola existentia divina terminaretur, exclusa divina personalitate, (imò & humana, si fieri potest) adhuc esset impeccabilis. Sic frequenter nostrates, & præcipue Godoy disp. 41. n. 495. Ratio: nam illud principium est absolutè impotens peccare, quod habet aliquid incompositibile cum peccato: Taliter se haberet humanitas existens per divinam existentiam. Hæc minor probatur: existentia est conditio sine qua non, ut agens operetur sive probè, sive pravè: ergo, si humanitas existeret per existentiam divinam, haberet secum hanc incompositibilem cum peccato: ergo non posset peccare.

¶ Dices forsè: dist. non posset peccare in sensu composito existentiæ, conc; in sensu diviso, hoc est, separando illam à se, nego conseq. Sed contra: quia impossibilis est actio peccaminosa, quin in eodem instanti existat peccans: ergo jam verificaretur, quòd ante divisionem ab existentia divina, hæc coniungeretur cum peccato, quod nec mentari licet. Præterquamquòd, licet existentia solùm esset conditio sine qua non in esse physico, in esse tamen morali esset ratio formalis, seu forma moralis condignificans infinitè operationes; sed repugnat Deum concurrere moraliter ad peccandum, nec condignificare peccatum: ergo & humanitatem sic terminatam pec-

care. ¶ Totum hujus conclusionis robur super hoc nititur fundamento, quod tunc humanitas esset intimè unita indisolubiliter primæ regulæ bonitatis: Et sicut visio beata ex hac ratione reddit subjectum omnino impeccabile, sic existentia divina humanitati intimè unita.

ARGUMENTA OPPOSITA.

8 Obs. 1. Sola natura est

O principium adæquatum operandi: ergo ruit ratio probativa. Ant prob. sola natura potest operari absente omni subsistentia, ut patet in accidentibus Eucharisticis, quæ, quin subsistant per aliquid subjectum, operantur: ergo tenet ant. Dist. ant. sola natura est principium *quo*, conc: principium *quod*, subdist. principium *quod* positivè, nego, negativè, conc. ant. & nego conseq. Nostra resolutio loquitur de peccante ut *quod* positivè, quo pactò Christus peccaret, si peccare posset, & consequenter tribueretur ipse ut principium *quod* peccatum. Si autem natura divinitùs expoliaretur omni subsistentia, solùm operaretur ut *quod* negativè, in quantum non esset operans ut *quo*: quia deesset operans ut *quod* positivè media illa: & sic operantur accidentia divinitùs existentia sine inherentia. Vel dici potest cum Godoy, quod tunc natura non operaretur connaturaliter, quod non tollit, quod, quandò connaturaliter operatur, sit ipsa id *quo* suppositum etiam operatur ut *quod*. Sed replicabim, &

9 Obs. 2. Humanitas solitariè sumpta est subjectum *quod* recepti-

vum accidentium, ergo & ipsa sola est principium operans ut *quod*, & positivè. Nega conseq. & paritatem: quia recipere dicit imperfectionem: infert enim mutationem; at operari ex terminis illam non dicit: quia sine ulla operatur Deus. Exemplum est in intellectione, quæ, quia est existentia intelligibilis intellectus, & speciei, in utroque recipitur communiter; sed, quia in visione beata species est essentia divina incapax talis receptionis, solus intellectus est subjectum illius receptivum. Sic ergo in nostro casu in quo solùm humanitas est subjectum recipiendi, & se immutandi.

10 Obs. 3. Si actiones sunt suppositorum, sequitur quod isto varia-
to, & illæ erunt distinctæ; sed hoc
est falsum: ergo & fundamentum
conclusionis. Major patet in visione
beata, in qua, quia intellectus ope-
ratur medio lumine, quamvis istud
sit idem, si intellectus est specie di-
versus, diversa sic etiam erit visio:
ergo, si suppositum operaretur media
natura, &c. Minor prob. nam est
variaretur suppositum, idem rema-
neret intellectus, sicut & eadem hu-
manitas; sed ab eodem intellectu
nequeunt egredi diversæ opera-
tiones: ergo vera est minor. Respr.
dist. maj. & illæ erunt distinctæ
specie, vel numero, conc; specie
præcissè, nego maj. & distincta si-
militer min. nego conseq. Ad pro-
bationem min. concessa maj. dist.
min. nequeunt egredi ab eodem in-
tellectu diversæ specificè opera-
tiones, conc; diversæ numericè, nego
min. & conseq.

Explicatur: diversitas specifica operationum oritur à natura, quæ dat speciem composito: ideo illa variata specificè, & cum illa potentia intellectiva, distinguuntur operationes specificè; diversitas vero numerica oritur à pluribus rationibus, una quarum est subsistentia, de qua inquit N. Complut, abrev. in de Generat. disp. 15. n. 16. quod dimanat à natura ut individuata, non secundum gradus genericos, & communes: ideo variata subsistentia, operationes essent numero distinctæ, quod probat naturam ut subsistentem, sive suppositum semper operari. Dicimus, quod variata natura cum sua potentia, variatur operatio specificè, quod intelligendum est de operatione adæquatè sumpta, hoc est, sumpta pro tota collectione operationum, non de operatione inadæquatè sumpta: & ideo visio beata hominis, quæ tantum est una pars operationum illius, non distinguitur à visione Angeli specificè, sed graduatiter, ut inquit D. Thom. & nos cum illo tr. 2. disp. 3. dub. 4. n. 28. Semper tamen ut minus numero debet distingui: Unde neganda est probatio desumpta ex visione beatifica.

11 Obs. 4. Intellectus (& similiter voluntas) quæ sunt potentiae peccatrices, non recipiuntur in supposito creato, nec in divino: ergo suppositum non cooperatur cum illis ad peccatum. Ant. quoad suppositum creatum prob. quia, si Verbum desereret humanitatem, & hæc terminaretur per suam subsistentiam, ejus intellectus non recipetur in sup-

posito creato, alias esset numero distinctus (ut enim dictum manet, subsistentia distincta variat numericè operationes, & consequenter potentiam) sed absurdum videtur, quod intellectus esset alius: ergo signum est non recipi in supposito creato: alias nec in divino, ut supponitur: ergo in nullo: ergo solum in natura.

Resp. quod intellectus creatus non recipitur in supposito divino: quia incapax est recipiendi, nec adjungi sibi quidquid immutare possit ipsum; reciperetur vero in supposito creato, si humanitas deseretur à divino, & tamen non esset distinctus numero: quia identitas numerica semper absumeretur per respectum ad subsistentiam connaturalem exercitè habitam, quando per illam terminaretur, sive solum figuræ, & aptitudinaliter, quando per alienam, vel divinam, haud secùs quam accidentia Eucharistica eadem numero sunt, sive actu, sive aptitudine respiciant subjectum, cui inhærent. Sed contra, &

12 Obs. 5. Numero 10. dicimus, quod variatio solius subsistentiæ exercitè habitæ sufficit, ut varientur, & distinguantur numero operationes: ergo etiam sufficiet, ut varietur intellectus. Resp. negando conseq. & paritatem: quia intellectus dimanat à natura cum respectu essentiali, & connaturali ad subsistentiam naturalem, sive actu, sive aptitudine habitam, & ideo ab hac sumet suam unitatem numericam: hac autem jam habita, intellectus est unicus, & unicus nequit esse jam hic, jam ille.

Operationes verò sunt plures, respi-
ciuntque naturam sic, vel sic ter-
minatam, ita ut, si ab hac orian-
tur terminata per subsistentiam pro-
priam, erunt tales, qualis ipsa; si
verò per divinam, tales etiam, qua-
lis hæc, sed numero inter se dis-
tinctæ. Vel responde, & fortè me-
lius, quòd plus requiritur ad refun-
dendam distinctionem numericam in
radicem, quām in ramos: & ideo
videmus, quòd in humanitate ter-
minata per propriam subsistentiam
intellectus, qui est quasi radix ope-
rationum, semper est idem, &
tamen operationes, quæ sunt qua-
si rami, semper sunt distinctæ
numero. Si ergo in hoc casu stan-
te identitate naturæ, & subsis-
tentia, operationes semper sunt
distinctæ numero, quantò magis si
addatur in tali natura variatio sub-
sistentia propriæ in divinam, vel
econtra?

13 Obs. 6. Ex peccato, quod
Christus committeret, si posset, solùm
sequeretur, quòd Verbum esset pec-
cans per communicationem idiomati-
cum; sed hoc Verbum non dede-
ctet. Hęc minor prob. quia aequè
opponitur summæ vitæ mori, ac sum-
mæ sanctitati peccare: & tamen per
communicationem idiomatum con-
venit Verbo denominatio morientis:
ergo in eodem sensu poterit ei tri-
bui denominatio peccantis.

Resp. omessa sequela majoris, ne-
gando min. & paritatem desumptam
ex prædicatis, vel denominatio-
nibus passi, Crucifixi, vel morien-
tis: quia hæc non sunt malæ mora-
liter, & ideo illas Deus causat in

nobis; denominatio verò peccantis
est malum morale, quod nec sibi
convenire, nec in aliis causare potest:
& ideo oppositio sanctitatis cum ma-
lo moraliter est duplex, scilicet sub-
jectiva, & objectiva: quia per
illam nec in se admittit, nec in aliis
causat malitiam; oppositio verò vitæ
divinæ solùm dicit oppositionem
unicam, scilicet subjectivam, hoc
est cum morte sui, non verò alio-
rum: Ehinc oritur, quòd deno-
minationem morientis, & alias id
genus potest Verbum subire; quia
sustentat aliquid à se distinctum quod
mori potest, sine morte ipsius Ver-
bi; mali vel peccantis verò nul-
lo modo; quia id, quod sustentat,
non potest peccare sine peccato
verbi.

14 Obs. 7. Christus in natura
assumpta habuit potentiam peccan-
di: ergo peccare potuit. Ant. prob.
tum, quia potentia peccandi nihil
est aliud, quām voluntas facta ex
nihilo; talis fuit voluntas Christi
humana: ergo. Tum, quia Verbum
assumpsit naturam cum omnibus suis
proprietatibus, una quarum est po-
tentia ad peccandum: undē dixit
Damascen. 13. de Fide c. 6. quòd
Verbum divinum omnia illa assump-
vit, quæ in natura plantavit huma-
na; sed in ea plantavit potentiam
peccandi: ergo idem.

Resp. negando ant. cuius proba-
tionis majorem distinguo: potentia
peccandi est voluntas facta ex nihi-
lo, connotans propriam subsisten-
tiæ, conc; connotans divinam, ne-
go maj. & distincta sic min. nego
conseq. Humanitas secundum se, &

præcissivè ab omni subsistentia, nec est defectibilis, nec indefectibilis, vel melius dicamus, utrumque est secundum contractionem ad subsistentiam increatam, vel creatam. Nec secunda obest probatio: nam potentia peccandi non est proprietas naturæ: omnis enim proprietas est de prima intentione naturæ; inclinatio verò ad malum de nullius est inclinatione, saltim secundum se, nisi ad summum ut infectæ: Humanitatem autem infectam non assumpsit Verbum. Et quidem, si potentia ad peccandum esset naturæ proprietas, Deus causans naturam, causaret potentiam peccandi: quia *quod est causa cause*, &c. quod tamen nequit dici, & consequenter nec quod Deus plantaverit in humanitate potentiam peccandi, per quod patet ad Damascen. Sed contra, &

15 Obs. 8. Ergo à Christo, vel in Christo sublata est à natura humana potentia, quam peccandi aliàs habebat: ergo sublata est etiam ab eo libertas ad peccandum, vel non; sed hoc non: habuit enim liberum arbitrium, & indiferentiam judicii, sicut nos: ergo ruit solutio data. Resp. quod verè à Christo sublata est indiferentia judicii quantum ad malum, vel bonum, & tamen non est sublatum liberum arbitrium: nam ad hoc salvandum non opus est libertas contrarietatis, hoc est ad malum, vel bonum, sed contradictionis, hoc est ad bonum, vel omissionem, ut patet in Deo, qui liberrimus est in operando ad extrâ, non tamen malum, vel bonum, sed bonum, vel omissionem.

Toma II.

nem boni: sicut enim creavit Angelos, quod bonum est, potuit illos non creare, quod malum non esset, sed omissione boni, quod creavit. Idem factum fuit in primo instanti creationis Angeli, qui habuit libertatem ad bonam operationem, vel illius omissionem (si deesset præceptum) non verò ad bonam, vel ad malam. Et tam longè est à perfectione liberi arbitrii posse malum, & bonum operari, ut plus per hanc deprimatur libertatem, quam perficiatur.

16 Ex quibus tandem infer primò, quod per subsistentiam divinam sublata est à Christo potentia proxima peccandi: cùm enim hæc debeat presupponere potentiam radicalem, quæ resultat ex principio quo, & quod, & principium quod deficiat, hinc est, quod & principium quo, seu proximum opus etiam est, ut desit. ¶ Infer 2. quod Christus nec venialiter potuit peccare, aliàs Verbum divinum influeret in veniale peccatum, quod absit. Tum, quia per unionem hypostaticam factus est Christus dignus, ut gloria statim ipsi conferretur; gloria verò, si adsit veniale peccatum, statim non confertur, sed quin potius differtur: ergo. ¶ Infer 3. per unionem cum Verbo factum esse Christum incapacem, qui originale contraheret peccatum, estò per communem semifinalē produceretur generationem: quia ad peccatum hoc requiritur esse voluntarium, non solum moraliter, subiecto in quo est, sed & physicè, & formaliter in capite, in quo membra

bra continentur; hoc autem repugnat Christo, quia non potuit contine-ri in Adam velut in capite, cùm potius Christus caput sit omnium hominum, & Angelorum. Præter-quamquid nec fuit aliquod vitia-tum semen, per quod Christus de-facto esset generatus, nec, si pro-duceretur, sicut cæteri homines, suppositum, ad quod terminaretur, esset capax contrahendi tale vitium: ergo tenet resolutio.

DUBIUM II.

AN IN CHRISTO POTUERIT ESSE FO-mes peccati?

17 **A**N potuerit, inquit, & inquirit titulus: nam defacto non fuisse supponimus, cùm nec in Adam antè Iapsum, nec umquam in Beata V. Maria illud ad-mittamus. Sed contra: In Christo fuit motus inordinatus: ergo & fomes peccati (hic enim consistit in inclinatione ad malum contrarium rationi, objiciensque difficultatem ad bonum) Ant. prob. ex illis ver-bis Matth. 26. & Marc. 14. *Tristis est anima mea usque ad mortem;* hæc autem tristitia inordinata esse vide-tur, cùm moriendi opponeretur præcepto: ergo tenet ant.

Resp. D. Thom. 3. p. q. 15. art. 6. ad 4. quod nihil prohibet ali-quiid esse contrarium voluntati secundum se, quod tamen est volitum ratione finis, ad quem ordinatur: sicut medicina amara non est secundum se volita, sed solum secun-dum quod ordinatur ad sanitatem. Un-de non fuit inordinatus motus in-

tristitia Christi: quia non erat prop-ter mortem, ut ordinatam ad finem redēptionis, sub qua ratione fuit præcepta, sed propter mortem se-cundum se amaram, sub qua ratio-ne non præcipiebatur: nec prout si erat amabilis, sed quin potius naturaliter formidabilis. *Naturaliter in-quam:* ergo non inordinate: quia nihil naturale physicum est inor-dinatum.

COMMUNIS RESOLUTIO

18 **E**ST negativa, & commu-nis contra Vazq. Lugo, & alios. Prob. 1. ratione: Repugnat Christo potentia peccandi: ergo & fomes peccati. Ant. constat ex an-tec. dub. & conseq. prob. Ideò repugnat potentia: quia affert incli-nationem qualecumque ad malum; sed majorem affert fomes. Hæc mi-nor probatur: nam potentia ex se solum dicit inclinationem quasi ne-gativam, & coincidentem cum non repugnantia; fomes vero supponit hanc potentiam, & illam provocat, & quasi impellit, ut malum insur-gat exequendum: ergo majorem, &c.

¶ Prob. 2. quia ubi repugnat actus, repugnat inclinatio ad illum; atqui Christo repugnat actus pecca-minosus, ut supponimus: ergo & fomes, qui est ad illum inclinatio.

¶ Prob. 3. repugnat Deum esse cau-sam motus pravi; sed hoc veri-caretur, admisso somite, cuius est illos causare: namque causa causæ est causa causati: ergo nequit dari in Christo. Major est certissima, minor constat ex dub. antecedenti, ubi di-ximus,

ximus, quod actiones, & consequenter motus sunt suppositorum: & consequentia est legitima.

SENTENTIA OPPOSITA.

19 Obs. 1. Fomes peccati secundum se nec est peccatum, nec effectus peccati: ergo potuit esse in Christo. Ant. quoad primam partem est definitum per Tridentinum sess. 5. Can. 5. ibi: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apost. peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquid intellectisse peccatum appellari, quod vere, & propriè in rebus peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Quoad secundam partem prob. quia homo in puris naturalibus conditus haberet fomitem peccati saltim in actu primo, cum appetitus sensitivus verè in motus inclinaret inordinatos nullo praecedente peccato: ergo non est effectus peccati.

Resp. ad argum. non nos loqui, nec intelligere in presentiarum profomite peccati quemlibet appetitum sensitivum secundum sua essentialia in actu primo, & utcumque capacem in motus inordinatos prorrumpendi; sic enim fatemur non esse peccatum, nec istius effectum: sed illum cui addit fomes, de quo nobis sermo est, quamdam expeditiōnem, propensionem, & impulsūm validum, ut vix possit illum, vel cum ingenti difficultate ratio superare. Hunc ergo negamus Christo posse convenire: quia verè est effectus peccati; non verò appetitum illum sensitivum, secundum essen-

tialia, & imminem à peccato, qui, nisi obstaret connotatio actualis unionis hypostaticæ, posset utcumque in motus prorrumpere deordinatos, licet non expeditus, sed quinimò per rationem impeditus, atque refrenatus.

20 Obs. 2. Christus Dominus potuit assumere naturam leoninam, quo in casu influeret in actus, vel motus inordinatos vindictæ, libidinis, & immanitatis, in quos alias influit fomes peccati: ergo hic potuit esse in Christo. Resp. concessa maj. quoad primam partem, negando quoad secundam: illi enim motus non essent moraliter deordinati, ac per consequens in illos non fomes influeret peccati, sed fera Leonis natura, & sine libertate immanis.

¶ Contra: ergo Verbum poterit etiam influere in motus sensitivos deordinatos appetitus humani sine malitia habitos, v. g. in mendacium ex errore malitiae prolatum ob defensionem innocentis, ne mortem subeat: sunt enim malitia expertes sicut leonini; sed horum motuum in natura humana alia nequit assignari causa præter fomitem peccati: ergo hic dabilis est in Christo. Resp. negando conseq. & paritatem: quia in Leone prædicti motus nec fundamentaliter, nec formaliter sunt mali, in homine vero predictum mendacium est fundamentaliter, & initiativè malum: & ideo Verbum nullo modo potest in hoc influere.

21 Sed contra: Deus influit ut causa specialis in omne id, quod meritorium est; sed tale mendacium

esset meritorium: ergo in illud influeret Deus: ergo etiam posset Verbum. Nega paritatem: Deus enim ut causa prima influit in omne quod fit, sed non sub omni qua sit ratione, sed efficiendo quod ipsum decet bonum, & relinquendo id, quod dedecet malum, ut diximus in de Voluntate Dei disp. 3. dub. 5. Ast Verbum, cum constituat Christum subsistentem, debet in omne id in quod humanitas, & ipsum influere, nihil relinquendo. Ex quo infertur, quod Deus influere possit in mendacium secundum quod dicit de materiali, & meritorio, relinquendo id, quod malum est adhuc fundamentale; econtra Verbum: quia humanitas anttingeret omnem formalitatem effectus, & nihil ipsa attingit ut quo, quod Verbum non attingat ut quod.

DUBIUM III.

*AN IN CHRISTO POTUERIT ESSE
Transgressio consiliorum?*

22 **T**ransgressio consilii licet non sit peccatum, importat tamen aliquam imperfectionem moralem, non quidem contra debitum legale, ortum ex justitia, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. Sed morale ex liberalitate, amicitia, vel gratitudine ortum. Quæ imperfæctio in transgressione consiliorum divinorum eò plus crescit, quanto majora beneficia à Deo nobis sunt collata. Et quidem, si ipse Deus ultra condignum nos remunerat, & nos ultra id, quod urget per præceptum, gratiōsē id

agamus, interēst, & quasi instat, quod à nobis Deus postulat per merum consilium.

¶ Supponimus Christo potuisse imponi consilia salutaria de bono, vel meliori bono: imò defactò data fuisse, piè credimus: si enim præcepta sunt sibi imposita, & quidem magis urgentia, quam consilia, non obstante ejus inviolabili in operando rectitudine, & quid mirum, si & consilia sibi data fuerint, ex cujus executione exprimeretur, nedum coactum per præcepta operatum fuisse ut obedientem, sed & insinuatum per consilia respondisse ut amantem? ¶ Supponimus etiam ea omnia sibi intimata consilia Christum ad unguem adimplesse ex illo Joan. 8. quæ plaita sunt ei, facio semper; at qui consilii adimpletio placet Deo Patri: ergo hæc abs dubio fuit in Deo Filio. Difficultas est depossibili transgressione, &

NOSTRA RESOLUTIO

23 **N**egativa, quam tenent illust. Godoy, N. Lumbier, & alii plures. Prob. ratione duobus præcedentibus dubiis ponderata: Si Christus influeret activè in transgressionem consiliorum, sequeatur quod & suppositum divinum in illam influeret, ac per consequens, quod operaretur imperfæctum; sed hoc maximè ejus summam dedecet perfectionem: ergo & primum repugnat. Sequela majoris constat ex dictis primo dubio. Minor prob. Ideò repugnat influxus Dei in malum: quia Deus est ipsa sum-

summa bonitas; sed etiam est ipsa summa perfectio: ergo repugnat, quod operetur imperfectum. ¶ Confirmatur 1. Repugnat Verbum influere contra id, quod afferit debitum, ut fiat; sed opera consilifraga opponuntur debito morali, ut dictum est cum D. Thom: ergo. ¶ Confirmatur 2. Transgressio consiliorum est digna reprehensione (Pater enim, & Dominus justè Filium, & servum, si ea non obseruent, objurgant) sed indecens est Verbum influere in opus dignum reprehensione: ergo idem.

OPPOSITA SENTENTIA

24 **P**rotagitur ab Arriaga, & consequenter ab omnibus, qui peccabilitatem non rennunt in Christo. Obs. Potest Christus elicere actum minus intensum charitatis, vel illum omittere (aliás quomodo esset liber libertate contradictionis, quæ ut minus requiritur, ut Christus dicatur liberè operari?) sed hoc in casu operaretur minus perfectum, coincidens cum transgressione consiliorum: ergo & potest in hanc sine indecentia aliqua influere. Dist. maj. potest elicere actum minus intensum in sensu composito consilii, nego; aliás, seu in sensu diviso, hoc est, in casu quo non detur, conc. maj. & min. subdivisione data, & nego conseq.

Ad salvandam libertatem, non opus est, ut ad præsentiam consilii, & in sensu composito illius possit Christus elicere actum remissiorem, vel illum omittere omnino; satis

est, si utcumquè possit absente consilio, vel in hujus sensu diviso omittere. Id quod sàpè sàpiùs, proportione servata, diximus de cursu libero creaturæ affectæ præmotione physica. Et ultrà parificatur exemplo præcepti impositi Christo moriendi, cuius mors liberè ab ipso admissa est: *Oblatus est, quia ipse voluit*, (Isai. 53.) & tamen in sensu composito præcepti nequivit non admittere. Exemplo etiam Angelorum, qui in primo instanti non potuerunt non bonum operari (aliás eorum peccatum tribueretur Deo: quia prima operatio incipiens cum esse rei est effectus producentis rem) & tamen liberè operati sunt: quia licet in sensu composito primatæ actus malum operari nequierunt, in sensu diviso aliás, & secundum se proculdubio potuerunt. Sed hoc melius, & luculentius exponet nobis sequens

DISPUTATIO II.

DE LIBERTATE CHRISTI.

HUic disputationi occasionem præbet tum confederatio libertatis Christi, quam in Christo supponere debemus cum impeccabilitate, præcepto, & consiliis ei impositis: Tum D. Thom. qui in hac 3. p. q. 18. per totam, sed præcipue art. 4. inquirit: an in Christo fuerit liberum arbitrium, ex quo plures, famosæque sunt exortæ controversiæ, & inter eas hoc

DUBIUM I.

UTRUM AMOR CHARITATIS, QVO
*Christus Deum dilexit, fuerit
 liber?*

SUponendum est de fide in Christo fuisse voluntatem humanam, quam assumpsit Verbum juxta Concilia Lateran. sub Martino I. cap. 11. & Florent. sess. ultima, alias quippe non assumpsit humanam naturam perfectam; hanc etiam voluntatem fuisse liberam juxta illud Isai. 7. *Burym, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum,* Et D. Thom. 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quod voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum.* Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono; sicut beatos. ¶ Circa alias virtutes praeter charitatem indubium est Christum sese liberè exercuisse: nam istarum objectum est quid creatum, & finitum, & ideo non urgens voluntatem in exercitium circa ipsum.

2 Difficultas est circa actum amoris, seu charitatis: pro quo notwithstanding ex D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 2. ad 1. hunc esse duplicem, alium terminatum ad Deum immediate, alium terminatum ad proximum: ait enim ibi: *Licet caritas sit una virtus, habet tamen duos actus, quorum unius ordinatur ad alium sciat ad finem.* Kursus Deus duplicitate potest terminare actum charitatis: vel secundum se, & sic est objectum illius

primarium; vel prout est ratio exercita amandi creature, & expressio haec est secundaria, valensque specificare juxta probabilem sententiam actum entitativè diversum, haud secus quam in voluntate duplex similiter admittitur diversus specificè actus juxta D. Thom. 1. 2. q. 8. art. 3. & q. 12. art. 4.

¶ Duo etiam ut certa supponimus, actum scilicet, quo Christus diligebat creature in se, esse liberum: quia ejus objectum finitum est, & limitatum. Et similiter actum, quo Deum diligebat secundum se, quique regulabatur per visionem beatam, esse necessarium: quia sine indifferentia siebat judicii, quæ radix est libertatis. Dubium vero est, si ne liber, sitve necessarius actus charitatis Christi terminatus ad Deum, prout est ratio diligendi creature? Pro quo sit

NOSTRA CONCLUSIO.

3 **A**Ctus charitatis Christi terminatus ad Deum, prout hic est ratio exercita diligendi creature, sicut liber. Sic communiter Theologi tam veteres, quam neophyti, & prob. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 34. art. 3. ubi de Christo haec profert verba: *Consequens est, quod ipse secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum fuerit sanctificatus.* Ecce actum ex una parte terminatum ad Deum, & ex alia liberum; sed liber non erat ut terminatus ad Deum secundum se: ergo saltim esset ut terminatus ad Deum sub praedicta ratione.

¶ Prob. 2. ratione: Actus quo Deus se ipsum diligit prout est ratio dilectionis exercitæ creaturarum, liber est: potest enim illas non producere, ac per consequens se sub hac ratione non diligere: ergo etiam actus, quo Christus sub eadem ratione illum diligit, liber erit: potuit enim non illas, sed alias producere Deus, quo in casu has, & non illas diligeret Christus. ¶ Prob. 3. Christus non dilexit necessariò quod non est summum bonum; sed Deus sub ratione dicta non explicat summam bonitatem, sed, ut summum, summam bonitatem; communicat tamen exercitè limitato modo: ergo liberè eum sub hac ratione dilexit.

4 Nec est inconveniens, talem actum regulatum fuisse per scientiam beatam (quod & supponere debemus cum communi,) quia hæc scientia ita proponebat Deum, sicut sub hac ratione erat ipse diligendus: sub ea autem non necessitabat ad ipsum diligendum: quia sic non se exponebat ut summum bonum, sed ut bonum limitatè communicandum, ob quam, & secundum quam rationem nec ipse se Deus diligit necessariò, sed liberè. Si autem non se exponebat ut summum bonum, non erat undequaquam, & secundum omnem considerationem bonum; hujusmodi autem bonum non determinatè & necessariò, sed cum indiferentia, liberèque inspicitur amandum, ut appositi inquit D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 2. ibi: *Si voluntati proponatur aliquid objectum, quod non secundum quantlibet considerationem sit bonum, non*

ex necessitate voluntas fertur in illud: ergo non obstat quominus talis actus reguletur per scientiam beatam, ut sit liber; si tamen hæc non proponat Deum ut summum bonum necessariò amandum, necessariò intellige quoad exercitium, de quo loquimur in praesenti.

ARGUMENTA.

5 O Bf. 1. cum Vazquez, Lardito, & aliis oppositum sentientibus: Actus charitatis terminatus ad Deum sub ratione diligendi creaturas regulatur per visionem beatam; sed hæc visio nullum proponit objectum cum indiferentia, sed necessariò, & efficaciter amandum: ergo talis actus non liber fuit, sed necessarius. Prob. minor: judicium indiferens est illud, quod æquè cum amore, ac cum carentia amoris venit conjungendum, sed cum visione beata nequit conjungi, tum amor, tum carentia amoris: est enim talis visio judicium determinatum, & æquè connexum cum amore, ac prædestinatio physica cum effectu: ergo tenet minor.

Ad argumentum, concessa magnegatur minor: eadem enim visio beata propter suam eminentiam est ex una parte judicium indiferens, si terminetur ad Deum sub prædicta ratione, & sic actus egreditur liber, & ex alia judicium determinatum, si ad Deum secundum se, & sic est actus charitatis necessarius. Haud scius quam Angelus in primo instanti sui esse per unum, & idem judicium respexit speculative, & cum in-

indiferentia Deum amandum, ut verificaretur ejus libertas; sed tandem idem judicium attendens exercitè, & ultimè ad Deum, se determinavit, ipsumque necessariò amavit. Similiter loquuntur N. Salm. tr. 13. disp. 1. à n. 37. de quadam præmotione physica, in qua propter sui eminentiam adunantur ratio auxilii sufficientis, & simul efficacis. Quare distinguenda est minor secundi syllogismi: Visio beata nequit conjungi cum amore, & carentia humi-
jus; visio terminata ad Deum secundùm se, conc: ad Deum ut est ratio diligendi cætera, subdist. ne-
quit conjungi simultate actus, conc;
simultate potentiarum, nego min. &
conseq. Solutio est communis, & ex
præactis nota.

6 Obs. 2. Bonitas divina, sub quacumque attingatur ratione, est summa, & infinita: ergo sub quacumque coget ad amandum: ergo non liberè, sed necessariò amatur, dum sub ratione diligendi creaturas attingitur. Resp. dist. ant. sub quacumque ratione est infinita implicitè, conc; explicitè, nego ant. & conseq. Verum est, quod re ipsa infinita est, non tamen proponitur, nec exponitur ut infinita, & unde-
quaquè diligenda, sed finitè, & cum limitatione communicanda, ideo non necessariò, sed liberè attingitur: quia ratio objectiva sic postulat, ad quam dilectio terminatur.

7 Obs. 3. Visio beata necessariò cognoscit tam Deum secundùm se, quam ipsum, ut est ratio cognoscendi creaturas, & bona extrinseca Dei: ergo idem erit de amore

ad ipsum sub utraque attentum ratione. Resp. negando cons. & paritatem: quia visio Dei fit medio lumine gloriæ, quod liberum non est, nec relinquit libertatem semel ac objectum sibi cognoscendum exponit: est enim sicut visus corporalis, quem licet præcedat libertas proponendi illi aliquod visibile, semel tamen ac sibi proponatur, necessariò illud videt: sic est lumen gloriæ, cui licet liberè proponatur Deus sic, vel sic videndus, hoc est intensius, vel remissius, cum majori, vel minori extensione, semel tamen ac illi sic, vel sic proponitur, necessariò illum sic, vel sic videndum sibi est. Econtra: charitas est libera ut quo, & ideo non cogitur ad videndum Deum necessariò, ut diximus in de visione tr. 2. disp. 3. dub. 4. n. 41. ubi id extendimus ad lumen quantum ad vitalitatem, non verò quantum ad libertatem adhuc radicalem.

¶ Obs. 4. Actus charitatis Christi juxta dicta regulabatur per scientiam beatam: ergo erat actus comprehensoris: ergo non erat liber. Hæc conseq. præter quam patet, prob. si esset liber, esset meritorius; sed (inquit D. Thom. 3. p. q. 19. art. 3. ad 1.) per charitatem non meruit, in quantum erat charitas comprehensoris: ergo non erat liber. Respondeatur, quod actus charitatis Christi sicut fuit simul liber, & necessarius secundùm diversas rationes attingendi Deum, sic etiam fuit simul viatoris, & consequenter meritorius, & comprehensoris, & sic per illum non meruit. Erat, inquam, com-
pre-

prehensoris, in quantum simpliciter regulabatur per scientiam beatam: erat etiam viatoris, quatenus haec regulabat ipsum connotando corpus passibile. Hinc est, quod licet amor beatificus Christi terminatus ad Deum, prout est ratio diligendi creaturas, sit liber, sive ab ipso sit, ut viatore, sive, ut comprehensore, non tamen est meritorius, nisi prout connotat statum viatoris. Quod eleganter expressit D. Thom. q. 29. de verit. art. 6. ad 6. ubi ait: *Christus autem non erat, extra statum merendi: quia viator erat, & idem eadem Charitate fruebatur, & merebatur.*

8 Nunc erat nobis vocandum in examen, utrum actus charitatis, quo Christus diligebat Deum secundum se necessariò, & actus, quo ipsum liberè respiciebat, prout est ratio diligendi creaturas, sint realiter entitativè distincti, an ve solummodo modaliter, ita ut, idem actus erga Deum secundum se, per quandam extensionem sine entitativa distinctione se extenderet ad ipsum diligendum sub altera ratione? Hæc controversia ex una parte parum conductit ad instructionem, & profectum studentium: ex alia gracilem, exemplique materiam tangit, quæque implexis hinc inde doctrinis inter se pugnantibus agitatur. Videsis N. Sal. tr. 10. disp. 2. n. 38. Et maximè n. 80. solummodo modulum libertatis superaddentes entitati actus, quod & pluribus attestantur exemplis. Confer etiam illos cum alio loco tr. 21. disp. 27. n. 53. ubi actum liberum, quo Christus tangit Deum, non modo modum, verum integrum enti-

tatem addere inquiunt suprà actum necessarum: est enim inquiunt ab hoc entitativè, & specificè distinctus, in quo à communi dicendi modo recedere, vel ipsimet planè confitentur. Noster etiam Paulus eorum vestigiis fidissimè insistens, in praesenti nervosè quidem, & subtiliter hoc ultimum defendit, & ab incurisibus contrariis feliciter vindicat, sed tamen ipse tr. 9. disp. 2. dub. 4. n. 31. & 33. cum solo modulo intrinsecè addito entitati actus contentus, componit attingentiam liberam, & necessariam circa aliquod objectum liberè, & necessariò attingendum.

9 Quid ergo? Succumbimus difficultati hæc loca conciliandi? Minime. Sed pro bono brevitatis id omittimus, ne mentes Tyronum torqueamus in hoc, quod etiam Magistris arduum vincere aspectamus; & alias nostro resumendi instituto validè ducimus contrarium, tempus in conciliando loca conterere, cum ea sit meta nostri operis, quam & Legis nostræ p. 2. c. 4. n. 8. ubi arcere jubet à Gymnasiis nostris subtiliores quæstiones, quæ utilitatem non afferunt: ac præcipue (inquit ad Lectores) opinionibus variis omissis, succinctè, & breviter veritatem declarare nitantur, ut sic major sit Discipulorum profectus. Si quandò vero Lectores nostri inter argendum respondere urgeantur circa identitatem, vel distinctionem prædicti actus, consulant loca suprà laudata NN. Salm. & Pauli, & meditato illis visis, & inter se collatis, quam maluerint, eligant partem defensandam, & defensent, vel nostros (respondeant) venerabi-

les M.M. bivios, & problematicos in hac parte procedere, non tam resolventes, quā nobis eligendi facultatem offerentes.

DUBIUM II.

*AN OPERATIONES NATURALES IN
Christo fuerint liberae?*

10 **P**rocedit dubium de operationibus, quæ in aliis hominibus sunt naturales, & necessariæ, ut nutritio, augmentatio, ciborum digestio, & aliae hujusmodi: de aliis etiam sensuum externorum, ut auditio, visio &c. quæ licet sint liberae terminativæ, quatenus extrinsecè subduntur dominio voluntatis in ordine ad earum usum, non verò formaliter, & intrinsecè. De motibus autem potentiarum internarum supponimus cum N. Salm. tr. 13. disp. 10. n. 99. esse formaliter, & intrinsecè liberos ob quoddam, quod habent, participium rationis, atque libertatis à parte superiori. Pro primis ergo sit.

NOSTRA CONCLUSIO.

11 **D**icendum est, prædictas operationes fuisse liberae elicitas in Christo. Sic gravissimi Thomistæ, ut à S. Thom. Lardito, & N. Salm. Prob. 1. ex D. Aug. qui tract. 49. in Joan. sic ait: *Turbaris tu nolens: turbatus est Jesus, quia voluit. Contristatus est Jesus, quia voluit. In illius potestate erat sic vel sic affui, vel non affui.* 2. ex Damascen. lib. 3. c. 19. ibi: *Sciendum est*

autem, quid sancta ejus mens (id est Christi) naturales suas operabatur operationes intelligens, & cognoscens. 3. ex D. Thom. 3. p. q. 19. art. 2. ibi: *Sed in homine Jesu-Christo nullus erat motus sensitiva partis, quū non esset ordinatus à ratione. Ipse etiam operationes naturales, & corporales aliqualiter ad ejus voluntatem pertinebant, in quantum voluntatis ejus erat ut caro ejus ageret, & pateretur.* Quo nihil expresius pro nostra conclusione. ¶ Ex quibus probatur 4. ratione: Illa operatio est libera, quæ procedit à ratione, subditurque imperio voluntatis; sed omnes operationes Christi prævidebantur per suam scientiam beatam, & aliás juxta D. Thom. 3. p. q. 13. art. 3. subdebatur ejus potestati totaliter omnis dispositio corporis: ergo liberè ab eo eliciebantur.

12 Si dicas tales operationes esse liberas terminativæ, seu objectivæ, in quantum sunt voluntæ sicut gressus cuiuslibet hominis etiam est volitus, non verò formaliter voluntarius, nec liber. Contra: & instauratur sic ratio præjecta: illa operatio est formaliter voluntaria, & libera, quæ positis omnibus requisitis ex parte principii adhuc potest ponî, vel omitti, sed hoc contigit operationibus Christi naturalibus. Hæc minor prob. De hisce operationibus in Christo affirmat laudatus Aug. quod aliis aliorum hominum negat. v. g. Christum contristatum fuisse, quia voluit, hominem verò contristari, etiam sine ullo voluntatis actu; sed in utroque casu aderant omnia requisita ex parte principii; imò & ex parte motivi contristandi: ergo sig-

signum est quid Christus, etiam positis omnibus requisitis, potuit non contristari; homo vero naturaliter, & necessario contristatur.

¶ Aliter, & ad responsonem congruentius: negari nequit, quod homo, licet naturaliter, & necessario contristetur, potest ejus tristitia esse volita, & consensa terminativè; sicut licet naturaliter homo crescat, potest actus crescendi esse volitus; & tamen nec illa, nec istae dicuntur voluntariae à D. Aug. id tamen asserit de operationibus Christi: ergo signum est, quod haec non modò sunt terminativæ volitæ, sed & formaliter voluntariae & liberæ, taliter quod positis omnibus requisitis ex parte principii, & objecti, v. g. visus, vel potentia augmentativa, adhuc Christus posset libere videre, vel non videre, crescere, vel non crescere, quod alii non possunt homines eligere.

CONTRARIA OPINIO

13 **D**efenditur ab Illustrissimis Arauxo, Godoy, & aliis. Prob. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 13. art. 3. in argum. Sed contra, ubi ait: *Sed contra est, quod dicitur Hebreo. 2. quod debuit fratribus per omnia assimilari, & pricipue in his, que pertinent ad conditionem naturæ humanae: ergo cum haec sit elicere operationes naturales, necessario sequitur quod non sit hoc liberum in Christo.* Resp. habere quidem Christum omnia, quæ sine imperfectione pertinent ad conditionem humanam, ea tamen habet cum aliqua exaltatione

supra ipsam, atque majori perfectione ex coniunctione ad Verbum proveniente, & id genus est operari liberè, quod cæteri operamur naturaliter; sic enim operari aliquem modum perfectiore dicit supra communem.

14 Obs. 2. Si Christus liberè operatus est motus naturales, illos abs dubio potuit moderari; hoc autem non fieret naturaliter: ergo miraculosè, & supernaturaliter: ergo non principaliter, sed instrumentaliter; sed hoc ultimum pugnat cum libertate (sicut cum vitalitate) nam operari leberè est moveri ab intrinseco cum cognitione finis: operari instrumentaliter est moveri ab alio, seu ab extrinseco: ergo, si hoc ultimum cum libertate pugnat, haec etiam in Christo repugnabit.

Respendet N. Paulus cum libertate non pugnare operari instrumentaliter, sicut nec pugnat cum vitalitate. Assert in testimonium hujus doctrinæ plura exempla, scilicet phantasmatis vitaliter instrumentaliter producentis species intelligibiles: Scriptoris sacri, qui liberè, & meritorie exaravit Scripturam Sacram, non tamen principaliter, sed instrumentaliter: voluntatis habentis charitatem, ut quatuor, & tamen amantis liberè, & meritorie, sed instrumentaliter, per actum, ut octo: luminis gloriæ vitaliter, sed & instrumentaliter operantis in visione beata ultimam hujus actualitatem; virtutis demum intellectualis elicientis vitaliter, & simul instrumentaliter actum secundum id, quod ipsam excedit: ergo pariter potuit Christ-

Christus instrumentaliter, sed tamen liberè elicere, vel cohibere motus naturales. Hęc ipse perdoctus, & sapientissimus Magister noster.

15 Quomodo verò hęc cohärent cum his, quae docet tract. 2. de Visione disp. 3. dub. 3. ubi intellectui, & charitati sic negat operari posse: & ubi exp̄ssē concedit Scriptori Sacro id, quod hic negare videtur, esse scilicet causam principalem Scripturæ: hęc inquam conciliare, & ad cohärentiam trahere nobis prolixius opus est, quam quod ex lege nostra laudata suprànum. 9. observare studemus, scilicet suauitatem, & breviter veritatem declarare. Quarè hac relicta solutione in sua vi tantique Protectoris auxilio roborata, ut eam sequantur qui voluerint, si liceat nobis per ipsum alia nostro judicio planiori via, & ab incursibus adversis immuniori, argumento in contrarium adducto satisfacere conabimur, concedendo maj. & negando min. scilicet, quod Christus non moderaverit motus naturales naturaliter: Unde, si naturaliter illos moderavit, cessat concursus instrumentalis, & cum eo tota difficultas argumenti.

18 Dicimus ergo Christum naturaliter cohibuisse, vel operatum fuisse, prout ipse voluit, motus naturales: si enim virtuti naturali, vel etiam arte Medicinæ prædicti motus passim eliciuntur, vel cohibentur, quid est in eis, quod à præstantissima virtute, arte, & scientia Christi non possit vinci, ut per eas exerceantur, vel omitantur? Operationes naturales, de quibus loqui-

mur, sunt juxta D. Thom. 3. p. q. 19. art. 2. in corp. ferri sursum, vel deorsum corpus, nutriti, augeri, videre, audire, &c. Sed ad eliciendas has, vel omittendas sufficit virtus, vel ars naturalis: virtute enim naturali videmus corpus, quod naturaliter caderet, per rationem, & industriam naturalem contineri; per artem similiter Medicinæ applicantur medicamina utiliter decoctiva, nutritivaque; & econtra plures sunt, vel essent nocivæ, quae actionem naturalem decoctivam, & nutritivam vel retardant, vel omnino impediunt: nec desunt medicamina pūra, quae ad crescendum, vel decrescendum in statura designantur. Si ergo hoc naturaliter, & contra naturam consequitur humana solertia, quarè non id, & plus virtuti naturali Christi concedendum erit? Et cum aliás hanc virtutem præcedat in Christo cognitio, voluntas, & indiferentia, quid ei deficit, ut operationes liberè fiant, & sint liberae? Nihil sanè: ergo poterunt liberè simul, & naturaliter ab ipso fieri. ¶ Dices 1. Ergo sicut Christus operationes naturales liberè operatus est, etiam quilibet homo in prædictis casibus liberè sicut Christus operabitur, & sic æquabitur, quod absit, ipsi Christo. Dist. cons. sicut & sicut, nego; sicut, & secus, conc. conseq. Est differentia in eo, quod Christus semper habitualiter, & quasi per se intentus fuit ad operationes, quas elicit naturales, & ideo semper illas vel elicit, vel emisit liberè; ast cæteri homines aliquandò per accidens, & in ali-

qui-

quibus casibus facilis successus.

17 Dices 2. Hujusmodi modus operandi in Christo non solum fuit supra id , quod cæteri homines operari possunt, sed & supra communem naturæ ordinem ; sed quod est supra naturæ communem ordinem miraculum vocamus , & quid supernaturale : ergo nequit fieri à Christo per virtutem naturalem. Concessa maj. dicit. min. quod est supra naturam omnem creatam, & creabilem, conc; quod solum supra id , quod corpus exigit naturale , nego min. & conseq. Datur supernaturale simpli- citer , & absolutè tale , ut gratia, & charitas : datur & supernaturale secundumquid , illud scilicet , quod, quin supra omne creatum superponatur , versatur contra id , quod communiter fit. Hujusmodi, inquit N. Paulus tr. 8. disp. 2. dub. 7. à n. 100. sunt dotes corporis glorio- si , scilicet supernaturales secundum quid , qui ideo sine miraculo , neque virtute rigorosè supernaturali possunt supra naturam operari. Et idem dicimus cum ipso ibidem de claritate corporis gloriosi , quæ supra omnem claritatem est corpoream, & tamen non est supernaturalis juxta D. Thom. in suplemento q. 85. art. 2. ait enim quod proportionata est visui naturali , licet alijs opus illi sit , ut per aliquid naturale confortetur. Sic ergo dicimus, erit modus operandi in Christo contra , vel supra naturalem , & communem modum operandi : non quidem strictè supernaturalis , sed tantum secundum quid talis , & consequenter Christus non instrumentaliter , sed principa-

liter operabitur liberè operationes naturales.

DUBIUM III.

AN CHRISTO IMPOSITUM FUERIT rigorosum mortis præceptum?

18 **S** upponendum est Christum ligatum fuisse præceptis naturalibus , non verò legibus positivis , sive divinis , sive humanis. Primum constat ex illis verbis Isaï. 53. *Justificabit ipse servus meus multos.* Proprium est autem omnis servi aliquo ligari præcepto ; sed non fuit ligatus præceptis positivis , nec Mosaicis nec Evangelicis : ergo saltim naturalibus. Secundum, quod est minor hujus Syllogismi probatur: quia Christus venit ad solvendos homines à lege Moysis media lege gratia. Deinde respectu Evangelicæ fuit Auctor, & Legislator : ergo non opportuit sub earum cadere iussione. Et licet Legislator aliquando cadat sub illa saltim quoad vim directivam, hoc intellige dum materia est communis æquè ipsi ac ejus inferioribus, ut jejunare , si communitati imponeretur , secùs verò si communis non sit , ut si Prælatus juberet sub præcepto , ne aliquis in aliorum cellas ingrederetur , quo in casu non ipsum comprehendenderet , sicut nec materia : ob quam etiam rationem Christus non potuit ligari legibus Evangelicis , quæ præscribunt usum Sacramentorum , & similium.

19 Nec demum Christus fuit aliqua obstrictus lege Cibili , vel Politica , cuius contrarium tamquam

hæreticum damnatur asseri in quādam Extravag. Joan. XXII. per Turrecrematam laudata lib. 4. Sum. 2. p. 27. Quod autem Christo impositum fuerit præceptum in ordine ad finem Redemptionis nostræ constat ex illo Joan 2. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit.* Et cap. 10. *Mandatum hoc accepi à Patre meo.* Et cap. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quæ mandata ad finem respicere redēptionis nostræ communis est doctrina PP. & tamen dubitamus, fueritne hoc præceptum strictè tale circa mortem subeundam?

NOSTRA CONCLUSIO

20 **R**espondet quæsto affirmativè cum communi Theologorum contra paucos. Prob. ex D. Thom. 3. p. q. 47. art. 2. ibi: *Conveniensimum fuit quod Christus ex obedientia pateretur.* Primo quidem... ut sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justi constituerentur multi, ut dicitur ad Rom. 5. Sed peccatum Adami fuit inobedientia præcepto rigido opposita: ergo obedientia Christi præcepto riguroso conformis.

Prob. etiam ratione: quia omnis perfectio possibilis sine suæ personæ dedecore concedenda est Christo; sed mortem ex rigida obedientia subire perfectio est sine imperfectione divinæ Personæ. Min. quoad primam partem constat: nam est actus obedientiae minoris ad majorem, quod quid perfectum est. Quoad secundam prob. nam Persona divina in se

non subjecta fuit, sed quin potius naturam humanam subjecit divinæ, quod quidem bonum, & perfectum est: ergo vera est minor quoad utramque partem.

21 Hoc autem præceptum moriendi ne intelligas impositum quantum ad substantiam mortis præcisè, sed illud extende quantum ad circumstantias temporis, loci, motivi, &c. quia non solùm dicitur Joan. 14. quod mandata Patris fecit Christus, sed *Sicut mandatum dedit mihi Pater, hoc est,* secundum modum quo mandavit illi Pater. Unde ad Philip. 2. non solùm exprimitur obedientia moriendi, sed & moriendo in Cruce: *Mortem autem Crucis.* Et ut exponit V. Beda in hunc locum: *Quousquè factus est obedientis? Usque ad trinam Diaboli tentationem, usque ad irruptionem populi Iudeorum, usque ad spuma, & vincula, usque ad alapas, & flagella: si parum est, usque ad mortem: & si aliquid de genere moris addendum est: Mortem autem Crucis.* Ecce obedientiam, (consequenter & præceptum) nedum ad moriendum, verum ad circumstantias mortem præcedentes, & concomitantes: ergo vera est hæc assertio. Et quidem si perfectio sine imperfectione fuit in Christo mori utcumquè, multo perfectius esset sic mori, ut copiosior ostenderetur fructus Redēptionis, quod intensor amor in patiendo exhiberetur.

OPPOSITA SENTENTIA

22 **D**efenditur à Lorca, Larrito, & aliis: Et quidem sufficientis ex SS. Patribus auctor-

toritatum pondere ductis. Prob. 1. ex Isaiae 53. ubi dicitur : Oblatus est, quia ipse voluit. 2. ex Joan. 1. Ego pono animam meam, Et iterum sumnam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. 3. ex SS. PP. nam Anselmus lib. de Medit. Redempt. ait: Neque enim natura humana in ipso homin- ne passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate: neque ulla cogente obedientia, sed potente disponente sapientia: non enim illi Pater cogendo praecepit, sed ille quod Patri placitum, & homini- bus profuturum intellexit, hoc sponte se- tit. D. Chrysost. Homil. 59. in Joan. sic ait: Nihil aliud hoc loco præceptum significat, quam cum Patre concordiam. Et 28. Licebat illi nihil pati, si voluisse. In hunc sensum sese explicant N. Cyrilus, Basilius, Albertus Magnus, & D. Thom. qui lèct. 8. in prædic- ta verba Joan. hæc habet: Pater mandavit in quantum animæ ejus inspira- vit, necessarium esse humana saluti, ut in natura humana moreretur.

Resp. 1. supponendo PP. in hac materia locutos fuisse disputantes contra Arianos, qui ex præcepto inferebant inferiorem esse Christum Patri in Persona: & ideo ipsi, dum præceptum negant, de præcepto Christo ut Deo intelligendi sunt: vel si de natura humana, hanc sumunt concretivè ad Verbum. 2. po- test dici solùm ipsos negare præcep- tum tollens à Christo libertatem ope- randi. 3. negare præceptum quoad vim coactivam, seu comminantem pœnam, non verò quoad directi- vam, quæ ad præceptum sufficit strictum.

23 Obs. 2. Christus exercuit

actum obedientiæ sine præcepto: ergo ex eo quod factus fuerit obe- diens, non arguitur subiectum fuisse præcepto. Ant. prob. ex D. Thom. 3. P. q. 37. art. 1. ubi ait: Chris- tus circumcisus est, ut obediendi virtutem nobis suo exemplo commendaret; sed hæc erat Lex Mosaica ipsum, ut jam diximus, non obligans: ergo tenet ant. Resp. negando ant. cujus probationis auctoritatem conc. cum minori, & nego conseq. Non enim inquit D. Thom. quod Christus exercuit obedientiam, sed quod no- bis commendavit illam, quæ com- mendatio dupliciter fit, verbis sci- licet, & operibus: & sicut sunt ver- ba, quæ, quin sint obedientia, sua- dent obedire, sic & opera sunt plu- ra, quæ, quin cadant sub præcepto, suadent hujus impletionem: sicut si quis Sacra menta fréquentet extra tempus obligationis, ut, hac ins- tante, inferiores sui obedient præcepto: si Pontifex etiam præ- ciperet jejunium, ipse autem ob infirmitatem deoneratus esset ab illo, & tamen jejunaret, profectò non obediret, & tamen efficaciter jeju- nium, & obedientiam commendaret.

24 Obs. 3. In Christo non fuit, nec potuit esse votum: ergo nec præceptum illi impositum. Ant. tra- ditur à D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. & conf. prob. Ideò non potuit vovere: quia habebat vo- luntatem firmatam in bono (& vo- tum eò dirigitur, ut in illo illam firmet) sed hæc eadem ratio instat pro præcepto, quod videtur su- peresse, ubi voluntas non potest deesse: ergo. Respondent aliqui ne-

gando ant. ex illo ducti Psalm. 21.
Vota mea reddam in conspectu timentium
eum, quæ verba Personæ Christi
tribuit Glosa, nec D. Thom. ne-
gat, sed asserit vovere non compe-
tere Christo: Nihilominus tamen hæc
solutio malè audit apud Nostrates;
quia minùs conformis menti D. Th.
& idèo respondent, concessò ant.
negando conseq. & paritatem: quia
votum ordinatur ad firmandam vo-
luntatem, quod in casum est, si
iam per unionem ad verbum sup-
ponitur firmata. Præceptum verò se
tenet ex parte superioris non tam in
bonum opus intendens firmius, &
securius exercendum, quam ad ex-
torquendam, seu verificandam infe-
rioris subjectionem, quod sufficit, ut
verè Christo præceptum imponatur.
Illud autem Psalm. explicat D. Thom.
de Christo loquente de se ipso per
quamdam similitudinem cum corpo-
re suo, quod est Ecclesia, cui pro-
priè adaptantur prædicta verba.

DUBIUM IV.

AN LIBERTAS CHRISTI FEDERARI
valeat cum impeccabilitate, &
præcepto?

25 **Q**uestio hæc est vera re-
petitio aliarum sàpè
actarum, tum in Phy-
sica, tum in tr. de Scientia, &
Voluntate Dei, quibus in omnibus
intercessit similis, imò identifica
difficultas, num, scilicet, præmotio
physica, scientia visionis, & decre-
tum Dei efficax valeant cum liber-
tate creaturæ foederari? Ideò paucis

supra dicta additis, breviter ab ea
expediri curabimus. ¶ Notando priùs
nos hic loqui de libertate contradic-
tionis, quæ scilicet respicit cum in-
diferentia actionem, vel illius omis-
sionem; non de libertate contra-
rietatis respicientis actionem bonam
vel malam: hanc enim à Christo
sufficienter exclusimus, dum à Chris-
to potentiam relegavimus peccandi.

NOSTRA, ET THOMISTICA
conclusio

26 **A**ffirmativa est, scilicet
optimè cohærere cum
libertate Christi ejus impeccabilita-
tem, & præceptum. Sic communiter
(præter Lorcam, Vazquez, Lugo,
Lesium, & aliquos recentiores) Theo-
logi, & maximè Thomistæ. Cum
quibus, & pro quibus probatur hac
unica, efficaci, sed & auctoritate D.
Thomæ munita ratione: Impec-
cabilitas Christi non tollit illius li-
bertatem; alias nec præceptum: er-
go neutrum. Maj. probo (deinde
probaturus min.) tūm, ex D. Th.
*q. 22. de verit. art. 6. ibi: *Ubi non**
est defectus in apprehendendo, & confe-
rindo, non potest esse voluntas mali in
bis, quæ sunt ad finem, sicut patet in
Beatis, & pro tanto dicitur, quid velle
malum nec est libertas, nec pars liberta-
tis. Idem tenet I. p. q. 62. art.
*8. ad 3. ibi: *Majus libertas arbitrii est**
in Angelis, qui peccare non possunt, quim
in nois, qui peccare possumus. Tum, ex
D. Ansel. qui lib. de libert. arbitrii c. 1. ait: *Libertatem arbitrii non*
puto esse potentiam peccandi, & non pec-
candi, quippe, si hoc esset ejus definitio,

nec Deus , nec Angelus , qui peccare n-
queunt , liberum haberent arbitrium , quod
nefas est dicere : ergo tenet maj.

¶ Minor nunc prob. quia præceptum non se tenet intrinsecè ex parte voluntatis , cui imponitur , sed extrinsecè , & moraliter cum illa concurrit : ergo non tollit nec indiferentiam ipsum præcedentem , nec modum procedendi liberè proprium potentie liberae . Prob. conseq. Ideò tolleret : quia præceptum infert infallibiliter unum extremum ; sed hoc ipsum contingit in præmotione physica , & prædissimilione divina , & tamen non tollitur libertas : ergo nec per præceptum Christo impositum moriendi.

ARGUMENTA CONTRARIA.

27 Obs. 1. Christus non ha-

buit libertatem contrarietatis , hoc est , ad bonum , & ad malum ; sed illam haberet , si cum præcepto conservaret libertatem contradictionis . Hæc minor prob. libertas contradictionis est potestas ad moriendum , & non moriendum ; sed potestas ad non moriendum esset , instantē præcepto , ad malum : quia malum est non obediens : ergo non solum daretur libertas contradictionis , hoc est ad bonum , & non bonum , sed & contrarietatis , hoc est ad bonum , & malum , quod dici nequit.

Concessa maj. nego min. cuius probationis maj. distingo : libertas contradictionis est potestas ad moriendum , & non moriendum in sensu diviso præcepti , conc : in sensu composito , subdist. est potestas ant. conc ; conseq. nego maj. & dist.

min. potestas ad non moriendum esset ad malum conjungendum cum præcepto , nego : sine conjunctione ad illud , nego suppositum : tunc enim sicut non esset præceptum , nec esset peccatum , undè neutro modo esset ad malum , sed ad non moriendum secundū se , quod malum non est . Sed replicabis , &


28 Obs. 2. Sequitur ex responsione data , quod Christus solum in sensu diviso à præcepto , non vero in sensu composito potuerit non mori ; sed hoc non sufficit ad salvandam libertatem . Hæc minor probatur in Beato , qui in sensu diviso visionis potest peccare , & nihilominus asserimus , ipsum non habere ad peccandum libertatem , sed necessitatum esse ad non peccandum : ergo pariter in nostro casu .

Resp. negando paritatem inter utrumque casum : quia visio est iudicium determinatum omnino tollens indiferentiam judicii , quæ se tenet ex parte actus primi : hac autem sublata , deficit requisitum esse ad libertatem , & consequenter inducitur necessitas ; præceptum vero nec tollit talem indiferentiam , nec ponitur ex parte actus primi , sed quinimodo hunc , & illam supponens , iubet , & applicat utrumque , non vero necessitat ad obediendum . Id quod ipsum est videre in præmotione : undè nihil novi respondeatur , quam quod sapissime alibi jam diximus .

29 Obs. 3. Indiferentia contradictionis requirit extrema opposita respectu ejusdem , de eodem , & secundū idem , subjecto : ergo si Christus

tus habuit libertatem contradictionis ad subeundam mortem *ut preceptam*, haberet etiam ad non subeundam *ut preceptam*; sed hoc concedit nemo: ergo non habuit libertatem contradictionis. Resp. 1. quod si Christus haberet libertatem, prout in argumento jacet, non solum esset in eo libertas contradictionis, de qua loquimur, sed & contrarietatis, quam exclusimus: siquidem non subire mortem *ut preceptam*, nedum esset omissione boni, sed & malum, hoc est, peccatum inobedientiae.

Resp. 2. mortem esse, vel non esse præceptam, esse quid extrinsecum libertati, quæ ante circumstantiam præcepti respicit, ut extrema contradictoria, mori, vel non mori, quibus sicut accedit præceptum, sic non tollit quidquid requiritur ad libertatem contradictionis, interdiu non interponatur aliquid obstans ex parte actus primi constituentis, vel tollentis libertatem, cuiusmodi non est præceptum, sed applicatio, vel iussio, ut ille exerceatur. Unde potest sic distingui prima propositio: debet esse ejusdem, & secundum idem, quod intret de formalis contradictione extremorum, concilium intret de materiali, & accidentaliter ad illam, nego ant. & conseq. Reliqua omittimus argumenta: quia identica sunt cum eis, quæ in dictis locis jam fusi exponuimus, & diluimus. Videsis ibi.



DISPUTATIO III.

DE MERITO CHRISTI.

DE libertate Christi, quæ meritum præcedat, fundetque, opus est, hucusque egimus. Nunc de ipso agendum nobis est per sequentia dubia, ea quam compendii ratio à nobis postulat brevitate, & tractatus de merito infra peragendus, à quo hic non nihil lucis accipiet, suadet observandam.

DUBIUM I.

*AN CHRISTUS SINE GRATIA ALIQUA
intrinseca superaddita unioni potuerit
mereri de condigno premium
supernaturale?*

¶ **S**upponendum est 1. ex dictis disp. antec. Christum meruisse per omnes actus charitatis quomodo cumquè ad creaturas terminatos, quippe liberos; econtra vero, quippe necessarios, per illos non meruisse, qui ad Deum secundum se dirigebantur. ¶ Secundò est supponendum, defactò Christum non meruisse præmium supernaturale sine gratia supernaturali, quam à primo sui esse instanti supponimus habuisse. Quæsio est de possibili, vel de hypothesi, quod gratiam ex tunc temporis primi non habuisset: Circa quam

NOSTRA RESOLUTIO

2. **E**ST negativa cum communi Thomistarum contra

tra Suar. Arauxo, & alios recentiores, quos Mag. Bolibar protegit tr. de Grat. Christi, dub. 5. à n. 42. Prob. ratione, & authoritate D. Thom. Ut actus aliquis sit meritorius, debet ordinari vel formaliter, vel virtualiter in præmium consequendum juxta D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 1. ad 2. ibi: *Ideæ aliquid meremur à Deo, non quasi ex nostris operibus ali- quid ei accrescat, sed in quantum propter ejus gloriam operamur*; sed actus naturalis, qualis esset elicitus sine gratia, nequit ordinari, nec respicere præmium, neque finem supernaturalem. Hæc minor suadetur, tum, quia inter meritum, & præmium dari debet proportio juxta D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 2. Tum, quia actus naturalis nequit Deum respicere ut Auctorem, nec remuneratorem supernaturalem: ergo nec præmium, vel remunerationem supernaturalem: est enim de ratione actus naturalis finem respicere naturalem, & in illo siftere.

Quod indè etiam patesit: quia nequit voluntas attingere finem supernaturalem sine prævia cognitione illius supernaturali; sine gratia autem aliqua supernaturali talis cognitio est impossibilis: ergo & directio voluntatis in præmium, vel remunerationem: ergo & meritum illius. ¶ Expressius favet D. Thom. q. 29. de Verit. art. 1. & 5. ad 4. ibi: *Quamvis meritum Christi quam- dam infinitatis rationem habeat ex dignitate Personæ; tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

3 Obs. 1. Actus naturalis in Christo, estd in finem directus naturalem, haberet dignitatem infinitam, imò & supernaturalem moraliter ex coniunctione ad Verbum; sed dignitas infinita moraliter nequit dici improportionata cum præmio supernaturali: ergo ratio ruit nostræ conclusionis. Concessa majori dist. min. nequit dici improportionata cum præmio morali, conc. ; physico, nego min. & conseq. Præmium supernaturale, de quo loquimur, non esset præcisè moraliter tale, sed & physicum, & reale, cum quo dignitas purè moralis non dicit proportionem. ¶ Sed contra, dices: Sola conjunctio ad Verbum divinum facit Christum dignum gloria æterna, insuper & morali: ergo idem dicendum de aëtibus ejus naturalibus: ergo non sunt improportionati. Dist. ant. facit Christum dignum gloria, per modum præmii, nego; per modum hæreditatis, quæ debetur Filio naturali, conc. ant. & nego conseq. Solutio clara est, nec indiget explanatione.

4 Obs. 2. Actus omnino naturalis, si tamen sit ab homine grato Deo, per hoc præcisè est meritorius vitæ æternæ: ergo potiori titulo actus naturalis elicitus à Christo coniuncto Verbo divino: Vel redditur disparitatis ratio. Resp. negando ant: non enim per hoc præcisè quod actus naturalis eliceretur ab homine Deo grato, esset meritorius, sed quia hoc ipso quod elicitur

ceretur ab homine habente gratiam, & charitatem, ordinaretur ab hac physicè formaliter, vel virtualiter (& non solum moraliter) ad Deum finem supernaturalem. Unde reproducitur ratio nostræ conclusionis: si enim hic actus, licet elicitus ab homine grato, non est meritorius vitæ æternæ, estò sit conjunctus homo cum gratia, nisi superaddatur phisica in Deum ordinatio, parifomiter actus Christi naturalis non erit meritorius per conjunctionem ad Verbum, nisi ultrà ordinetur aliquomodo physicè in finem supernaturalem: hæc autem ordinatio solius est propria gratiam habentis, & charitatem.

DUBIUM II.

AN CHRISTUS PER GRATIAM AUXILIANTEM potuerit mereri de consignatione gratiam habitualem?

PER gratiam auxiliantem intellige auxilia supernatura fluida (non vero habitualia) quibus adjuta anima elicere potest salutares actus, & supernaturales. De istis dubium est, non vero de actibus procedentibus à gratia habituali: hi enim supponunt hanc: ergo non illam merentur: quia principium meriti non cadit sub merito, inquit Theologorum parsenia: si autem gratia pareret actus ipsam merentes, jam ipsa, quæ est principium merendi, caderet sub merito suorum actuum, & sic ipsa se ipsam meretur, quod absit.

RESOLUTIO NOSTRA

NEgat Christum per ullum actum supernaturalem dependentem unicè à gratia auxiliante mereri potuisse gratiam habitualem. Hanc tenent sententiam cum Parra, Cabrera, Paludano, Durando, & aliis N. Salm. disp. 13. à n. 79. Prob. 1. ex D. Thom. supra n. 2. laudato, ubi expressè assertit, quod sine gratia habituali meritum esse non potest: ergo vera est ex mente ipsius conclusio. Prob. 2. ratione: Meritum debet habere proportionem cum præmio; sed nulla gratia auxilians proportionatur cum habituali: ergo nulla illa hanc mereri potest. Prob. min. gratia auxilians non proportionatur cum vita æterna: ergo nec cum gratia habituali. Patet conseq. tum, quia gratia est semen gloriae, & solum ille, qui hanc meretur, meretur & illam; & qui augmentum hujus, meretur & augmentum illius. Tum, quia gratia excedit in perfectione vitam æternam, seu visionem beatificam: ergo si cum hac gratia auxilians non proportionatur, nec cum illa.

Quod autem gratia auxilians, nec ejus actus proportionetur cum gloria, prob. quia solum proportionatur cum illa actus elicitus ex imperio charitatis illum in ultimum finem ordinantis; sed hujusmodi actus nequit elici à gratia auxiliante juxta D. Thom. qui 2. 2. q. 24. art. 12. ad 5. ait: *Charitas non potest minere informis, cum sit ultima forma virtutum, ex hoc quod respicit Deum in ratione*

tione ulimi finis: ergo gratia purè auxilians non proportionatur cum vita æterna. Major prob. solùm proportionatur cum gloria actus, qui ordinat, & ordinatur ad illam ut ultimum finem, sed solius est charitatis ordinare sic, & imperare ex D. Thom. proximè laudato: ergo solùm proportionatur cum gloria actus ex imperio elicitus charitatis.

7 Sed dices: quòd licet in homine puro requiratur imperium charitatis, minimè verò in homine Deo, in quo actus bonus moraliter, liber, supernaturalis, & condignificatus à Persona divina potest proportionari cum vita æterna. Hæc autem evasio facile dehiscit, si conferatur cum his, quæ D. Thom. ait in 3. dist. 30. q. 1. art. 1. in corp. & ad 3. ibi: *Ita ergo est de ratione actus meritorii beatitudinis, quòd informetur charitate, & ab illa procedat, sicut est de ratione actus laudabilis, quòd sit voluntarius; sed esse voluntarium est essentiale actui laudabili: ergo tale est merito imperium charitatis: ergo nec Deus potest facere, quòd sit meritum sine charitate.* Unde sicut nec in Christo, nec in homine puro sufficit supernaturalitas, nec condignificatio quæcumque, nisi superaddatur bonitas illius per ordinem ad regulas morum: ita nec sufficiunt tales circumstantiæ, nisi adsit etiam circumstantia ordinationis actus in ultimum finem: quæ ordinatio non datur ubi deest charitas, cuius est proprium munus hoc, ut suòs in de justificatione disp. 1. dub. 4. probabimus ex D. Thom.

SENTENTIA CONTRARIA

8 Efenditur ab Illustrissimo Godoy, Gonet, Lardito, & omnibus illis, qui actum charitatis à gratia habituali non dependere essentialiter opinantur, cuius oppositum tenemus, & pro nunc supponimus, sed & amplius loco nuper citato cum D. Thom. suademos.

¶ Obs. 1. Actus entitativè supernaturalis per hoc præcissè quòd procedat à gratia habituali condignificatur ad vitam æternam promerendam: ergo potiori titulo actus supernaturalis proveniens à gratia unionis, seu hypostatica: nam gratia hæc perfectior absolutè est habituali, ut potè primatum tenens inter omnes gratias.

Probat nimis hoc argumentum, quòd scilicet etiam actus purè naturalis ex coniunctione ad Verbum, seu gratiam unionis habeat ab hac sufficientem condignitatem ad vitam æternam, quod & adversarii non admittunt. Deinde resp. concessò ant. negando conseq. quia per gratiam unionis solùm habet actus, quòd mereatur infinitum præmium intra propriam lineam actus, quod & habet actus naturalis ab hac gratia dependens, non verò præmium alterius superioris sortis, qualis est vita æterna, & actus charitatis, nisi insuper addatur directio, & ordinatio in finem hunc, & obsequium Dei, quod solius charitatis, & graiae habitualis proprium est. Sed replicabis, &

9 Obs. 2. Actus naturalis ex

con-

conjunctione ad gratiam unionis con-dignificatur ad quodcumque præ-mium naturale quantumvis eleva-tum: ergo actus supernaturalis id ipsum habebit in linea supernatura-li, hoc est, proportionem cum om-ni præmio supernaturali, etiam su-perioris clasii: ergo ruit disparita-tis ratio. Resp. concessio ant. ne-gando conseq. quia actus naturalis absque ulla gratia supernaturali po-test per solam voluntatem ordinari ad Deum finem naturalem, & ad quodcumque præmium naturale; cui, si alijs adjungitur conjunctio ad unio-nis gratiam, nihil ei deficit, ut eum illo coequetur; ast verò actus su-pernaturalis indiget ordinatione su-pernaturali, quæ ab alio principio ori-ri nequit, quæm à gratia media cha-ritate, quæ, si desint, deest etiam or-diatio, & elicientia actuum in obsequium Dei, quæ ad meritum sunt indispen-sabilia requisita. Sed repli-cabis, &

10 Obs. 3. Quilibet actus su-pernaturalis Christi sufficiens est ad promerendam unionem hypostaticam cum alia persona: ergo etiam ad promerendam gratiam habitualem, quæ minor est illa. Ant. prob. Prædictam unionis condignitatem cum altera persona non haberet actus ex gratia habituali, quæ valde impar est unioni hypostaticæ: ergo ab hac haberet illam: ergo non opus est alia ad gratiam promerendam habitualem.

Resp. dist. ant. quilibet actus sufficiens est, si ad unionis gratiam superaddatur directio in talem finem, & ordinatio in Dei obsequium, conc. ant; si tales desint directio, & or-

dinatio, nego ant. & conseq. sub distinc. data. Fatemur dignitatem ad tam sublimen gratiam, qualis est unio hypostatica, promerendam, so-lum ab alia simili unione haberri pos-se, sed vel hæc non sufficit: quia insuper requiritur, quod actus me-ritorius respiciat talem unionem ut præmium, & obsequium Dei ut fi-nem cuius fiat gratia, sic autem or-dinare solius est charitatis munus proprium, & idè hæc si defit, de-est meritum, & consequenter præ-mium. Sed replicabis, &

11 Obs. 4. Ex hac sequitur doc-trina, quod Christus per actum su-pernaturalem præcissive ab ordina-tione in obsequium Dei, nihil de-condigno mereri potuisset supernatu-rale: ex quo tandem sequitur, quod homo fidelis destitutus vera gratia, & charitate, habens fidem ut qua-tuor, & eliciens medio aliquo auxilio supernaturali actum ut octo, non mereretur, nec augeret fidem ut octo ob defectum talis ordinationis, quod videtur incredibile: ergo & pri-mum, ex quo istud sequitur secun-dum.

Resp. concessa prima seque-ria, negando secundam quoad se-cundam partem, nemp̄ quod non augeret fidem; aliud est enim mereri, aliud augere: ad primum requiritur actum, vel opus fieri in præmiantis servitutem, vel obsequium; ad secundum verò sa-tis est, si per modum causæ efficien-tis, vel dispositivæ concurrat actus in angitum. Fatemur cum D. Th. 1. 2. q. 112. & 2. 2. q. 24. art. 2. & cum communi Thomistarum, quod

quòd virtutes supernaturales non modò infunduntur quoad substantiam, sed & quoad modum intensionis, ita ut nulla causa creata physicè efficiens illas intendat ; negamus vero, quòd non detur causa physicè dispositiva illarum intensionis. Unde sequitur, quòd homo ingratus Deo, si eliceret talem actum ut octo, non mereretur augmentum fidei usque ad octo per modum præmii, sese autem disponeret physicè ad illum, ut si Deus vellet concurrere effectivè medio auxilio aliquo, produceretur in fide augmentum, non per modum præmii, sed per modum effectus physici, & naturalis, quod nostræ non refragatur conclusioni. Consonat hæc doctrina cum ea, quam tractatu de merito, dante Deo, dabisimus, & ex nunc offerimus.

DUBIUM III.

AN CHRISTUS MERERI POTUERIT suam incarnationem : & quid sibi defactò meruerit ?

12 Potuerit, inquit titulus questionis, supponens defactò Christum non meruisse incarnationem suam. Suam, etiam inquit: nam potuisse mereri Christum incarnationem alterius divinæ Personæ itidem supponimus. Procedit dubium tam de merito de condigno, quam de congruo : & in utroque sensu sit

PRIMA CONCLUSIO.

13 **C**hristus Dominus non potuit vel divinitùs mereri Incarnationem suam. Sic conformiter Thomistæ contra aliquos Juniores. Prob. ex D. Thom. q. 29. de Verit. art. 6. in corp. ibi: *Quidam dicunt quòd aliquis potest mereri id, quod jam habet, sicut dicunt de Angelis, qui beatitudinem, quam simul cum gratia acceperunt, meruerunt per opera sequentia, que circa nos faciunt. Sed hoc non videtur esse verum propter duo. Primo, quia contrariatur probationi Augustini, per quam contra Pelagianos probat, gratiam sub merito cadere non posse ... secundo, quia hoc est contra rationem meriti: nam meritum est causa præmii, non quidem per modum causæ finalis; sic enim magis premium est causa meriti, sed magis secundum reductionem ad causam efficientem. Id autem, quod est causa per modum efficientis nullo modo potest esse posterius tempore eo, cuius est causa. Unde non potest esse, quod aliquis mereatur quod jam habet. Idem habet 3. p. q. 2. art. 11. ubi loquendo de unione hypostatica sic ait: *Omnis operatio illius hominis (id est Christi) subsecuta est unionem: ergo nulla ejus operatio potuit esse meritum unionis.**

14 Ex quibus brevis hæc, & simul efficax formatur ratio: Principium meriti non cadit sub merito juxta D.D. Augustin. & Thomam, & communem Theologorum parçemiam; sed in casu questionis principium merendi unionem cum Verbo esset gratia unicus cum Verbo (neque enim alia

minor potest tanto coæquari præmio) ergo talis gratia unionis, seu Incarnatio sub Christi merito cadere non potuit. Prob. 2. nam principium meriti non solum est causa remota præmii, sed & proxima ipsius meriti: ergo si caderet sub merito, esset effectus sui effectus, ac per consequens prius, & posterius respectu ejusdem in eodem genere causæ, nempè efficientis, quod dictu indignum est. Quod ultrà parificatur exemplo gratiæ habitualis, de qua in de merito tr. 15. disp. unica dub. 6. n. 88. dicemus, justum non posse mereri primam gratiam justificantem: quia & ipsa in illo est principium meriti.

15 Dices: non repugnare quod principium meriti detur ut præmium sub conditione meriti futuri, & consequenter quod Christo concessa fuerit Incarnatio ex vi prævisi meriti futuri: ut si Rex donaret Militi strenuum equum in præmium futuri prælii. Sed contra: nam vel Rex transtulit absolute dominium equi Militi, vel sub conditione solum quod magnanimititer se gereret? Si dicas hoc secundum: ergo non donatus est equus in præmium, sed in solutionem ortam ex contractu hoc: do tibi, si facias, vel ut facias, vel dummodo facias. Si primum, jam futurum opus non potest mereri equum: quia ut inquit D. Thom. suprà laudatu: Nemo mereri potest, quod jam habet, & possidet. Idem ergo dicit de Incarnatione jam habita, quæ nequit mereri per opera ad ipsam consequentia: quia jam est habita.

16 *QUÆRES I.* An saltim mereri potuerit Christus continuationem Incarnationis? Quæstio hæc identica est cum illa, quæ à nobis excitanda, atque, Deo dante, decidenda est tract. 15. de merito disp. unica, dub. 10. scilicet, an Justus mereri possit donum perseverantiae, vel gratiam perseverantiae? Eam illic vide, & quidquid ibi est pro illa resolvendum, hic pro hac volumus & resolutum.

17 *QUÆRES II.* Num Christus mereri potuerit Maternitatem V. M? Resp. negativè: quia repugnat principium meriti cadere sub merito, sive tale principium sit immediatum, sive sit mediatum (imò plus repugnabit, si sit mediatum: quia plus distat antecedens meritum) Sed B. V. fuit principium mediatum meritorum Christi: fuit enim causa humanitatis, quæ causa fuit merendi, & quod est causa causæ, est causa causati: ergo non potuit ejus Maternitas cadere sub Filij sui merito. ¶ Et quidem si Christus potuisset mereri Maternitatem V. M. etiam potuisset mereri se ipsum: quia meruisse id, ad quod sequutus est ipse, & quia vis ad merendum actionem productivam termini, etiam potest se extendere ad ipsum terminum, si iste non excedat valorem meritorum, qualiter in casu præsenti non excederet; atqui se Christum mereri chimæricum est: ergo & primum, ex quo sequitur. Plures plura, sed inania, gracilia, & inutilia argumenta (potius dicamus cavilosa, & vapida tentamenta) exponunt contra hanc resolutionem, quæ tamen omitimus, ne Theolo-

gum agentes, in platonica incidamusphantasmata, quæ plus mentes obnubilant, quām illuminant.

SECUNDA CONCLUSIO.

18 **C**hristus Dominus meruit sibi sui nominis exaltationem, & sui corporis gloriam. Hæc conclusio ut minus quoad primam partem est de Fide, constansque ex sacra pagina: nam ad Philip. 2. dicitur *Humiliavit semetipsum, factus obediens &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et Luc. ultimo: *¶ Nonne hæc opportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* Et ad Hæbrez. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Similiter loquuntur Aug. Ambr. & Chrysost. sed cedat horum veneranda auctoritas, ubi tam perspicuè faveat Spiritus-S. infallibilis veritas. Secunda pars constat ex D. Thom. 3. p. q. 19. ubi ait. *Dicendum est, quod Christus gloriam corporis, & ea, quæ ad exteriorum ejus excellentiam pertinent (sicut est ascensio, venatio, & alia hujusmodi) habuit per meritum: ergo tenet bimembbris nostra conclusio.*

19 Prob. 2. ratione: nam in primis operationes Christi habuere omnes conditiones ad prædicta promerenda; sed aliæ illorum meritum plus congruit ejus dignitati: ergo concedendum est illi. Major probatur (& min. probabitur) Operationes Christi fuerunt liberæ, bonæ moraliter præcedentes præmium dictum, & aliæ interfuit pactum Dei de re-

tribuendo præmio juxta illud Isaï. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longærum... Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur; sed hæc sunt desiderabilia ad merendum requisita: ergo hæc non illi defuere.*

Minor nunc ostenditur: quia, ut diximus tr. 8. de grat. Christi disp. 2. n. 32. & ibi ex D. Thom. 3. p. q. 19. art. 3. in corp. *Habere aliquod donum per se est nobilis, quām habere illud per aliud: ergo magis congruit dignitati Christi comparari sibi gloriam dictam per se, hoc est, per suum meritum, quām per gratuitam donationem.* Sicut magis nobilitat hominem titulus Ducis, Generalis, ex multis partis victoriis comparatus, quām ex mera Regia liberalitate habitus. *Nisi sit tale (inquit D. Thom. ut tacitæ occurrat objectioni) quod ejus parentia magis dignitati Christi, & perfectioni præjudicet, & ideo non meruit gloriam essentiam: quia si meruisset, illa aliquando caruisset cum præjudicio suæ excellentissimæ dignitatis, quod non sic, si aliquando caruit gloria corporis, & excellentia exteriori, quia bona sunt hæc tantum secundum quidalia, quibus carere, maximè ut illa mereretur, non præjudicium, sed quin potius ornamentum, & splendorem illi contulit.*

20 Quod si quæras quandiu meruerit Christus Dominus? Resp. quod à primo instanti sua conceptionis usque ad mortem exclusivè. Ratio, quia ab hoc tempore eliciuit, nec umquam elicere destituit, interdiu vixit, operationes honestas,

libe-

liberas , & in obsequium Dei per charitatis imperium ordinatas , quæ sunt conditions ad merendum requisiæ , idque patet ex illo Joan. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Semper, id est sine ulla intermissione, vel omissione. Quod etiam probatur : quia Christo Domino danda est omnis excogitabilis perfectio , quæ ad finem conducat redemptionis; sed non repugnat ipsum à primo sui instanti continuo meruisse , & hoc amplificat suam charitatem , munusque nostræ redēptionis meritis ditat , ut illa copiosior apud eum evadat : ergo ita est

**ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM
conclusionem.**

21. **O** Bſ. 1. illud Ifai. 9.
Puer natus est nobis , & illud Joan. 17. *Pro illis sanctifico me ipsum & illud Symboli : Qui propter nos homines , & propter nostram salutem descendit de Cœlis.* Ecce meritum Christi totum erga nos ; nihil verò erga se constat ex scriptura fuisse beneficium , imò nec ordinatum fuisse in sui præmium acquirendum : ergo signum est nihil sibi meruisse. Resp. ex Sacra Scriptura constare expressè non modò Christum meruisse nobis , ut probat argum. sed & sibi , ut convincunt testimonia adducta n. 18. auctoritas D. Thomæ , & ratio à nobis producta num. 19. quod tamen non tollit , quòd loquendo de fine cui , primus , & præcipuus veniendi , operandi , atque patiënti finis fuisse propter nos. Et hoc ut sumnum convincunt prædictæ auctoritates.

22. Obs. 2. Gloria corporis in Christo naturaliter ex gloria animæ consumata oritur : ergo non opus fuit , imò nec possibile , quòd illam Christus meruerit , cùm quin potius illam non resultasse miraculum fuerit. Concedimus miraculum in hac non resultantia gloriæ corporis mediis dotibus corporis habendæ ; at quid ex hoc ? nihil aliud , quām quod intendimus probare : nam hoc miraculum dedit locum , ut posset Christus mereri gloriam corporis , quam , si non interesset miraculum , minimè Christus mereretur : quia jam illam haberet , & , ut inquit D. Thom. suprà n. 13. laudatus , nequit mereri quod jam actu possideatur. Undè factum est , quòd data fuerit Christo gloria per meritum , quæ suspensa fuerat per miraculum.

¶ Dices : sublato miraculo ipsa gloria corporis resultavit per actionem , quæ primò gloriā animæ produxit : ergo non meritum , sed agens principale quod primo glorificavit , erit causa gloriæ corporis. Concesso ant. dist. cons. agens principale erit causa efficiens physica , conc ; efficiens moralis , nego conseq. Alter : erit causa gloriæ , ut gloria est , conc; gloriæ , ut præmium est , nego conseq. Itaque sublato dicto suspensivo miraculo , duplex , & diversi generis fuit causa gloriæ corporis : altera agens productivum gloriæ animæ , & hæc per modum causæ efficientis physicæ causavit gloriam corporis secundum se ; altera fuit meritum , & hæc per modum causæ efficientis moraliter causavit illam in ratione præmij.

Obs.

23 Obs. demum contra secundam partem quæstiunc. n. 20. superadditæ, in qua meritum Christi restrinximus ad vitam, excludendo ejus mortem, & post mortem: nam de vulnere post hanc inflictionem Ecclesia meritum lavacri criminum nostrorum, dicens de illo: *Criminum ut nos lavaret sordibus, manavit unda & sanguine.* Quem modum loquendi imitatur D. Aug. in Psalm. 10. ubi ait: *Christus vulneratus, vitam produxit ex vulnere:* ergo sese extendit Christi meritum extra limites vitae, ita ut & per posthumum ejus vulnus mereretur.

Resp. receptionem vulneris non fuisse formaliter, & actu meritoriam, sed ut summum objectivè, & antecedenter, in quantum prævisam ante mortem immanissimam vulneris injuriam, hanc etiam libentissimè acceptavit Christus, ut ostenderet, quod non solùm in finem dilexit nos, sed & ultra finem, vel melius dicamus sine fine: fuit enim Sacerdos in æternum, qui nedum quandiu vixerit, sed in æternum pro nobis se obtulit, & offert immaculatam hostiam. Consonat hæc doctrina cum ea, quam tradit D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 4. ad 4. ubi ait: Tantumdem de merito Martyrum post mortem: *Meritum, inquit, Martyrum non est post mortem, sed in ipsa voluntaria substinentia mortis,* prout scilicet aliquis voluntariè patitur inflictionem mortis.

DUBIUM IV.

AN CHRISTUS MERUERIT ANGELIS
gratiam habitualem, & gloriam
essentiæ?

CONCLUSIO NOSTRA

24 **N** Egat cum pluribus gravissimis DD. statim intra, quæ extra Scholam D. Thom. qui hanc tenet sententiam in 3. dist. 13. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. ubi ait, Christum non esse caput Angelorum, ita propriè sicut hominum: quia, inquit, non inuit Angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam. Id ipsum docuit quoad gloriam per hæc verba: *Quantum ad premium essentiæ nihil eis meruit: sunt autem aliquando viatores respectu premij accidentalis, in quantum nobis ministrant, ad quod valet eis meritum Christi.* Consequenter ad hæc docet 3. p. q. 59. art. 6. quod judicaria potestas Christi solùm se extendit erga Angelos bonos, quantum ad præmium accidentale: erga malos vero, quantum ad accidentales poenas; sed vero quantum ad gloriam, & poenas essentiales, solidius Dei judicio subesse ipsos affirmat.

25 Prob. 2. ratione: quia ea, quæ ex libera Dei dependent voluntate, nec ex natura rei connectuntur, solum ex doctrina revelata possunt definiri; sed gratia, & gloria Angelorum nullam habent connexionem cum merito Christi: æquè enim præcissivè ab illo possent decerni, & alias nulla extat sacra litera,

tera , undè constet dependentia eam
rum à merito Christi : ergo non sunt
effectus ejus. Major est Doctrina sæ-
penumerò inculcata in similibus ca-
sibus præsenti : Minor quoad primam
partem videtur innegabilis , & quoad
secundam prob. Tum , quia nullibi
sacræ paginæ locorum legimus Chris-
tum propter Angelos fuisse natum ,
passum , neque mortuum , sed quin
potius *Luc. 2.* dicitur ab uno ex
illis : *Evangelizo vobis gaudium magnum:*
quia natus est vobis (non nobis) Salvator. Et ejusdem 5. Non egent qui sani
sunt Medico , sed qui male se habent. Item:
Non veni vocare justos , sed peccatores. Et D. Thom. in 1. ad Eph. v. 10.
ad illa verba : *Inflaurare omnia in Christo ,* subjungit : *Non quia pro Angelis
mortuus est Christus , sed quia redimento
bonum , reintegratur Angelorum ruina.*

Undè ante D. Thomam huius
dilectissimus Magister Aug. sacræ
que paginæ inter sapientes sapientissi-
mus Interpres : Magister , inquam
Magistri Angelici nostri , in Enchirid.
cap. 61. hæc prædixerat : *Non enim
pro Angelis mortuus est Christus :* ergo
ex sacra pagina , hujusque fidissimis
Expositoribus non solum pro homini-
bus venisse , & passum fuisse Christum ,
nobis constat , verum & Angelorum
gratiam , & gloriam , illius adventum ,
& passionem non meruisse : quia
pro eis constat non venisse. ¶ Omit-
timus aliam efficaciem rationem :
quia jam expositam suprà n. 13.
desumptam ex D. Thom. & funda-
tam in eo , quod causa meritoria
debet præxistere tempore , vel na-
tura , præmio : quod in Christo

respectu Angelorum verificari ne-
quirit.

OPPOSITA SENTENTIA.

26 **I**llust. Godoy putat meri-
tum Christi in gratiam ,
& gloriam Angelorum influxisse me-
ritoriè non quidem per meritum in
se , & realiter existens : hoc enim
planè adversari D. Thom. doctrinæ
confitetur ; sed prout in mente , vel
intentione divina habitum , & præ-
visum : sacra verò scripturæ loca
interpretatur sic , ut pro hominum
salute principaliter , sed & minus
principaliter , & secundariò pro jus-
tificatione Angelorum venisse Chris-
tum intelligentur. Idem tenent Ci-
pullus , & alii cum pluribus Sco-
tisti , & Jesuitis , & novissimè
Mag. Lard.

Objiciunt 1. aliqua loca Sacræ
Scripturæ , & testimonia SS. PP.
qua tamen omittimus : quia facili
dehiscent solutione præter illud D.
Ber. Serm. 22. in Cantic. ubi ait ; *Qui
erexit hominem Lipsum , dedit sancti Ange-
lo , ne laberetur : sic illum de captivita-
te eruens , sicut hunc à captivitate de-
fendens : & hac ratione fuit utrique re-
demptio , solvens illum , & servans ipsum:*
*liquet ergo Sanctis Angelis Dominum Chris-
tum fuisse redemptionem , sicut justitiam ,*
sicut sapientiam , sicut sanctificationem.
Quid expressius contra nos ? Sed ea
facilè , longèque difficultatem abire ,
si dicas Christum Dominum utri-
que naturæ suffragatum fuisse , alte-
ram sanantem , ut hominem patien-
tem , alteram præservantem , ut Deum
sanantem. Per quem modum , &
alia

alia quæ omittimus loca, & testimonia contraria prorsus enervantur.

27 Obs. 2. Christus est caput Angelorum: ergo influxit in eorum gratiam & gloriam, sicut & in hominum. Unde dixit D. Thom. super illa verba; *de plenitudine ejus omnes accepimus. Plenitudo gratia, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus creaturis.* Et explicans illam particulam *de*, ait in præsenti innuere causam efficientem: ergo ut minus efficienter meritorie in eas influxit. Concesso ant. dist. cons. influxit per modum causæ finalis, conc: per modum causæ efficientis, subdist. ut Deus, conc: ut homo, iterum subdist. in gratiam, & gloriam essentialiter sumptas, nego; in eas quoad accidentalia ipsis, & quoad illuminationem ipsorum, conc. cons. Et per hoc patet qualiter construenda, & distribuenda sit illa particula *de*, relativè ad Deum ut Deum, & ad Christum ut hominem: & qualiter ad gloriam essentialiem, & accidentalem. Quo sic percepto, & distributo, corruit totum argumentum.

28 Obs. 3. Ratio probativa videretur infirma: ergo non convincit. Ant. prob. illa est: quia Christus non est mortuus pro Angelis: sed hoc nihil probat. Tum, quia nec mortuus est pro se ipso, & tamen meruit sibi corporis gloriam. Tum, quia nec mortuus est pro Angelis, ut probat conclusio, & tamen illis meruit gaudia, & illuminationem, accidentalia: ergo ratio data infirmatur. Resp. negando ant: & majorem probationis dist. quia non est

Timo II.

mortuus pro salute Angelorum, conc; absolutè quia non est mortuus, nego maj. & simili distincta min. nego consequent. Dum dicimus Christum mortuum fuisse pro hominibus, & non pro Angelis, intelligitur propter corum salutem, vel justificationem, & gloriam essentialiem, quæ sunt effectus præcipui: non propter effectus secundum quid tales, vel accidentales, quales sunt gloria corporis, exaltatio sui nominis, & illuminatione Angelicæ mentis: nam loquendo de his, nedum pro Angelis, verum & pro se ipso mortuum fuisse potest dici Christum, ut innuunt illa verba: *Factus est obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

29 Obs. 4. Contra ultimam efficacem rationem ad calcem conclusionis insinuatam de præexistentia causæ meritoriae: nam Christus non præexistit SS. Patribus, & tamen ex 3. p. D. Thom. q. 2. art. 11. colligitur, ipsis meruisse gratiam habitualē: ergo talis ratio non est efficax. Ut huic fiat satis objectioni, instituimus sequens

DUBIUM V.

*AN CHRISTUS MERUERIT ANTIQUIS
PP. gratiam ipsis datam?*

30 **N**equit negari ChristoDomo aliquis influxus in gratiam antiquorum PP. ut colligitur ex illo ad Rom. 3. *Quem propositi Deus propitiationem per fidem in sanguinem ipsius ad offensionem iustitiae sue propter (intende) remissionem preceden-*

Ntiuum

tiūm delictorum. Et ex illo 1. ad Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriantur, ita & in Christo omnes viviscabuntur. ¶ Supponimus ex dictis n. 27. & alibi plures, merita Christi influxisse in gratiam antiquorum in genere causæ finalis, non verò in genere causæ physicæ efficientis ob defectum præexistentiæ realis ad id genus causæ requisitæ. Difficultas est de influxu in genere causæ efficientis moraliter, sive meritoria, &

NOSTRA CONCLUSIO

31 **N** Egativa ; quam strenuè, & perdoctè defendunt nostri Salm. tract. de Incarnat. disp. 7. dub. 4. cum Lisbon. & aliis gravissimis Thomistis, inter quos Mag. Lardito, qui non sine antylogiæ nota huic adhæret sententia negativæ erga homines antiquos, cùm affirmativam teneat erga antiquiores Angelos, in quo ingentior appetet difficultas.

¶ Prob. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 62. art. 6. ibi : Nihil autem prohibebit id quod est posterius tempore, antequam sit, movere secundum quod precedet in actu animæ: sicut finis qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus, & desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura non movet secundum usum exteriorem rerum: Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse ordine durationis, sicut causa finalis. Si ergo manifestum est, quid à passione Christi, qua est causa humana iustificationis, convenienter derivatur virtus iustificativa ad Sacra menta nova legis, non autem ad Sacra menta veteris legis: & tamen per fidem Christi iustifica-

bantur antiqui PP. sicut & nos. En merita Christi: quia posteriora ad Sacra menta vetera, influere non potuisse in virtutem eorum iustificati vam; econtra verò in virtutem novorum: quia ipsis erant priora; ergo idem dicendum est quantum ad gratiam, quæ effectus est Sacramentorum. ¶ Idem docet Sanctus q. 61. art. 3. ibi : Dicendum, quid passio Christi est causa finalis veterum Sacramentorum, quæ scilicet ad ipsam significandam instituta sunt. Causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum intentione agentis.

32 Respondet Illust. Godoy D. Thomam in his verbis solum negare influxum effectivum physicum, non verò effectivum moralem, qui que non debet præexistere realiter, sed intentionaliter effectui suo. Sed hæc responsio expræsè opponitur ipsi, qui ab ipso exponitur ibi: nam D. Thom. q. 29. de verit. art. 6. in corp. ait: Meritum est causa premii, non quidem per modum finalis causa (sic enim premium magis est causa meriti) sed magis secundum reductionem ad causam efficientem.... id autem quod est causa per modum efficientis, nullomodo potest esse posterior tempore eo, cuius est causa. En D. Thom. docentem meritum efficienter concurrere, sed non physicè, ut & ipse tenet Godoy: ergo ut minus efficienter moraliter; sed de hac efficientia ait, quod nullo pacto est posterior tempore ei, quod efficitur: ergo si Christus vere fuit posterior tempore gratia SS. PP. nullo modo potuit esse illius causa efficiens adhuc moralis.

¶ Ex quibus sic in forma, breviterque formatur ratio nostra probati-

bativa: de ratione causæ moraliter efficientis est præexistere suo effectui juxta D. Thom. laudatum; sed merita Christi sunt juxta ipsum causæ efficiens, ut minus moralis, & posteriora gratiæ SS. PP. ergo non posse sunt esse causa istius.

33 Prob. 2. ratione: Si Christus meruisset Patribus gratiam, hæc esset præmium Christi merentis; sed hoc implicat. Hæc minor prob: repugnat præmium, ubi deest subjectum præmiabile; atqui dum gratia dabatur in præmium, non erat quod præmiaretur subjectum Christus: ergo implicat ipsam fuisse præmium. ¶ Et confirmatur: quia præmiare, suppositis reliquis circumstantiis, est actus justitiæ: hæc autem supponit jus in aliquo ad tale præmium; atqui Christus illud non habebat, quippè non existens: ergo nec ipse fuit merens, nec gratia PP. fuit ipsius præmium. ¶ Omitimus aliam rationem desumptam ex actibus fidei, & spei Christi venturi, qui, ait N. Paulus, non poterant mereri per Christum: quia repugnabat ipsos esse post ipsum. Facile quippè ab illa se expediunt adversarii dicendo, esse quidem post ipsum intentionaliter prævisum, non verò physicè existentem.

34 Respondet Godoy, quod ad actum justitiæ, & collationem præmii sat est, si subjectum præmiabile præexistat intentionaliter in mente divina. Sed contra: sicut meritum solum influit in genere causæ efficientis moralis ad præmium, ita etiam demeritum ad supplicium; sed repugnat, quod inflictio hujus

in re ponatur ut actus justitiæ per solam præexistentiam peccatorum in mente divina: ergo & quod collatio præmii ut talis verificetur per solam apprehensionem meritorum Christi. Unde sicut inflictio pœnae ex vi demeriti præexistentis in mente divina, non esset actus justitiæ, sed savitiae, & crudelitatis, sic pariter collatio præmii ex sola prævisione meritorum non esset actus justitiæ, sed puræ misericordiæ, & liberalitatis.

SENTENTIA CONTRARIA.

35 **E**AM tenent Godoy, Gonnet, Cipullus, & alii. Obs. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. ubi ad probandum antiquos PP. non potuisse mereri Incarnationem, hæc ait: *Gratia non potest cadere sub merito: quia est merendi principium. Unde multò minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ.* Ex quibus sequitur, quod Incarnatio fuit principium, seu causa gratiæ SS. PP. & ideo non potuerunt illam mereri: si ergo fuit causa, sequitur influxisse. Probat nimis hæc objectio, licet alias bene fundata: Sequitur enim ex illa, quod nec de congruo potuerint mereri SS. PP. Incarnationem: quia principium meriti non cadit sub merito adhuc de congruo. Resp. quod non solum principium efficiens meriti non cadit sub merito, sed nec principium, seu causa finalis, quando hæc exceedit infinitè meritum; cùmquè Incarnatio sit ex una parte finalis causa meritorum Patrum, & ex alia exceedat illa infinitè, hinc est, quod

benè infert S. D. non posse cadere Incarnationem sub meritis SS. PP.

36 Obs. 2. Christus fuit universale caput, & Redemptor totius generis humani: ergo debuit in omnium hominum gratiam influere efficienter saltim meritorie, & non solum ut finis. Probr. conseq. quia per hoc præcissè quod Deus sit finis nostræ salutis, non dicitur Salvator, sed opus est aliqua saltim morali efficientia: ergo nec Christus erit sine hac. Resp. Deum non posse esse Salvatorem, nisi & ut causa physica concurrat: est enim à quo omnia efficienter habent esse, & tamen adversarii sine hac efficientia physica cum sola morali faciunt Christum Salvatorem: quia impossibile est, quod physicè influat. Et nos itidem dicimus, & facimus, Christum caput, Redemptorem, & Salvatorem per hoc precissè quod influat ut causa finalis: quia impossibile est ut influat ut causa efficiens moralis ob defectum præexistentiæ ad omnem efficientiam etiam moralē requisitæ. Nec tamen Christum putas causam finalem nudè sumptam, sed operaticem præi redemptivi, quod quidem respiciebat gratia collata SS. Patribus, non ut causam efficientem, sed ut finalem conditio nem prætentantem, & per hunc modum, & quasi contractum explicatam: *Do, ut facias, hoc est, confero gratiam: quia Filius meus offeret suo tempore pretium.* Per quod differunt homines ab Angelis: hi enim cùm non deliquerint respiciebant Christum ut caput, & causam finalem, non verò ut sui Redemp-

torem: Econtra homines, qui omnes in Adam peccaverunt.

37 Obs. 2. Non potuit Christus esse Redemptor veterum PP. nisi pro illis satisfecerit: sed satisfactio coincidit cum merito: ergo si satisfecit, & meruit. Concessa maj. dist. min. satisfactio coincidit cum merito ex terminis, seu per se, & formaliter, nego; per accidentis, & concomitanter, conc. min. & nego conseq. Fatemur, quod respectu nostri satisfactio comittatur meritum: quia adest locus ut non solum Christus satisfaciat, sed & mereatur, si quidem verè præexistit nobis; antiquis verò, quia non præexistit, non potuit mereri; potuit verò pro illis satisfacere ex intentato futuro offrendo pretio: quia non raro Captivus liberatur ante effectivam solutionem ex sola firma spe, quod hæc suo tempore fiet: & quantò magis hoc fieri poterit ex infallibili prævisione Incarnationis Filii Dei, ejusque adæquatæ solutionis? Itaque ad munus Redemptoris sat est, si fiat satisfactio, quin opus sit & meritum; Verum est, quod respectu antiquorum, & pro illa tempestate non potuit dici redemptio adæquata, sed tantum initia: quia adhuc effectiva solutio non dabatur; respectu verò nostri solutio est anticipata. Ethæc est distinctio inter nos, & illos quantum ad effectum potiundum redemptionis, sed convenimus in hoc, quod tandem omnes ultimò, & complete consequimur redimi, & redimirī per Christum Dominum nostrum. Amen.

DUBIUM VI.

AN CHRISTUS NOBIS MERUERIT PRÆdestinationem nostram?

38 PER ly *nobis* positum in titulo dubii contrahitur difficultas præsens ad nos homines, qui ad statum pertinemus legis gratiæ: quia de Angelis, & hominibus Christum præcedentibus sat dictum est, ut, quod Christus non meruerit eis prædestinationem, inferamus. ¶ Prædestination alia est activa, actus, scilicet, Dei increatus homines in vitam transmittens æternam: alia passiva, sive terminativa, hoc est, subjecta prædestinata, & omnes effectus prædestinationis activæ. ¶ Supponimus 1. quod, ut minus aliquos nostræ justificationis meruit nobis Christus Dominus: de quo Trident. sess. 6. c. 7. ait, quod *sua sanctissima Passione in ligno crucis nobis justificationem meruit*. Quod & probat D. Thom. 3. p. q. 19. art. 4. & q. 48. art. 1. Et quidem si Adamus, quia fuit morale caput hominum, per suum lapsum aliquid nobis promeruit, Christus, qui in ordine gratiæ excellentiori modo fuit nostrum caput, quid mirum si aliquos promeruerit effectus? Difficultas est circa omnes, scilicet, gratiam, gloriam, auxilia, substantiam prædestinati, permissiones peccatorum &c.

39 Supponimus 2. Christum non potuisse mereri prædestinationem nostram activè sumptam: meritum enim habet rationem causæ, & nulla po-

Tomo II.

test dari respectu Dei, nec actus suæ voluntatis, Audi D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. Nullus fuit ita insana menis, qui diceret merita esse causam divine prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Quod tamen non obstat, quominus merita Christi sint ratio motiva, vi cuius actus Dei prædestinet nos, non quidem motiva in recto, sed ita ut ipsa bonitas divina, ut connotans Christi merita, sit ratio motiva prædestinandi, ad eum modum quo misericordia divina respicit bonitatem divinam, ut connotantem miseriam sublevandam; ast hoc non infert in meritis genus causa efficientis moraliter, sed motivæ, & finalis: de qua non est quæstio, prout jacet titulus. Et licet N. Paulus ad eam se extendat attingendam: quia tamen plus difficultatis præcifivæ, & methaphysicæ (quam per totum hoc opus intendimus vitare) quam utilitatis substancialis (quam ab initio illius percipere conamur) invenimus, hac de causa extensionem hanc omittimus, ita ut proposito quæstio unica respondeat.

CONCLUSIO.

40 Dicendum est, Christum Dominum meruisse nobis prædestinationem nostram passivè sumptam quoad omnes ejus effectus. Sic communiter Theologi tam domestici, quam extranei. Prob. 1. ex Apost. ad Eph. 1. ibi: *Qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum Dei per Jesum Christum.* Ecce prædestinationem nostram per Christum: ergo & omnes ejus effectus: quia quod

est causa causa &c. Prob. 2. ex Trident. suprà laudato: *Qui :: sua, inquit, sanctissima Passione in ligno crucis nobis justificationem meruit;* atqui justificatio est præcipuus effectus prædestinationis: ergo qui illam meruit, meruit etiam reliquos inferiores, vel reddatur disparitas. 3. ex D. Aug. qui lib. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 8. super illa verba: *Sine me nihil potestis facere,* sic ait: *Uno Verbo initium, finemque comprehendit,* hoc est, totum nostræ peregrinationis processum, & tam primam justificationem in via, quam ultimam glorificationem in Patria. 4. ex D. Thom. 3. p. q. 19. art. 4. in respons. *Exinde est, quod meritum Christi se extendit ad alios (præter se) in quantum sunt membra ejus;* sed omnia membra, & non solum aliqua dependent à directio-
ne, & capitis corporei guverno: ergo omnes virtutes, earumque actus, effectusque prædestinationis numerati à capite meritorio Christo dependent meritorie.

41 Prob. 5. ratione: Christus meruit nobis aliquos effectus prædestinationis: ergo & omnes suprà, & in tract. de prædestin. ennumeratos. Conseq. prob. Tum, quia eadem est ratio pro aliquo, ac pro omnibus. Tum, quia omnes præsupponunt existentiam meritorum Christi, hæcque non solum cum præmio proportionata, verum & infinitè superexcedentia. Tum, quia hoc magis congruit fini redemptionis nostræ, & merito universalis Redemptoris, cuius passio, inquit D. Th. 3. p. q. 49. articulo 1. est medici-
na universalis omnium infirmita-

tum spiritualium: ergo ita est.

OPPOSITA SENTENTIA.

42 PRO hac referuntur sententia Ferrara, Capreolus, & alii, quos citant N. Salm. hic n. 97. Obs. 1. D. Thomam, qui 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. ait. *Passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpe, & ad adoptionem gloria;* sed effectum non habet, nisi in illis, qui *Passioni Christi conjuncti sunt per fidem, & charitatem:* ergo saltim illa auxilia, quæ præcedunt fidem, & charitatem, non dependent à meritis Christi. Nego hanc conseq. aliud est enim quod hæc auxilia, quippe quæ merè sufficientia, non sortiantur effectum, in quem diriguntur; aliud est quod ipsa non sint effectus meritorum Christi. Primum quidem est verum; secundum autem omnino falso.

43 Obs. 2. Si Christus Dominus meruisset nobis prædestinationem, hæc non ex gratia, sed ex iustitia nobis adjudicaretur; sed hoc pugnat cum nostra, & omnium Thomitarum doctrina, quæ non ex operibus, nec meritis, sed ex voluntate, & gratia nos docet prædestinasse divinam voluntatem: ergo non est admittendum. Dist, sequelam maj. non ex gratia, sed ex iustitia, quæ sit talis respectu nostri, nego; quæ sit talis respectu Christi, subdist. fundata in gratia Incarnationis, conc. præcissivè ab illa, nego sequelam, & min. cum conseq.

Explicatur: respectu nostrinon fuit iustitia, sed pura gratia præ-
def-

destinatio passiva, de qua loquimur; fuit verò respectu Christi: quia suppositis ejus meritis, & pacto Dei placandi se per illa, nosque in sui gratiam, & gloriam recipiendi, ex justitia Christo harum collatio debebatur, sed non ex justitia, quæ non fundaretur in gratia, qua disposuit Deus gratis Filium suum incarnari, pactum cum ipso iniens retribuendi suis meritis præmium nostræ justificationis. Unde tandem in gratiam ultimè, & remotè refunditur hoc negotium nos prædestinandi, licet proximè ex justitia Christo, non nobis debeatur. Vide in confirmationem hujus responsionis N. Paulum n. 76. per totum.

44 Obs. 3. Plures sunt effectus prædestinationis, quos Christus non nobis meruit, nec potuit: ergo fallit conclusio nostra. Prob. 1. Auxilia sufficientia sunt effectus prædestinationis nostræ; sed hæc non sunt merita per Christum: procedunt enim ex voluntate Dei antecedenti, quæ præcessit decretum incarnandi: ergo. ¶ 2. Permissiones peccatorum sunt effectus prædestinationis nostræ; & tamen nequit dici, quod ipsæ sunt meritæ per Christum, alias permisso peccati dicetur præmium Christo, quo quid absurdius? Ergo. ¶ 3. Christus solummodo nobis meruit, quod per peccatum Adæ amissimus: venit enim illius damna reparare; sed Adam non amissit fidem, & spem: ergo has virtutes non meruit nobis Christus. Nunc sic; sed hæc sunt effectus nostræ Prædestinationis: ergo non omnes meruit nobis Christus.

45 Ad argum. resp. negando ant. & maj. primæ probationis: quia tam voluntas ant. salvandi homines, quam conseq. conferendi eis gloriam, ortum dicit ex decreto prædestinativo Christi, & meritorum ejus. ¶ Ad secundam resp. quod permissiones peccatorum non sunt effectus prædestinationis nostræ, nisi prout conducunt ad majus nostri bonum. Unde potuit illa mereri Christus, & pro illis orare: nec enim in hac oratione aliquid mali à Patre suo peteret, sed ne bonum auxilii efficacis peccatoribus tribueret: & sicut Patrem non decet negare nobis bonum aliquod, quod sibi non placet, sic nec Filium ab ipso, ne conferat illud, postulare. ¶ Ad 3. Omissa sententia Vazquezii, quod Adam fidem amiserit, afferentis, respondetur, quod licet fides, & spes Adamo per peccatum non desuissent, manserunt tamen informes, infirmæ, imò & quasi mortuæ: deerat enim eis vita gratiæ, sine qua non minus quam sine operibus mortuam esse fidem dicere possumus. Unde D. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. in resp. luculenter probat ex D. Aug. Incarnationis necessitatem, & convenientiam ad promovendum hominem ad bonum, scilicet fidem, spem, charitatem, & participationem divinæ bonitatis.



DISPUTATIO IV.

DE ADOPTIONE, FILIATIONE, ET
servitute Christi.

D. Thom. de his tribus agit divis in locis, seu quæstionibus non immediatè sequentibus, sed satis inter se dissitis: nam de servitute q. 20. de adoptione q. 23. de filiatione in ordine ad Matrem q. 35. art. 3. de ipso in ordine ad Spiritum Sanctum, & totam Trinitatem q. 32. art. 3. agit. De quibus tamen omnibus in hac unica disp. brevitatis gratia agendum nobis est per sequentia dubia, quibus præfertur de adoptione

DUBIUM I.

UTRUM CHRISTUS IN QUANTUM
homo sit Filius Dei adoptivus?

D. Octores utriusque classis, Chori, scilicet, & fori, hoc est Theologi, & jurisperiti sic definiunt adoptionem: *Gratuita assumptio Personæ extraneæ ad hereditatem, Hæc adoptio defacto datur inter Deum, & homines juxta illud Apost. ad Rom. 8. Accepisti Spiritum adoptionis Filiorum.* Et ad Galat 4. *Ut adoptionem Filiorum recipieremus.* Idem dicimus respectivè ad Angelos: Cum enim causa formalis adoptionis sit gratia habitualis, per quam participes naturæ Dei sumus, huicque similes sumus, & in hac nobiscum Angeli convenient, ipsi etiam Filii Dei adoptivi appositè dicuntur. Id

quod pro hominibus constat ex Trid. sess. 6. c. 4. Et pro his, & Angelis, ex Angelo Scholarum 3. p. q. 23. art. 3. Cum ergo Christus in hac habenda gratia ab hominibus non discludatur, merito inquirimus, conveniente ipsi Filiatio Dei Patris adoptiva, sicut cæteris hominibus?

CONCLUSIO

Communis negat, quam Thomistæ contra Durand. & aliquos Scotistas (non vero contra Scotum, qui licet problematicè hanc peragat quæstionem, in nostram plusquam in contrariam partem inclinat) Eamdem tenet expressè D. Thom. 3. p. q. 23. art. 4. quam probat ex D. Ambr. lib. de Incarn. dicente: *Adoptivum Filium non dicimus Filium esse natura, sed eum dicimus natura esse Filium, qui verus est Filius.* Christus autem est verus, & naturalis Dei Filius secundum illud Joan. 1. Epist. c. ultimo: *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo.* Ergo Christus secundum quod homo non est Filius adoptivus. Mittimus auctoritatem Concilii Francifordiensis, quæ errorem eliminat Nestorii hanc admittentis adoptionem: quia tamen procedit in suppositione erronea, & hæretica duplicitis in Christo suppositi divini, & humani, & ut summum virtualiter, & indirectè propulsat nostræ contrariam sententiam, sufficit illam solummodo mentari, & Lectores ad NN. Salm. disp. 19. dub. 2. à n. 29. ut illam rimentur, & ruminent, remittere.

3 Prob. 1. ratione: Ideò Christus

tus esset ut homo Filius Dei adoptivus: quia reduplicatio sit supra ly *homo*, cui sicut repugnat esse coeterum Patri, ita etiam esse Filium naturalem; sed haec ratio non valet. Prob. minor: nam Christus ut homo concretive sumptus non solum dicit humanitatem, sed & personalitatem illam substantantem (nam si personalitas excludatur, denominatio Filii deest, quae solius Personæ propria est) ergo Christus licet ut homo reduplicet humanitatem at in hac propositione: *Christus ut homo est Filius*, ratione prædicati nequit absolvit esse Personam divinam; sed hanc de Fide est esse Filium naturale: ergo falsum, quod sit Filius adoptivus: quia denominatio Filij supra Personam cadit, quæ unica, & divina, & Filius naturalis est: ergo vel, ut homo non est Filius, vel debet esse naturalis.

4 Prob. 2. Christo ut homini repugnat adaptari filiationem adoptivam: ergo ipse non est Filius adoptivus. Ant. prob. ex definitione suprà tradita n. 1. *Assumptio persona extranea*; sed Christi Persona non est extranea in ordine ad Deum assumentem: ergo talis definitio nequit adaptari filiationi Christi. ¶ Respondent adversarij, quod licet suppositum materialiter sumptum sit idem; attamen formaliter acceptum, hoc est, sub reduplicatione hominis potest dici extraneum: quia Deus nec in se, nec à se, nec ab æterno hanc habet conjunctionem cum homine, quod indicat hunc esse sibi extraneum, non naturalem, nec coeterum.

Sed haec responsio facile dehiscit, si ad immediate dicta reflectas: non enim homo sine personalitate divina est Filius: quia sic non est Persona: undè vel Christus ut homo non est Filius, quod absit, vel debet esse naturalis: quia Persona ratione cujus denominatur Filius, est propria, & intima assumentis. Si autem homo sine personalitate sumatur in ly ut homo, cadet totus sensus supra humanitatem, cuius adoptionem reprobat Concil. suprà laudatum per haec verba: *Quam adoptionem prævissimo sensu qui scripsit Epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem*. Et D. Thom. 3. p. q. 23. art. 4. per haec: *Filiatio propriè convenit Personæ, non nature*. Et ad 1. ait: *Et ideo cum dicitur, quod carnis humanitas adoptatur, impropria est loquutio: & accipitur ibi adoptio pro unione naturæ humanae ad Personam Filij*.

ARGUMENTA OPPOSITA.

¶ **O** Bf. 1. illa verba, quæ in Missa Gothicæ olim canebantur, quibusque DD. Eugenium, Ildephonsum, & Julianum Archiepiscopos Toletanum usos fuisse ferunt: vel si hoc non admittatur, D. Isidorum, ait hic N. Paulus illorum fuisse Authorem, vel auctorem: haec sunt ea: *Qui per adoptivi hominis Passionem, dum suo non indulxit corpori*. Et in Missa de Ascensione Domini: *Hodie Salvator noster per adoptionem carnis sedem repetivit Deitatis*. Similiter loquitur D. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Potestatis dignitas non amittitur (in Christo) dum carnis humilitas adoptatur*. Et D.

D. Irenæus lib. 21. ad Hæres. ait: *Qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, ut adoptionem peripiens fiat Filius Dei.* Imitatur illos Marius Victorin. lib. 1. contra Arium: ergo juxta SS. PP. Christus ut homo Filius Dei adoptivus est.

Ad 1. respondetur, D. Isidorum nostram sententiam adoptasse, dum lib. de doct. & fide c. 2. adoptionem Christi rejecit per hæc verba: *Ut veritas Unigeniti non adoptione, vel appellatione, sed in utraque naturitate Filij veri, & propriu nomen nescendo haberet.* Unde ne tantus Dr. contrarius sibi dicatur, hæc & omnia relata testimonia intelligenda sunt de adoptione, quæ cum unione, vel assumptione humanitatis ad Verbum coincidit. Sicque ea intellexit D. Ildephons. dum in lib. de perpet. Virginit. M. dixit: *Non ergo illum, ut ceteros adoptio filios Dei, fecit Filium, &c.* Quod & D. Thom. num. antec. laudatus confirmat, respondens ad D. Hilarij auctorit.

6 Obs. 2. Diversitas naturæ sufficit ut Christus dicatur simul debitor humanus, & creditor divinus: similiter ut dicatur Filius æternus Dei, & Filius temporalis Virginis: ergo potest itidem ratione ejusdem alienatus dici Christus Filius naturalis, & simul adoptivus Dei. Rèsp. concessio ant. quoad primam partem, negando conseq. quia esse debitorem Christum, & simul creditorem non sunt denominations, quæ ratione personæ ipsi convenient, sed ratione naturarum: & ideo ratione humana, quippequæ subjectum satisfactionis est; satisfacit Deo Patri Fi-

lius, & sic est debitor: ratione vero divina, quippequæ subjectum formaliter est bonitatis offendæ (quæ bonitas non sic relucet in Personis) habet jus ad debiti solutionem, & sic obit munus creditoris.

Quoad secundam similiter, conc. ant. & nego conseq. Stat disparitas in eo, quod Verbum ratione distinctarum naturarum distinctas terminat generationes, & ratione unius dicitur Filius naturalis, & Filius temporalis ratione alterius: quia neutra denominatio connotativè ad suam formam versatur contra naturam, & definitionem alterius: imò utraque petit Personam esse propriam, & non extraneam generanti, vel assumenti; at non sic velimus Christo adaptare denominationem Filij adoptivi: quia hujus natura, & definitio petit alienatum in Persona, quippequæ extranea debet esse, qualis non est Christus.

7 Obs. 3. Ideò Christus non esset Filius adoptivus: quia denominatio Filij cadit supra Personam divinam, quæ propria est, & non extranea; sed falsum est talem denominationem esse solius Personæ propriam. Hæc minor prob. Eadem est denominatio geniti, atque Filij; sed illa recipitur in natura juxta D. Thom. in 3. dist. 8. ergo & hæc: ergo ratio nulla est. Concessa maj. nego min. cuius probationis major rem dist. eadem est denominatio geniti adæquatè sumpta, ac filii, nego; inadæquatè accepta, conc. maj. & dist. min: denominatio geniti recipitur adæquatè in natura, nego; inadæquatè, conc. min. & nego con seq.

seq. Denominatio geniti respicit terminum *qui*, & hic est, qui adæquatè denominatur genitus, coinciditque cum ratione Filii: & sicut hæc denominatio est propria Personæ, ita & nominatio geniti, seu termini *qui*. Respicit etiam terminum *quo*, seu formalem, & hunc, qui est natura, denominat juxta D. Thom. inadæquatè genitum; ast sic non coincidit cum denominatione Filij: quia natura non sed Persona est quæ dicitur Filius.

8 Obs. 4. Sicut ad filiationem adoptivam requiritur extraneitas personæ, ita ad naturalem requiritur intraneitas suppositi; & tamen videamus, quod Christus est Filius naturalis B. M. estò suppositum sit extraneum: ergo similiter, estò sit intraneum, non obstat ad hoc, ut sit Filius adoptivus. Resp. concessa maj. negando min. quia licet naturæ humanæ aliàs, & præcissivè ab intima unione perfectissima cum divina Persona, sit hæc extranea, at sic unita, sic illam sibi appropriat, ut non extranea dicatur: quia propriam facit sibi illam, & propriissimam.

9 Obs. 5. Christus, qui secundùm naturam divinam est Filius naturalis Dei, secundùm humanam est adoptivus S. Joseph: ergo alietas naturæ sufficit ad naturalem, & adoptivam filiationem. Concesso ant. disting. conseq. sufficit respectu ejusdem Patris, nego; respectu diverorum, conc. Est disparitas à nostro casu in eo quod si Pater est idem, est unica Persona, & hæc una cùm sit, nequit dici simul propria, & extranea; in casu vero posito, cùm

assignetur duplex Pater, si Persona Filij est propria unius, scilicet Dei, erit extranea respectu alterius, scilicet Joseph, dans sic locum, ut respectu hujus sit adoptivus, & respectu illius Filius naturalis.

10 Obs. 6. Non pugnat adoptio cum filiatione naturali, ut patet in Filio, qui cùm sit proprius, & naturalis, emancipatur, vel exhäuserdatur per Patrem, quem tamen potest illum sibi iterum reddere, & adoptare juxta Leg. *qui liberatus* ff. de Adop. erg. nec pugnat in Christo esse simul naturalem, & Filium adoptivum. Resp. quod filatio naturalis numquàm defuit, nec deesse potuit filio exhäuserdato, ni extrinsecè, & per legem: undè quandò per legem adoptatur, non propriè dicitur adoptatio, sed restitutio filiationis naturalis, & non restitutio realis, & intrinseca, sed extrinseca ex dispositione humana proveniens.

11 Obs. 7. Christus ut homo non est Filius Dei naturalis: ergo adoptivus. Ant. prob. ad filiationem naturalem requiritur generatio, & ad generationem, quod natura generantis communicetur generato; sed Christo ut homini non communicatur divina: ergo non est Filius naturalis Dei. Resp. dist. ant. Ut homo non est Filius Dei naturalis, ly ut homo sumpto reduplicativè, hoc est, ratione humanitatis, transeat suppositum: sic enim nullo modo est Filius. Sumpto specificativè, hoc est, in quantum ly homo continet in se subsistentiam divinam, seu filiationem naturalem, nego ant. & conseq.

Solutio patet, sed replica instat: Ergo etiam hæc propositio, *Christus ut homo est Deus*, erit vera in aliquo sensu formalis: continet enim *ly homo* in se Personam divinam, quæ Deus est. Resp. esse quidem veram per communicationem idiomatum, non verò in sensu adeò formalis, & immediato sicut altera: quia deitas non communicatur Christo directè, & immediatè, sed indirecte, & mediataè, hoc est, mediante personalitate, filatio verò directè, & immediatè: quia est propria personalitatis, quæ immediate communicatur. Ad id quod tangitur de generatione, fatemur ad filiationem in sensu formalissimo requiri generationem, & communicationem naturæ generantis; ad filiationem autem in sensu utcumque vero, & formalis, sufficit quod Christus, ut homo sit verè, & formaliter Persona divina: nam cùm Persona hæc sit verè Filius naturalis, ei, cui communicatur personalitas, debet etiam communicari filatio naturalis.

12 Obs. 8. Gratia habitualis facit eam habentem filium adoptivum, sed Christus eam habet: ergo. Dist. maj. facit Filium adoptivum tamquam effectum primarum, & indispensabilem, nego, tamquam secundarium, & defectibilem, conc. maj: & distincta similiter min. nego cons. Solutio patet, sed tamen rejicitur: quia gratia habitualis indispensabiliter est fundamentum ad filiationem adoptivam, tribuitque jus physicum ad hæreditatem Dei; sed posito fundamento, debet poni indefectibiliter filatio:

ruit ergo solutio. Dist. maj. gratia habitualis ut connotans extraneitatem personæ est fundamentum, conc; absolutè, nego maj. & dist. min. posito fundamento materialiter sumpto, nego; formaliter accepto, conc. min. & nego conseq. Gratia habitualis, quam Christus habuit, non adoptat ipsum Patri: quia ipsa non utcumquè est fundamentum filiationis adoptivæ sed formaliter sumpta, hoc est, prout connotans extraneitatem Personæ: si enim connotat proprietatem, solum erit fundamentum adoptionis remotè, & materialiter, non verò actu & formaliter.

13 Obs. 9. Licet de Christo nequeat dici absolutè, quod fit Filius Dei adoptivus, id non inconvenit de ipso proferre cum addito *in quantum homo*, quo in sensu procedit quæstio: ergo ruit conclusio. Prob. ant. Licet de Christo nequeat absolutè dici, quod est creatura, vel Sanctus per participationem, potest tamen de illo asseri cum addito prædicto: ergo pariter in nostro casu. Resp. esse aliqua quæ Christo convenient ratione suppositi, & hujusmodi est Filiatio, nec enim sola natura est Filius. Unde vel Christus non est Filius, vel debet esse ratione Personæ: hæc autem cùm non sit extranea, non facit eum adoptivum sed Filium naturalem. Alia sunt, quæ convenient Christo ratione naturæ, ut esse creaturam, quod convenit omni, quod fit ex nihilo proximè, vel remotè: & esse Sanctum per participationem, quod convenit omni, quod est Sanctum, & non est Deus.

Ex quibus patet, quod esse Christum Filium adoptivum non convenit Christo adhuc cum addito *ut homo*: quia si *ly ut homo* excludit suppositum, nullo modo est Filius, nec naturalis, nec adoptivus; si verò includit suppositum, hoc, cùm sit proprium, & non extraneum, facit illum Filium naturalem. Esse verò creaturam, & Sanctum per participationem, si reflectatur supra additum humanitatis, non dedecet de Christo prædicari: quia tales denominations sunt de genere earum, quæ sine inconvenienti cadunt supra naturam seu humanitatem, quæ verè ex nihilo facta fuit, & licet sit sancta per gratiam, non tamen est Deus. Sublato tamen addito, nequit dici Christus creatura, ne cum Hæreticis videamus convenienter, qui Christum creaturam vocabant: quia in ipso Personam creatam supponebant. Potest verò absolute proferri passum esse: quia circa hoc prædicatum nulla est cum eis concertatio, sed omnes consentiunt in eo, quod hoc, & id genus alia prædicata ratione humanitatis ipsi convenient.

14 Obs. 10. & ultimò: Christus *ut homo* est verè servus Dei, & licet Filius sit naturalis Patris, respectu verò Trinitatis est Filius adoptivus in quantum homo; & tamen non est extranea Persona: ergo ratio hæc non favet conclusioni. Ut hoc solvas argumentum, duo sequentia instituimus dubia, quorum primum est

DUBIUM II.

*AN CHRISTUS UT HOMO VERE, ET
propriè sit servus Dei?*

NON querimus de servitute peccati, de qua Joan. 8. dicitur: *Omnis, qui peccat, servus est peccati:* quam etiam Trid. sess. 5. can. 1. vocat servitutem diaboli. Nec de Legali servitute, *qua quis dominio alterius contra naturam subjicitur*, ut eam definiunt juris periti Leg. Liberas 4. §. servitus: quia hæc, ut ex se patet, Christum dedecent. Sed de naturali, propria cuiuslibet creaturæ respectu Dei, ratione creationis, conservationis, & inferioritatis; & ob quam ipsa tenetur Deo servire, & Deus potest de illa facere quod voluerit. De hac ergo sit

NOSTRA CONCLUSIO.

15 **Q**Uæ affirmativa est, quamque sequuntur omnes Thomistæ, & communiter Scotistæ cum pluribus Jesuitis. Prob. 1. ex Sacra Scripturam Isai. 53. dicitur de Christo: *Justificabit ipse servus meus multos: & iniurias eorum ipse portabit.* Et Zachar. 2. *Ecce enim ego adducam servum meum orientem.* ¶ Prob. 2. ex SS. PP. quorum D. Chrysost. Serm. 7. super illa verba: *formam servi accipiens,* hæc ait: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma servi perfectus est servus.* Et D. Thom. 3. p. q. 20. art. 1. ad 1. confirmat expressè hanc doctrinam: & ad 2. sic ait: *Nihil*

prohibet Christum dicere Patri subjectum,
vel servum secundum humanam naturam.

¶ Prob. 3. ratione ipsius laudati D. Thom. in corp. Omne, quod habet aliquam naturam, habet etiam hujus proprietates; sed Christus habet naturam humanam, cuius una est proprietas, subjectio, & servitus ei, qui illam sibi, & ad se creavit: ergo verè servus Dei est.
 ¶ Prob. 4. Quia Christus ut homo fuit capax virtutis Religionis: ergo & servitutis. Ant. patet: quia defactò Deum oravit, adoravit, ei se prostravit, sacrificiaque libavit. Conseq. infertur: quia nulla sunt expressiora servitutis signa, quam orationes, adorationes, prostrationes, & sacrificia: ergo tenet nostra conclusio, & fallit

SENTENTIA CONTRARIA.

16 **H**Anc defendunt Vazq. Huterque Hurt. Lugo, Becan. & novissimè Lardito, quæ prob. 1. ex Concilio Francofordiensi dub. antec. laudato, in quo reprobatur sententia eorum, qui Christum Dominum servum vocant, & Filium adoptivum. Id quod Adrian. I. in sua Epist. temeritatis nota dicere inurit. 2. ex D. Aug. dicente: *Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma servi Dominus fuit.* Similiter loquitur D. Chysoft. Homil. 13. in Epist. ad Hebr. *Sicut factus servus, non manxit servus, sic & minister factus, non manxit minister.* Id ipsum docent multi PP. apud N. Salm. hic videndi. Resp. Concilium, & SS. PP. solùm velle excludere ser-

vitutem Christo indignam, scilicet peccati, vel legalis, vel si plus, illam servitutem, quæ ipsi ut Deo, vel secundum quod est Persona divina competere dicatur.

17 Obs. 2. D. Damascenum, qui lib. 3. c. 21. sic ait de Christo: *Siendum autem, quid neque Servum ipsum dicere debemus: nam servitutis, & dominii nomina non naturæ sunt nomina, sed ad aliquid quemadmodum Paternitatis, & Filiationis nomina.* Nunc sic; sed hac de causa exclusimus adoptionem à Christo: quia scilicet in illo non sunt duo ad aliquid sive duas Personæ, una propria, alia extranea: ergo hac de eadem negare debemus illi servitutem. Respondet D. Thom. 3. p. q. 20. art. 2. ad 1. quod Damascenus solùm negat Christum esse Dominum sui ipsius, secundum quod per hoc importatur pluralitas suppositorum, quod est dicere solùm exclusum iri servitutem suppositalem, hoc est suppositi ad suppositum contraponentes in Christo duas Personas, non verò servitutem naturæ creatæ ad Deum illius Creatorem.

18 Obs. 3. D. Thomam 3. p. q. 20. art. 1. ad 2. ubi ait, quod natura humana non dicitur propriè domina, vel serva, sed hypothesis ratione naturæ, ex quo sic: Ideò non dicitur Christus Filius adoptivus: quia hoc nomen proprium est non naturæ, sed Personæ, quæ cum sit divina nequit adoptari; sed etiam nomen servi solùm convenit propriè Personæ, non verò naturæ juxta D. Thom. ergo cum Persona sit divina, nequit dici Christus servus. Respondet sibi D. Thom. aliud esse

naturam divinam esse servam vel dominam, & hoc impropriè dicitur de ea, aliud quòd Persona denominatur Domina, vel serva secundum h.m., vel illam naturam. Et secundum hoc (concludit) nihil prohibet Christum dicere Patri subjectum; vel servum secundum humanam naturam. Unde estò nomen servi non naturæ propriè conveniat, convenit verò propriè Personæ ratione naturæ; econtrà filiatio neque convenit naturæ, nec ratione naturæ convenit Personæ. Exemplum habes in albo, quod ratione albedinis disagregat visum, & tamen de albedine non dicitur propriè disaggregare, sed id, quo subjectum ejus disaggregat.

19 Obs. 4. Natura humana habet ad se sequutam potentiam peccandi; & tamen non dicitur peccator Christus eam habens: ergo non ex hoc, quòd servitus sit proprietas naturæ humanæ, sequitur illam Christum sibi contraxisse. Nego conseq. & paritatem: quia potentia peccandi non utcumque sequitur ad humanitatem, sed in quantum connotat Personam humanam peccatricem; servitus verò est proprietas humanitatis præcissivè à Personæ connotatione: quia sive illam connotet, sive non, semper est creatura, de cuius est ratione subjici Creatori.

20 Obs. 5. D. Thomam 3. p. q. 20. art. 1. ad 2. ibi: *Relatio servitutis, & dominii fundatur super actione, & passione. Agere autem non attribuitur natura sicut agenti, sed Personæ: ergo si sola Persona est agens, sola Persona potest esse serva; at hoc nemo admittit: ergo &c.* Resp. quòd,

supra actionem, & passionem plures fundantur relationes, quarum aliæ conveniunt ratione Personæ, ut sunt Paternitas, & Filiatio; aliæ vero ratione naturæ, ut sunt relationes dominii, & servitutis. Inter quas hæc est differentia, quòd licet utræque supponant Personam agentem; at vero Personæ convenit agere primò & per se ratione talis, & ideo natura non dicitur generare, sed Persona; deinde naturæ primò, & per se, *ut quo* convenit servire, orare, adorare Deum, & solùm ratione naturæ, & secundum illam possunt hæc obsequia Personæ divinæ accommodari uti ex D. Thom. diximus n. 18.

D U B I U M III.

*AN CHRISTUS UT HOMO SIT FILIUS
Spiritus S. an ve solius Patris?*

21 **R**atio hominis in Christo duo dicit, scilicet, humanitatem, & suppositum. Unde si adæquatè sumatur, titulum quæsti supponimus indubium; si vero inadæquatè, prout unam reduplicat partem, hoc vocamus in dubium. Et quidem si pars supra quam fit reduplicatio est humanitas, fateri tenemur propositionem tituli negandam esse, tam respectu Spiritus S. quam & Patris. Tum, quia denominatio Filiationis non est propria naturæ, sed Personæ. Tum, quia id clare colligitur ex D. Th. 3. p. q. 16. art. 11. ubi hanc propositionem, *Christus ut homo est Deus, ly homo* appellante supra Humanitatem, docet esse negandam: ergo etiam

etiam, ea de qua loquimur: nam ut ait N. Paulus hic n. 37. est quasi identica cum ea, de qua D. Th. loquitur. Unde difficultas sub his terminis discutienda venit: an Christus ut homo, ly homo dicente formaliter suppositum, & solum concomitanter naturam humanam, dicendus sit Filius naturalis filius Patris: an ve etiam Spiritus S. seu totius Trinitatis?

CONCLUSIO NOSTRA.

22 **D**icendum, Christum ut hominem, ly ut reduplicante modo praemisso, filius Patris aeterni posse dici Filium naturalem; in nullo vero sensu formaliter posse talem dici Spiritus S. vel totius Trinitatis. Conclusio duas continet partes, quarum prima sic probatur ex Epist. Adriani approbantis Concilium Franciscordiense, ubi ait: *Animadverte, quod nihil volis restat, ut secundum divinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem: Hic est Filius meus; sed potius super Humanitatem.* Confirmat hoc D. Aug. tr. 82. in Joan. Nos Filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sanè. Roborat idem D. Thom. 3. p. q. 24. art. 2. ubi docet, terminum praedestinationis Christi, ut hominis esse filiationem naturalem Dei. Ex quibus sic proceditur: In aliquo sensu vero sunt admittenda predictæ auctoritates, in quibus filatio naturalis tribuitur Christo ut homini; sed non in eo, quod humanitas dicatur filia, quod sàpè ex-

clusimus, nec Verbum solum: nam sic non est Christus, de quo loquimur, nec sic est prædestinatum, sed prædestinantem: ergo intelligendæ veniunt de Christo ut homine dicente suppositum formaliter, & humanitatem concomittanter.

23 Diximus consultò in conclusione posse dici Filium naturalem Patris Christum ut hominem, & non diximus, dicendum esse, ut innuamus, quod solum est id verum dicere in aliquo sensu, scilicet, sub reduplicatione facta in Prænotabili: *Quia tamen* (inquit D. Thom. 3. p. q. 16. art. 11. loquens de hac simili propositione, *Christus in quantum homo est Deus*) *terminus in reduplicatione positus magis propriè tenetur pro natura, quam pro supposito, ut supra dictum est, idè magis est ista deneganda: Christus secundum quod homo est Deus, quam sit affirmanda:* ergo cum propositio nostræ conclusionis sit juxta N. Paulum, & rationem similia, magis neganda est, quam affirmanda; & tamen dicimus in conclusione, posse Christum ut hominem dici Filium naturalem Patris: quia & D. Thom. ibi in corp. hanc propositionem, *Christus ut homo est Deus*, concedit esse veram in sensu à nobis explicato. Itaque ut salvetur nostra conclusio, illa reduplicatio ut homo non intelligatur esse strictè talem, sed potius favens sensum specificativum aliquomodo formalem, ut inquit N. Paulus n. 43.

24 Quoad secundam partem prob. jam conclusio, scilicet, quod Christus ut homo in nullo vero sensu dici potest Filius Spiritus S. vel

Tract. X. Dis. IV. de Adop. Filiat. & Servit. Christi, D. III. 209
totius Trinitatis. Et primò ex Concil. Tolet. 11. in confessione Fidei: *Nec Spiritus S. Pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria, eodem Spiritu S. obumbrante, concepit, ne duos Pares Filii videantur afferere, quod utique nefas est dicere.* 2. ex D. Aug. in Enchirid. c. 40. & lib. 2. de Trin. c. 10. ubi ait: *Neque enim Jesus etiam Spiritus S. Filius, aut etiam suus Filius credi, aut intelligi potest.* Per amplius id ipsum exprimit D. Thom. 3. p. q. 32. art. 3. in corp. Comprehendens in hac exclusione totam Trinitatem: sic enim ait: *Nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus S. nec etiam totius Trinitatis.* Nullo modo inquit, quasi omnem exclusens sensum, in quo id verificari possit: ergo vera est nostra conclusio. Ex quibus

25 Prob. ratione primò: nam juxta laudatum Concil. Si Christus in quantum homo esset Filius Spiritus S. haberet duos Patres, alium æternum, alium Spiritum S. vel etiam totam Trinitatem; sed hoc juxta illud nefas est dicere: & juxta D. Aug. credi, nec intelligi potest: ergo non est admittendum. ¶ Prob. 2. ex D. Thom. laudato q. 32. Si aliquomodo Christus ut homo diceretur Filius Spiritus S. vel totius Trinitatis, esset ratione creationis humanitatis, vel sanctificationis, ex qua & nos Filii Dei nominamur, & sumus; sed neutrum dici potest. Hæc minor prob. Tum, quia opponitur D. Thomæ in dicta q. 32. ubi docet, quod in Christo nulla alia datur Filiatio, quamquam in æterna fundatur generatio-

ne. Tum, quia generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ; Christus autem à Spiritu S. non procedit in similitudinem naturæ humanæ, ut supponitur, nec divinæ: quia nec Verbum sic ab illo procedit, estò habeat eamdem naturam, ut probatum relinquimus tr. de Trin. disp. 1. dub. 5.

Tum, quia hæc filiatio si esset ratione sanctificationis, solùm argueret adoptionem sicut apud nos, quamque jam exclusimus suprà, nec de illa in præsenti sermo est: si ratione creationis, hæc ut summum argueret Christum esse effectum, non Filium, ut explicat D. Thom. exemplo ignis, & capilli, qui nascuntur, ille ex igne, hic ex homine; & tamen neuter dicitur filius hominis, vel ignis; alter, quia non fit per generationem viventis; & alter, quia non fit in similitudinem naturæ: ergo cùm hoc ultimum desit in præsenti, deest etiam ratio filiationis. Tum demum: quia quod est filius filiatione perfecta, nequit esse talis filiatione inferiori; sed Christus semel est filius filiatione perfectissima Patris: ergo repugnat esse iterum Filium per inferiorem ortam ex creatione, vel sanctificatione. Et sic concludit D. Thom. laud; *Unde quivis secundum humanam naturam fit creatus, & justificatus, non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis.*

OPPOSITA SENTENTIA.

26 IN diversis AA. diversæ sunt viæ per quas obviā nostrā eunt conclusioni. Ex eis paucas exponemus: quia nec adeo sunt diffīciles, ut ex dictis non facile dehiscant, nec sic utiles, ut sine illis hæc quæstio non maneat sufficienter discussa. Obs. 1. Epistolam Adriani supra laudatam in qua super illa verba: *Hic est Filius meus dilectus*, in quo mihi complacui, sic ait: *Dum dicit complacui (totam simul Trinitatem comprehendit: quia in homine Christo tota complacuit Trinitas* (Matt. 3.) sed idem fuit qui dixit: *Filius meus es tu*, ac qui dixit: *complacui*: ergo si tota Trinitas complacuit, totius fuit Trinitatis Filius, in quo complacuit. Resp. cum communi Expositorum, quod voces illæ omnes à tota fuerunt emissæ Trinitate, cum hac verò differentia, quod illæ: *Filius meus es tu*, repræsentando Patrem, cuius Filius erat; alia verò repræsentando totam Trinitatem, cùjus erat complacentia.

27 Obs. 2. Si Spiritus-S. assumeret humanitatem, homo qui tunc esset, diceretur Filius Dei, prout Deus dicit tres Personas: ergo etiam esset Filius totius Trinitatis; sed homo Christus, qui nunc est, eodem modo terminat actionem productivam Dei, ac tunc: ergo erit etiam nunc Filius Trinitatis. Resp. negando maj. non enim diceretur homo ille Filius ratione Spiritus-Sancti eum terminantis: quia Spiritus-Sancti Filius non est; sed aliás nec ratione aliarum

Personarum: quia licet ab ipsis produceretur, non esset in similitudinem naturæ: ergo non posset dici Filius, sed excellentissimus effectus, vel etiam homo Deus ratione Personæ divinæ eum terminantis. Et licet concederemus maj. non est cum præsenti casu paragium, in quo Christus supponitur perfectè Filius ratione generationis æternæ, impeditque filiationem imperfectam ratione productionis, cuius contrarium fieret in casu Incarnationis Spiritus-Sancti.

28 Obs. 3. Christus ut homo in nullo vero sensu procedit à Deo Patre per generationem viventium; sed hoc requiritur ad rationem Filij: ergo ut homo nullo modo est Filius Dei Patris. Resp. negando ant. quia eo modo verificatur procedere à Deo Patre, quo esse Filium Dei Patris, ad quod sat est, quod uniatur illi Verbum, quod verè procedit à Deo Patre per generationem viventium: & sicut communicat illi esse Filium, sic etiam esse generatum. ¶ Contra: ergo etiam poterit Christus ut homo dici Verbum Dei, quod quidem dissonare videtur. Respondet N. Paulus affirmativè, in quo non agnoscit dissonantiam. Sed, si per ipsum nobis liceat, negamus cons. quia Verbum est vox ad significandum Filium prout ad intrâ partum; Filius verò latius patet, extenditurque & ad Filium etiam exteriorius emissum: & cum Christus ut homo exterior Filius sit, saltim quoad humanitatem, hinc est, quod propriè Filius, & minùs propriè Verbum sit dicendus.

29 Obs. 4. Si Pater assumeret hu-

humanitatem, Christus ut homo non esset Pater Verbi: quia Christus tunc non haberet Filium: ergo nec in nostro casu Christus ut homo erit Filius Patris. Resp. negando ant. quia in Divinis non est minus esse filium Patris, quam Patrem Filij: Si ergo esse Filium Patris communicatur nunc Christo ut homini, utique communicaretur esse Patrem Filij in illo casu, & tunc Christus haberet Filium, sicut nunc habet Patrem.

¶ Dices: ergo si, quia Verbum est Filius, Christus ut homo habet etiam esse Filium, si Verbum assumeret naturam irrationalem, v.g. equinam, equus esset Filius naturalis Patris, imò si Pater assumeret illam, equus esset Pater Filij Dei, quo quid nequius & indignius? Concedit conseq. N. Paulus cum hoc tamen discrimine, quòd Christus dicitur Filius per gratiam unionis, quæ capax reddit subjectum amicitiæ Dei; equus verò ratione solius unionis per modum applicationis: quia incapax est gratiæ. Sed venia habita à tanto Magistro, negamus conseq. quia sicut equus ob suam vilem stolidamque naturam incapax est qui gratus, & amicus Dei nuncupetur, ita, & potius qui Filius ejus dicatur naturalis, vel Pater: Verbum enim divinum (idem dico de Patre, si incarnaretur, vel si ut sic dicamus, equinaretur) non communicaturum est verosimilius naturæ assumptæ adeo sordidae & dissimili denominationes adeò supremas. Quod tamen non diffonat respectu naturæ humanae, quam ad imagi-

nem, & similitudinem suam effor-
masse certò credimus. Nec enim est
novum in nostra, & bona Theolo-
gia aliquod divinum prædicatum
communicari ad extrà sub una ex-
præssione, & non sub alia juxta ca-
pacitatem subjecti, & decentiam di-
vini prædicati. Undè in triduo mor-
tis communicavit personalitas divina
corpori, & animæ Christi esse subsist-
tentia, non verò esse filium, neque fi-
liam Dei.

30 Dices: Illa natura irrationa-
lis esset Deus (ficut defactò Corpus
Christi mortuum Deus erat) quid
ergo miravilis in eo, quòd & Fi-
lius, vel Pater esset Dei? Dist. ant.
Eset Deus mediatè, indirectè, &
identicè, conc; immediatè, directè,
& formaliter, nego ant. & assigno
discrimen in eo quòd ratio Deita-
tis communicaretur ratione personali-
tatis, & concomitanter ad ipsam, in
quo non appetet diffonantia; per-
sonalitas verò per se, & formaliter:
& licet non diffonet hanc sic com-
municari quantum ad rationem ter-
minandi, & complendi naturam irra-
tionalem, diffonat verò oppidò, quòd
sub ratione Filij, & Patris sic com-
municaretur: Diceretur enim illud
animal esse formaliter Patrem, vel
Filium Dei, quod vel auditu horridum
est. ¶ Occurrit hic quæstum,
quomodo B. V. M. dicatur Mater
Christi, & Christus ejus Filius? pro
cujus discussione remittimus Lecto-
rem ad tr. sequentem de B. V. M.
ubi in tantæ Parentis gloriam, Deo
favente, examinabimus illud disp.
2. dub. 3.

DISPUTATIO V.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

Certum est apud Apost. 1. ad Rom. Christum fuisse prædestinatum. Sic enim ait: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Difficultas est circa modum talis prædestinationis, proprium, vel improprium? necnon circa ejus terminum & subjectum? Pro quo sit

DUBIUM I.

AN CHRISTO CONVENIAT PROPRIE
esse prædestinatum?

1 PRAEdestinatio in communi (alia, quam ex D. Aug. dedimus in tract. 5. disp. 1. dub. 1. erat particularis) sic ex D. Th. 1. p. q. 23. art. 1. & 4. Et 3. p. q. 24. art. 1. definitur: *Præordinatio seu transmissio alicujus in finem aliquem supernaturalem.* Differt hæc definitio applicata nobis, vel Angelis ab ipsa applicata Christo, in eo quod respectu Christi est *transmissio ad filiationem naturalem Dei*; respectu vero nostri, & illorum est *transmissio ad gloriam.* Hac præmissa doctrina, sit

CONCLUSIO.

2 CHristus non solum ut homo, sed & absolute dicitur verè, & propriè prædestinatus. Bimembris est conclusio, & quoad primum membrum est sen-

tentia D. Thom. plurius in locis, & expressa in 3. p. q. 24. art. 2. quem sequuntur Thomistæ, Suarez, Vazquez, & alij. Prob. 1. ex illo ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David (id est Christus) secundum carnem , qui prædestinatus est Filius Dei Ecce Christus , secundum carnem, hoc est , ut hominem , prædestinatum , ad esse Filium Dei. Quæ verba sic exponit D. Thom. lect. 3. Unde Apost. prius Filium Dei incarnatum esse præmiserat , & postea ei prædestinationem attribuit , ut intelligatur prædestinatus esse , secundum quod factus est ex semine David secundum carnem.* ¶ Prob. 2. ratione idem membrum: quia de Christo ut homine verificatur transmissio in aliquod bonum supernaturale, scilicet, in filiationem Dei naturalem, ut constat ex Apost. & D. Thom. sed hæc est definitio prædestinationis: ergo hæc tribuitur verè, & propriè Christo ut homini.

3 Quoad 2. membrum conclusio est etiam expressa in D. Thom. laudato art. 1. ubi de Christo absolute prolatu (an in sequenti art. de ipso inquirit ut homine) absolute affirmat. Sic etiam Godoy, & alij contra Vazq. & alios. Prob. 1. Ideò est verum, quod Christus in quantum homo est prædestinatus: quia prædicatum, scilicet, *ly prædestinatus* appellat supra formale subjecti, hoc est, naturam humanam; sed id ipsum fit in hac propositione absoluta: *Christus est prædestinatus.* Hæc minor prob. ex N. Complut. abrev. lib. 3. de institut. cap. 10. §. deinde in fine, ubi dicitur, quod prædicatum absolutè pro-

prolatum solum stat pro illa parte subjecti, cui competere potest, ut in hac propositione: *Petrus est crispus*, ly *crispus* solum supponit pro capillis, cui accedit regula Sumularum apud N. Gavinum Sumul. part. 1. lib. 1. cap. 6. num. 56. taliter supponit subjectum, qualiter exigit prædicatum. Nunc sic; sed in hac propositione: *Christus est prædestinatus*, ly *prædestinatus* solum potest convenire Christo ratione naturæ humanæ (naturæ enim divinæ hoc repugnat) ergo appellat supra formale subjecti, scilicet, naturam humanam: ergo id ipsum in propositione absoluta, ac in reduplicativa humanitatis.

ARGUMENTA OPPOSITA.

4 Obs. 1. Prædestinatio Christi est ad esse Filium Dei; sed Christus *ut homo* includit in se Personam divinam, quæ Filius Dei est: quomodo ergo prædestinatur ad id ipsum, quod est, & includit in se? Ut huic satisfiat objectio- ni, duo excitabimus sequentia dubia circa terminum, & subjectum prædestinationis Christi, quorum resolutioni remittimus arguentem.

5 Obs. 2. Si Christus posset dici prædestinatus, etiam valeret dicere: *Filius Dei est prædestinatus ad esse Filium Dei*, quod verè nugatorium est: ergo despiciendum. Sequela ostenditur: quia nihil est aliud Christus, quam Filius Dei: ergo si Christus, & Filius Dei prædestinatus esset. Resp. ex supra dic-

tis, & infra dicendis, quod quandò diximus, Christum esse prædestinatum, qualitas prædicati exigit, ut sit prædestinatio pro Christo, seu supposito divino prout terminat naturam humanam, non obstante quod terminat & diuinam. Si vero diceretur: *Filius Dei est prædestinatus*, prædestinatio non posset cadere super suppositum, ut terminans naturam humanam: quia hæc vox *Filius Dei*, solum est imposta ad significandum suppositum divinum cum natura divina. Sed de hoc amplius infra.

6 Obs. 3. Illam regulam N. Complut. abrev. in Sum. lib. 2. cap. 6. regula 1. Quandò subjectum est concretum, & prædicatum est connotativum, seu adjectivum, hoc appellat supra materiale subjecti (quod idem docet D. Thom. 3. p. q. 16. art. 9. & 7. ad 4.) & ideo hæc est falsa: *Christus est factus*: quia ly *factus* stat pro materiali subjecti, scilicet, Persona divina, cui fieri repugnat: ergo idem dicendum de ly *prædestinatus* in nostro casu, quod scilicet stabit pro Persona divina; sed huic repugnat prædestinari: quia sua solius interest prædestinare: ergo falsa erit talis propositio.

Resp. quod attendentes ad regulas Dialecticæ, utraque neganda esset propositio, si æquè dubitaretur de appellatione prædicati; sed quia de ly *prædestinatus*, & similiter *mortuus*, *pissus*, & *sepultus*, nulli dubium est, quod solum ratione naturæ humanæ convenient subiecto, ideo sine formidine ab omnibus

bus annuntiantur. Quia vero de prædicatis, *factus*, *creatura*, *impassibilis*, acriter certatum est nobis cum Hæreticis Arianis afferentibus Christum Personam esse creatam, & Manichæis facientibus eum impassibilem: quia solum corpus phantasticum haberet, ideo ne cum ipsis confundamur, vel convenire videamur, negamus Christum fuisse factum, creaturam, impassibilem, observantes regulam primam sumularum prædictam supra n. 3.

tem? Ergo haec non est terminus.

¶ Alter, quem assignant, terminus est unio hypostatica; sed neque haec est admittenda: quia non terminus est prædestinationis, sed applicatio termini ad subiectum prædestinatum. ¶ Alter terminus est manifestatio filiationis naturalis, seu virtutis miraculorum. Hunc etiam excludit D. Thom. laudatus art. 1. dicens: *Sed sic non propriè prædestination accipitur.* Ratio est: Haec manifestatio est quid consequens, & quasi accessoriū Filiationi Dei; sed inter duos terminos à prædestinatione intentos ille est præferendus, cui consequens accidit: ergo potiori titulo filiatio, quam illius manifestatio erit terminus. Præterquamquod terminus prædestinationis debet esse gratia soli Christo data, manifestatio vero filiationis, & virtus miraculosa aliis etiam convenit à Christo. Quibus suppositis, litigium inter partes, ex una gloriam essentialē Christi, & ex alia filiationem Dei naturalem, totum, vel præcipuum est; licet de aliis non nihil tangemus.

NOSTRA RESOLUTIO.

7 **T**erminus prædestinationis est id ad quod subiectum prædestinatur, cuiusmodi est gloria respectu nostræ prædestinationis. Supponimus, terminum qui esse compositum Christus modo infrà dub. sequenti referendo. Et de termino quo formalī, seu specificativo sciscitatur. ¶ Quinque numerantur termini, de quibus, quis sit, inter AA, dubitatur, scilicet, humanitas Christi; sed hanc expræsse excludit D. Thom. 3. p. q. 24. art. 2. ad 3. quia, inquit, magis proprium est, quod homo Christus prædestinetur ad esse Filium Dei, quam quod Filius Dei prædestinetur ut sit homo, vel ad humanitatem. Et est ratio: quia prædestinationis est gratia; Filio autem Dei quænam adveniat gratia, ex quo prædestinetur ad humanitas

8 **T**erminus per se primò intentus in prædestinatione Christi est filiatio naturalis, non autem gloria ejus essentialis. Sic communiter Theologi, etiam nobis extranei, contra Scotum, Durand. & alios, quibus opus est adhærent omnes illi, qui primas tribuunt gratiæ habituali tam in esse entis, quam in

in esse beneficij. Prob. conclusio quoad primam partem ex illo ad Rom. jam præmisso: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, id est, ut inquit D. Aug. lib. de Prædest. Sanct. c. 15. *Ut qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei.* Quid clarius? ¶ Confirmatur ex D. Thom. 3. p. q. 24. art. 3. *Ipse enim (Christus) prædestinatus est ad hoc (intende) quod esset Filius Dei naturalis:* Nos autem prædestinamus ad filiationem adoptivam, quæ est participata similitudo filiationis naturalis. Per hanc autem nostram filiationem adoptivam, ne solam intelligas gratiam habitualē, quæ filiatio adoptiva est imperfecta, sed gloriam, quæ perfecta est, ut ipse docet Angelicus Doct. ad Ephes. c. 1.

9 Prob. ratione: Ille est terminus prædestinationis Christi, ad quem ista respicit primò, & principaliter habendum; sed hic aliud non est, quām filiatio naturalis Dei. Hæc minor probr. terminus primò, & principaliter respectus in Christi prædestinatione est ille, ad quem omnes alii ut primò intentum diriguntur; sed talis est filiatio dicta. Prob. hæc: si aliquis non dirigetur ad filiationem ut primò intentam, essent gratia habitualis, vel gloria essentialis; sed hoc nequit admitti. Prob. hæc. Id, quod est minus in aliqua linea, ordinatur ad illud, quod in eadem majus est; in linea autem filiationis sic se habent gratia, gloria, & filiatio naturalis, quod duas primas sunt filiations adoptivæ, & participatio-

nes filiationis naturalis: ergo hæc est illis præstantior: ergo non hæc ad illas, sed illæ ad hanc ordinari debent, ut principaliter prætentam: ergo ipsa, non ipsæ, erit terminus formalis prædestinationis.

¶ Dices, falso niti fundamento rationem: quia in Christo non datur filiatio adoptiva. Nitida responso! Sed en facilis distinctio: non datur filiatio adoptiva formalis, conc; æquivalens, vel fundamentalis, nego ant. Quantum est ex se gratia, & gloria sunt filiatio, vel fundant filiationem adoptivam, nisi obstat, ut in Christo, filiatio naturalis, quæ excellentior est; semper tamen ordinantur ad hanc ut superiore, suntque participationes naturæ divinæ, ratione cuius Christus est Filius Dei naturalis. Ex his

- 10 Prob. jam secunda pars conclusionis; nam gratia, & gloria non sunt in prædestinatione Christi terminus per se primò intentus, sed quinimò sunt ad filiationem naturali ordinatae, ut ex dictis constat; sed est contra rationem termini primarii intenti, quod ad aliud ordinetur: ergo gratia, & gloria non terminant primariò prædestinationem Christi. ¶ Augetur ratio: Prædestination Christi difert specie à nostra prædestinatione: sunt etenim utriusque termini specificativi distincti, idque constat ex D. Thom. 3. p. q. 24. art. 3. ad 3. Sed nostra prædestination habet terminum in gratia inchoative, & in gloria completive: ergo aliud debet assignari terminus prædestinationis Christi, qui non

apparet, nisi filatio naturalis.

ADVERSA OPINIO.

11 Obs. 1. Hæc propositio
est vera: *Deus factus est homo*; hæc vero falsa: *Homo factus est Deus*, & ideo dixit Damascenus lib. 3. c. 2. *Non hominem deficitum dicimus, sed Deum humanatum*. Ex quo sequitur, quod terminus hujus factionis erat humanitas: ergo ad illam ut ad terminum ordinabatur Incarnatio, & consequenter prædestinationis. Fatemur veritatem, & falsitatem dictarum propositionum, & distinguimus sequelam ex illis: Terminus hujus factionis erat humanitas ultimè, nego; viatoriter, conc. sequelam: quia taliter factio ordinata est ad humanitatem per providentiam communem omni creaturæ, quod rursus hæc ipsa humanitas ordinaretur imperativè ad esse Filium Dei per providentiam particularem prædestinationem.

12 Obs. 2. D. Thomam in 3. dist. 10. q. 3. art. unic. quæstiunc. 1. ubi ait, quod, quia *unio ad Deum in persona convenit humanitati*, potest dici prædestinata ad unionem personalem. Et ibidem ad 1. ait: *Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem*: *Filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad unionem*. Ecce unionem humanitati in ratione termini prælatam, imo & filiationi præpositam: quia est, inquit, primus effectus prædestinationis: ergo. resp. in primis, humanitatem non

esse prædestinatam ut quod ad unionem, sed ut quo, sicut suo infrâ dicemus loco. Deinde dicimus, D. Thom. & quemcumque S. Patrem ponentem prædestinationem Christi directam ad unionem, non loqui de hac formaliter sumpta, sed terminativè accepta, hoc est, de termino illius, scilicet filiatione naturali, ad quem ipsa unio tendit possidendum; si vero de unione loquantur formaliter accepta, non ipsam intendunt esse terminum principaliter intentum, sed primò executioni mandatum.

13 Obs. 3. Unio hypostatica perfectior est visione beatifica: ergo sicut ista est terminus nostræ prædestinationis, etiam illa Christi. Dist. ant. perfectior est, & ultimior, nego; perfectior, sed terminabilior, conc. ant. & nego conseq. Non quia unio hypostatica sit perfectior visione, debet esse terminus: nam termini ratio sumitur à terminando, cumque unio hypostatica non terminet processum hujus mysterii, sed quin potius ad ipsum tendat terminandum, ideo nequit dici terminus, sed via, & tendentia ad illum. Contrarium fit in nostra gratia, quæ in gloria, & per gloriam terminatur.

14 Obs. 4. Visio beata, seu gloria est terminus prædestinationis Christi: ergo non filatio. Ant. prob. Gloria est ultima beatitudo, propter quam omnia appetuntur: ergo omnia diriguntur ad illam. Ant. prob. Ideo in Christo non essent omnia appetibilia propter gloriam; quia

quia filatio est præstantior quā gloria; sed hæc ratio non valet. Prob. gratia nostra præstantior est, quā visio nostra; & tamen appetitur propter gloriam: ergo non valet dicta ratio.

Concessis, & negatis, prout jacent, prioribus præmissis, dist. min. ultimi syllogismi: gratia appetitur nostra propter gloriam seu visionem, solitariè seu abstractivè sumptam, nego; propter visionem concretivè acceptam, conc. min. & nego conseq. Fatemur, gratiam nostram excedere visionem secundūm se sumptam, sicut substantia operationem suam; sed sicut ista ordinatur ad operationem, non ut ad perfectiorem terminum, sed ad perficiendum se per ipsam, quod est ordinari ipsam imperfectam ad se ipsam perfectiorem, sic etiam gratia nostra ordinatur ad visionem, ut per hanc ipsa perficiatur, & consumetur, quod est ordinari gratiam vialem ad gratiam consumatam: ergo ratio ex paritate nihil probat. Sed replicabis, &

15 Obs. 5. Quod est ultimum in executione, est primum in intentione; sed gloria Christi essentialis est posterior in executione, quā filatio: ergo non hæc, sed illa debet esse terminus à Deo preintensus. Nego ant. universaliter intellectum: quia substantia est principaliter intenta in generatione substantiali, & tamen sunt dispositiones consequentes, quā ultimò, & post eam executioni mandantur. Idem videlicet in gloria nostra, quā primò

intenta est, & tamen non est quā ultimò ponitur in re, sed dotes corporis, quā intenduntur secundariò: ergo poterit filatio naturalis Christi primò intendi, & tamen priorem esse in executione, quā ejus essentialis gloria.

16 Obs. 6. Terminus formalis, præstantior, & appetibilior debet esse; sed talis non est filatio naturalis Dei: ergo. Prob. minor: id est appetibilius & præstantius, quod est convenientius; sed convenientior est gloria essentialis, sine qua infelix est homo ad eam natus, quā unio hypostatica, sine qua multi, imò omnes Beati præter Christum sunt felices: ergo tenet negata minor. Aliter: Illud est melius, & nobilius, cuius oppositum est pejus, & vilius; sed oppositum gratiæ, scilicet peccatum, vel privatio illius quid pejus est, ac vilius, quā privatio unionis hypostaticæ: quia sine hac multi sunt felices, & nullus sine gratia: ergo hæc est appetibilior, ad quam ut ad terminum prædestinationis cætera debent ordinari.

17 Hoc argumentum solum probat, quod gratia, & gloria sunt magis debitæ, magisve necessariæ, quā unio hypostatica, non vero præstantiores. Resp. ergo distinguendo min. secundi syllogismi: gloria, & similiter gratia est convenientior, hoc est, magis necessaria, & debita, conc.; est convenientior, hoc est præstantior, nego minorem, & conseq.

Nec

Nec quòd aliquid sit appetibilius probat majorem perfectionem absolute, sed respectivè ad subjecta: Perfectius enim est aurum, quām frustum panis, & tamen hoc respectu aliquorum, famem qui patiuntur urgentem, convenientius, & utilius est auro, imò appetibilius respectivè ad illud subjectum in tali constitutum necessitate, non verò appetibilius simpliciter, & absolute. Sic est gratia, & gloria respectu nostri, quibus impossibilis est unio hypostatica; respectu verò Christi præstantior, & appetibilius est filatio naturalis.

Ex hoc patet ad aliam objectio-
nis positionem, cuius majori con-
cessa, dist. min. Oppositum gra-
tiæ est pejus, quām oppositum
unionis hypostatica: quia excludit
majus bonum, nego; quia excludit
bonum magis debitum, magis
necessarium, conc. min. &
conseq. Exemplum habes hujus doc-
trinæ in calore, & luce, quæ bo-
na, & utilia sunt vita hominis, &
quidem magis bonus, & utilior
calor, quām lux: quia sine lu-
ce potest vivere, non sine calore,
& tamen lux præstantior est
calore, & consequenter opposi-
tum lucis privat hominem majo-
ri bono, quām oppositum caloris,
non verò bono magis debito, &
necessario. Sic ergo in præsentí
privatio unionis hypostatica oppo-
nitur majori bono, non verò ma-
gis debito, quām privatio gratiæ,
& gloriæ; hoc autem solum probat
majorem bonitatem respectivè, &

secundūm quid in gratia, & glo-
ria, non verò majorem absolute
& simpliciter.

DUBIUM III.

*QUOD NAM SIT SUBJECTUM IN PRÆ-
definitione Christi.*

18 **A** Gredimur quæstionem discutiendam, circa quam acuminare opportet ingenia, ut graciles scisuræ, quas in exilibus, & methaphysicis conceptibus aculeati Auctorum genij quilibet pro suo captu subtiliter eliciunt, feliciter exenterentur, calleantur, detegantur. Alij enim suadere connantur subjectum prædefinitionis Christi esse hunc ut possibilem. Sic plures Thomistæ, & Theologi moderni. Sed hæc sententia non nobis arridet, tum, quia nequit esse subjectum filiationis Dei illud, quod non existit, quando filatio existit; atqui quando hæc existit, Christus ut possibilis non existit: ergo hic non est sic sumptus illius subjectum; Tum, quia ideo Christus ut existens non esset subjectum filiationis: quia dum existit, ipse met est Filius naturalis, & nemo dicitur subjectum illius, quod ipse est, vel cum ipso ipsum consti- tuens essentialiter est; sed hoc inconveniens idem est in adversa sententia deglutiendum: quia etiam Christus ut possibilis est possibilis Filius Dei, & consequenter erit subjectum sui ipsius possibiliter, er-

go si hoc non inconvenit, nec pri-
mum.

19 Hoc minūs delicate scin-
dit, & præscindit hoc subjectum
Cajetanus in 3. p. q. 24. art. 1.
§. secunda autem conditio: ait enim,
Christum ut incarnatum Incarna-
tione præscindente ab Incarnatio-
ne facta, vel ficta, vel hæreti-
ca, esse subjectum prædestinationis;
ipsum verò ut incarnatum
incarnatione defactò facta, quam
Catholici fatemur, esse terminum
illius. Sed quis non videat hanc
subtilissimam reflexionem potius in
subtilissimi ejus ingenij laudem
collimare, quām in veræ sententiae
scopum rectè tendere? Ideò ergo
hanc sententiam tum ejus contho-
mistæ, tum & Antythomistæ com-
muniter, jureque rejiciunt: quia
Christus sub illo conceptu com-
muni præcessus est impossibilis: er-
go si ut possibili denegavimus esse
subjectum filiationis, , quantò magis
ut impossibili? Ant. prob. Im-
possibilis est ille conceptus, cuius
contractiva membra repugnant, ut
patet, si fingeremus animal com-
mune animali vero, & ficto; sed
hoc facit sententia Cajetani, dum
Christum præscindit à vera, ficta,
vel hæretica Incarnatione: quia im-
possibile est, quod per has ultimas
contrahatur: ergo tenet ant.

20 Alio non absimili modo
cavillatur P. Suarez circa hanc ob-
noxiam cavillationibus materiam,
dicens cum alijs suis sequacibus,
subjectum prædestinationis Christi
esse hunc hominem compositum

ex humanitate singulari, & sub-
sistētia vaga, præscindente à crea-
ta, & divina, & ab hac vel illa
divina. ¶ Imitatur Suarium Pater
Vazquez, qui disput. 90. num.
21. tenet contra commune Thom-
istarum, quod hic homo dicens
hanc humanitatem Christi in recto,
connotando suppositum vagè sumptu-
um, præscindensque à creato, &
increato, est subjectum prædesti-
nationis Christi. Sed hi modi dis-
currendi ex hucusque dictis suffi-
cienter rejecti manent, atque ex-
pulsi. ¶ Haud melior est modus
opinandi Cornelij, qui ad Rom. 1.
ait, hunc hominem, designando
Christum prout concernit existen-
tiā, esse subjectum prædestina-
tum ad subsistendum subsistentia
divina, & consequenter ad esse
Filiū Dei: nam hic homo sup-
ponit pro supposito seu persona;
quomodo ergo erit subjectum illius,
quod ipse est, nec prædestinabitur
ad id, quod jam possidet
in se?

21 Alij aliter opinantur dicen-
tes Christum sub expressione sub-
sistētis esse subjectum prædestina-
tum ad esse Filium Dei: cui dis-
currendi modo nonnihil suffragatur
Illust. Godoy disp. 55. à n. 104.
Sed nec hic subsistere potest: quia
expressio subsistēti non debet esse
vaga; quia est hujus hominis; si
autem particularis, non absoluta:
ergo relativa, quæ explicatur pér
filiationem: ergo filius erit sub-
jectum filiationis, quod absit vel
proferre. ¶ Alij tenent, Christum
ut

ut in via , seu in fieri esse subiectum suæ prædestinationis , ipsumque in facto esse esse terminum illius. Sed contra : Tum , quia status viæ destruitur per factum esse rei : ergo adveniente filiatione , deficeret subiectum illius : quo quid absurdius ! Tum , quia Petrus v. g. prout in fieri , non est , nec potest subiectum sui ipsius prout in facto esse : ergo nec Christus prout in fieri &c. His rejectis opinandi modis , statuitur

NOSTRA CONCLUSIO.

22 Subiectum prædestinationis in Christo est ipse Christus , ut subsistens in natura humana ; terminus vero juxta dicta dub. ant. est Filius Dei , ut subsistens in natura divina. Sic communiter Thomistæ cum D. Thom. qui super illa verba ad Rom. 1. De Filio suo , qui factus est ei ex semine David secundum carnem , qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Sic ait Iect. 3. Prædestination potest attribui Personæ Christi , secundum quod subsistit in natura humana (ecce subiectum) licet non attribuatur ei , secundum quod subsistit in divina. Unde & Apost. Prius Filium Dei incarnatum premisserat :: secundum quod factus est ex semine David secundum carnem. Et sic à Filio Dei , explicando incarnationis mysterium , descendit ad carnem : & à carne , secundum prædestinationem , ascendit ad Filium Dei. Expressius , si fas est dicere , loquitur 3. p. q. 24 art. 1. ad 2. Unde cum dixisset Ap. Factus est si ex

semine David secundum carnem , subjunxit : Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Ut daret intelligere , quod secundum hoc , quod est factus ex semine David secundum carnem , est prædestinatus Filius Dei in virtute. Id ipsum docet D. Aug. suprà num. 8. laudatus in eumdem locum Apost. inquiens : Ut qui futurus erat secundum carnem Filius David , esset tamen in virtute Filius Dei : ergo juxta Apost. & DD. Aug. & Thom. nostra est vera resolutio.

23 Prob. 2. ratione 1. Quia subiectum prædestinationis Christi nullum est ex assignatis in præudio ad conclusionem , ut ex impugnatione convincitur eorum ; sed aliud non restat verosimilius apponendum , quam à nobis in præsenti expositum ; hoc ergo omnibus erit præsignandum. ¶ Prob. 2. Illud est subiectum prædestinationis Christi , cui per se primò , & immedia- tè applicatur per modum gratiæ filiatione Dei naturalis ; sed hæc gratia non potest soli applicari humani- tati , quippequæ filia sola non potest esse ; nec naturæ divinæ : cui non est gratia , quod semper habuit identificatum , & sibi debi- tum ab æterno ; nec demum Per- sonæ divinæ , ut subsistenti in divi- na natura , obidenticam rationem. Cui ergo ? ipsi utique divinæ Per- sonæ , ut subsistenti in natura hu- mana. Appositè D. Thom. in Apost. laudatum: Quamvis ipsa Persona Christi semper fuerit Filius Dei , tamen non semper fuit , ut existens in natura hu- mana esset Filius Dei , sed hoc est infi- fabi-

fabilis gratia. Ubi expressè attribuit Christo, ut existenti in natura humana, gratiam filiationis naturalis Dei: ergo ipse sic sumptus est subiectum hujus.

24. Prob. 3. Pracludendo adversariorum communiores aditus; & primum sic: Ideò nostra resolutio non staret: quia inter subiectum *quod* prædestinationis, & terminum *qui* prædestinatum, opus est distinctione reali, qualem non videmus in praesenti: est enim utrumque Christus, seu Persona divina; atqui hæc realis distinctio non est opus, sed sufficit virtualis inter utrumque, & realis inter subjectum *quo*, & terminum *quo*, quæ verè dantur & definito: ergo præcluditur hic aditus. Prob. & simul explicatur minor: Etenim ex una parte suppositum divinum, ut terminans naturam divinam, distinguitur virtualiter à se ipso, ut terminante naturam humanam: sub diversa enim ratione eas terminat, quod sufficit, ut aliquam distinctionem virtualem in eum refundant, ut patet in eadem re diversas terminante potentias, vel motus. Ex alia parte distinctio realis non est necessaria, ut videre est in motu locali, cuius subjectum *quod*, & terminus *qui* est realiter idem: & in Corpore Christi existente in Eucharistia, ubi respectu actionis conversivæ subjectum *quod*, & terminus *qui* ipse est Christus. Deinde subjectum *quo*, scilicet humanitas, & terminus *quo*, scilicet filatio, realiter distinguuntur: ergo datur inter subjecta, & terminos sufficiens dis-

tinctio, ut verificetur nostra resolutio.

25. Secundum sic: Ideò nostra resolutio non staret: quia subjectum *quod* à nobis assignatum, scilicet, suppositum ut subsistens in natura humana non præcedit terminum *qui*, scilicet, se ipsum ut subsistens in natura divina; sed sufficit ad hoc præcedentia virtualis, & hæc datur: ergo cessat inconveniens. Prob. minor quoad secundam partem ex D. Thom. in 3. dist. 10. q. 3. art. 11. quæstiunc. 1. ad 5. Diendum, quod licet homo non preintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, preintelligitur ratione naturæ humanae. Quid clarius? Ergo datur præcedentia præintelligentiæ, vel virtualis inter subjectum assignatum *quod*, & terminum *qui* prædestinationis Christi. Quod autem hæc sufficiat (quæ est prima pars minoris) patet in exemplis supra tactis ex motu, & præsentia sacramentali desumptis. Unde dixit D. Aug. Serm. de Nativit. Domini: Deus factus est homo, ut homo fieret Deus: quasi prius fuerit homo, quam iste homo esset Deus. Et Apost. ad Philip. 2. Prius dixit de Christo: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, quam quod Deus exaltavit illum: quia prius fuit homo humili, quam quod iste homo fieret Deus excelsus.

SENTENTIA OPPOSITA

26. **D**efenditur ab AA. relativis à n. 18. usque ad 21. pro quibus obs. 1. *Esse Filium Dei*

222 Tract. X. Disp. V. de Prædest. Christi , Dub. III.

Dei est gratia singularis , & gratia super omnem gratiam ; sed hæc supposito divino ut subsistenti in natura humana non convenit ut gratia , sed ut quid naturaliter debitum , & necessariò adjudicatum , quippe quod non potest ei deficere : ergo ipsum sic sumptum non est subjectum hujus gratiæ . Respondet D. Thom.

3. p. q. 24. art. 1. ad 2. sic : Quamvis enim sit naturale illi Persona secundum se considerata , quod sit Filius Dei in virtute , non tamen est ei naturale secundum hum. n. naturam , secundum quam hoc filii convenit per gratiam unionis . Vide aliam , melius dicam , identicam responsionem ipsius supra n. 23. hujus dubii ; quibus nihil , quod non supersit , adendum esse videtur . Sed replicabis , &

27 Obs. 2. Esse Filium Dei naturalem non minus connectitur cum Verbo divino , ut subsistenti in natura humana , quam esse filium Dei adoptivum (in nobis) cum gratia habituali ; sed supposita gratia habituali , non gratiæ , sed indispensabiliter , & naturaliter subsequitur filiatio adoptiva : ergo pariter &c. ¶ Confirmatur : magis debetur Christo filiatio naturalis , quam alteri subjecto sua connaturalia prædicata debentur ; sed nullum subjectum potest prædestinari ad sua connaturalia : quia non sunt gratiæ , sed sibi naturaliter debita : ergo idem de filiatione naturali Dei . Major prob. quia Christo essentialiter debetur esse Filium Dei ; prædicata verò solùm connaturaliter subjecto : ergo magis debetur &c.

28 Resp. dist. maj. Esse Filium Dei non minus connectitur cum Verbo , ut subsistenti in natura humana , secundum omnem partem , nego ; secundum aliquam , conc. maj. & dist. min. indispensabiliter subsequitur filiatio adoptiva ad gratiam secundum omnem sui partem , seu abstractivè sumptam , conc. ; ad illam concretivè acceptam ad subjectum , nego min. & conseq. Comparatio argumenti non rectè fit , & idè non probat : debet ergo fieri inter subjectum gratiæ (& non solam gratiam) & Christum , quo pacto idem utrobique verificatur : nam sicut Christo secundum partem suppositi filiatio non est gratia , sed debitum ; secundum verò humanitatem est gratia non debita , sic etiam subjecto habenti gratiam habitualem , secundum partem gratiæ debetur filiatio , & sic filiatio gratia non est ; secundum verò partem subjecti , nedum gratia , verum & filiatio gratia est : quia utrumque advenit ipsi ex gratia , non ex debito . ¶ Similiter ad confirmationem dist. maj : magis debetur Christo filiatio , secundum unam partem , hoc est , ratione suppositi , conc. ; secundum aliam , hoc est humanitatem , nego maj. conc. min. & dist. cons : Idem dicendum de filiatione respectu partis suppositi , conc. ; respectu partis naturæ humanae , nego cons. Per hoc patet ad probationem majoris , nec ampliori opus est explicatione solutionis .

29 Obs. 3. (& erit replica contra immediatè dicta) Filiatio natu-

ralis Dei non debetur Christo ratione humanitatis, sed ratione suppositi divini; sed respectu hujus non est gratia sed debitum: ergo nec respectu alterius partis. Dist. maj. filatio non debetur Christo ratione humanitatis, sub ratione, vel denominatione filiationis, conc; sub ratione, vel denominatione gratiae, nego maj: & concessa min. nego conseq. Verum est, quod filatio debetur Christo ratione suppositi divini; ceterum haec filatio, quæ respectu suppositi est debita, respectu humanitatis est gratia, ita ut eadem filatio sub ratione filiationis soli supposito conveniat; sub ratione vero gratiae solam denominet humanitatem affectam gratia. Appositè D. Thom. in 3. dist. 10. q. 1. quæstiunc. 1. ad 2. *Quanvis gratia unionis faciat hominem Deum (seu filium Dei) non tamen ad idem reseatur gratia unionis, & esse Deum : nam esse Deum (seu Filium Dei) convenit huic homini ratione Personæ ; gratia autem fit ratione nature.*

30 Obs. 4. Christus, ut subsistens in natura humana, includit in se essentialiter filiationem Dei naturalem: est enim secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis, quæ Filius est: ergo non potest esse subiectum filiationis, neque ista ipsi advenire ut gratia. Dist. ant. Includit filiationem sub expressa ratione filiationis, nego; sub expressione subsistentiæ terminantis naturam humanam, conc. ant. & nego conseq. Solutio patet ex dictis.

¶ Sed replicabis: Subjectum

hujus gratiae debet ipsam aliquatenus præcedere; sed Filius Dei sub expressione terminantis naturam humanam non præcedit se sub expressione filiationis, vel Filii Dei: quia implicat, quod aliquid præcedat id per quod constituitur, & filatio naturalis est id per quod constituitur Christus in ratione Personæ terminantis naturam humanam: ergo implicat, quod eam præcedat. Dist. maj. debet præcedere realiter, nego; intentionaliter, conc. maj. & distincta similiter min. disting. iterum min. imbibitæ probationis: filatio naturalis est id, per quod constituitur Christus in ratione Personæ terminantis naturam humanam, filatio sub expressa ratione filiationis, nego; sub expressione subsistentiæ terminantis ipsam, conc. imbibitam, & nego conseq. Licet subsistenta Verbi sit formalissimè filatio Dei, terminetque utramque naturam divinam, & humanam; attamen prout terminat hanc, non explicat conceptum filiationis, sed prout connotat divinam. Unde relinquitur locus, ut Persona Christi, prout connotat humanam, sit quasi subjectum ipsiusmet prout connotat divinam, sitque ipsum sub hac ratione gratia sibi met donata sub altera ratione, ad quod sufficit præcedentia rationis, ut diximus n. 25.

31 Obs. 5. Ex dictis sequitur, Christum, in quantum homo est, vel prout connotat naturam humanam, esse subiectum prædestinationis, & consequenter cui applicatur gratia essendi Filium Dei: ergo erit


224 Tract. X. Disp. V. de Prædest. Christi. Dub. III.

erit verum dicere , quod in quantum homo est Filius Dei ; sed hoc nequit dici : alias posset etiam dici , quod in quantum homo est Deus , quod reprobant ratio , & D. Thom. 3. p. q. 16. art. 11. Ergo & primum reprobandum est. Argumentum fallax , & captiosum est : confundit enim hoc quod est esse aliquid , cum hoc quod est esse , cui convenit aliquid. Fatemur ; quod in quantum homini , seu ratione humanitatis convenit Christo filiationis gratia , seu esse Filium , non tamen in quantum homo est Filius Dei.

En exempla : substantiæ ut quanta est , seu ratione quantitatis convenit esse albam , v. g. ergo in quantum quanta est alba , mala consequentia. Aliud: Petrus ut viator est prædestinatus ad beatitudinem : ergo ut viator est beatus , neutquam. Similiter ergo non

licebit inferri ex hac : Christo ut homini , seu ratione humanitatis convenit gratia filiationis , vel esse Filium , hæc ergo in quantum homo , seu ratione humanitatis est Filius Dei. Et ratio est , quia hoc ultimum indicat identitatem harum expressionum Deus , & Homo , quæ falsa est , primum vero solum innuit adventitiam , & gratiosam applicationem expressionis Filii Dei ad expressionem Christi ut hominis , quæ verissima quidem est.

Alia innumera omittimus argumenta , melius dicamus , cavilosa tentamenta , quæ minus pariunt lucis , quam confusionis , & obnubilationis Neophitorum mentium: preter id temporis quod in ipsis insumeretur tentandis , atque discutendis non sine querela , & præjudicio utiliorum disceptationum , quæ ab his vacemus , clamitant , ut & aliis vacare quamprimum properemus.



TRAC-

TRACTATUS XI.

DE BEATISSIMA VIRGINE , ET MATRE DEI M A R I A.

DE Beatissima Virgine Maria , quæ Mater Dei , & Angelorum est Regina , quæ minor illo , major autem horum : & ideo quasi media inter illos , & illum intermicat dignitate : tractatum præter morem instituimus Scholasticorum ; secus verò præter exemplum D. Thom. qui in 3. p. à q. 27. ad usque 33. per unde viginti articulos luculenter , mirificèque , quantum humano captui fas est , hanc absolvit materiam. Ea propter , cum nos (prætermisso hoc iucundissimo argumento , tantæque Proto-Parenti nostræ jure optimo debito) aliud de Angelis jam jam discepare intenderimus , ecce illorum serenissima Regina obvia nobis occurrit , quasi æmula interceptans cursum huiuscemodi nostri opusculi , nisi priùs de ipsa , quām de ipsis Theologum agamus , atque scholasticum tractatum instituamus pro nostra iuventute triennialiter legendum.

Libenter consentimus , & ardenter agredimur hocce obsequiolum dignissimæ , & dilectissimæ Matti nostræ consecrandum , cui , nedum nomenclaturam , tutelam , sacrumque debemus velamentum , verùm & lucem , ducemque fore speramus , ne in alto mari Mariæ , ejusque gratiarum immenso pelago quasata mentis pupella undis mergatur , finatur , obruatur. Ave ergo maris stella , Dei Mater alma , exurge in adjutorium nobis , iter para tutum , gressus nos-

tos dirige , nostras tenebras excute , ut in tui laudem, gloriam , & honorem aliquid promamus , quo te nos Carmelites almam parentem significemus nostram esse , & nos tui filios de tanta felicitate in æternum esse conglorie mur. Faxis , ò utinam!

DISPUTATIO PRIMA

DE B. M. VIRGINIS IN HUNC MUNDUM INGRESSU.

IN triplici gradu , vel statu nobis se objicit contemplanda Virgo Maria , scilicet , in ingressu , in progressu , & in egressu ; nempe in principio , medio , & fine suæ felicissimæ viæ , & vitæ ; quibus tres dicamus in tribus disputationibus partes , quæ rursus in varia membra , sive dubia pro clariori luce dissecabimus : quorum sit

DUBIUM I.

AN B. V. MARIA IN GRATIA FUERIT
concepta , immunisque à peccato
originali?

Multifariam , multisque modis olim Deus loquens , vel permittens loqui Patribus Ecclesiæ de purissima suæ Matris Conceptione , vidimus eos timentes hinc , amantes inde ; & de ea , tum cautè , tum ardenter fuisse loquutos : nam reverentia ad illa verba Apostoli , sèpè sapiùs in hac quæstione repetita ex ad Rom. cap. 5. (præter alia inferiùs exponenda) per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors ; & ita in omnes homines mors pertransiit , in quo omnes peccaverunt ; timorem incutiebat ingentem , ne fidei ipsis debitæ contrairent : & hac de causa negandum non est , imò plane , &

sincerè confitendum , ipsos ut in plurimum hoc immunitatis privilegium expressè si non negasse , opipidò saltim circa affirmationem trepidasse , vel in negationem illius inclinasse . Ex alia parte ardens amor , & Deiparæ devotio eos , excusso infidelitatis timore , talia , tamque preclara super ejus immaculatæ Conceptionis concessionem compulit producere , ut in hanc partem videantur declinare , vel eam etiam confiteri : aut etiam absolutè proferre , ut ex infrâ dicendis apparebit . Verè contigit Patribus , & Doctoribus antiquis id ipsum , quod Jacob dixisse , narrat Genesis caput 28. & de se ipsa in sui Dedicatione personalit Ecclesia : vere locus iste Sanctus est , & ego nesciebam . Verè enim locus , in quo Deus habitaturus erat , scilicet , Maria , Sanctus ab initio erat ; at ipsi nesciebant , vel potius dubitabant , vel & fortè aliqui ne-

gabant timore tenti, ne in materia laborerentur fidei.

¶ Sic contigit olim. Novissimè verò diebus istis locutus est nobis Deus super hoc mysterio in Filio suo, hoc est in hujus Vicario, vel Vicarijs, quos constituit heredes universorum, quæ ad ejus Ecclesiæ regimen spectant: nam in primis Sixtus IV. qui ab anno 1471. rexit Ecclesiam, in Extravag. cum preexcelsa de Reliq. ait: dignum, quin potius, debitum reputamus universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo.... de ipso ius immaculata Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & instantias propterea in Ecclesia missis, & alia divina officia dicant, & intersint, indulgentijs, & penitrum remissionibus invitati, &c. Deinde Paulus V. anno 1617. silentium imposuit sententiæ, quæ immunitati originali V. Mariæ refragatur; præcepitque, ne quisquam in posterum audeat in publicis coniunctionibus, sectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis afferere, quod eadem Beatisima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Gregorius itidem XV. id ipsum continuit anno 1622. extendens prohibitionem etiam ad privata scripta producenda. Sequutus est eos Alexander VII. qui in sua Constitutione, *soliitudo omnium Eccles.* edita anno 1661. ubi confirmat præcedentes, additque veterem esse pietatem fidelium autumantium sic de Beatae Virginis Conceptione sine originali peccato, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemniter colentium. Et infra ait, se velle mutenere fideles in possessione celebrandi Conceptionem, seu sanc-

tificationem V. Mariæ.

3 Demum Concilium Trident. sess. 5. loquendo de peccato originali, ait: declarat haec ipsa S. Synodus non esse sue intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, Deigenitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. ¶ Et tamen sententiam contrariam immunitati Mariæ nec Concilium aliquod, nec Pontificum aliquis erroris nota mulctavit; sed quin potius severis pœnis, & censuris hi feruntur, qui quamlibet ex his sententijs, sive affirmantem, sive negantem, ut hereticam incurrant; ut constat ex praicta Constitut. Alexandri VII.

En tibi Christum Domini, hoc est, Vice Christum in terris, novissimis his diebus loquentem (non verò ex Cathedra, tamquam de fide definitiæ) singulare Mariæ privilegium immunitatis, ab initio inclusivè suæ vitæ iam possessum: ergo nihil mirum, quod Authores hujus temporis præter omnem formidinem verbis Scripturæ sacræ se objiciendi, hanc arripiant doctrinam, pro viribus tuendam, suadendam, prædicandam. Nec hoc est recentiores corrigerem veteres Doctores, nec istos in suis doctrinis à via veritatis deviisse, sed hanc Deum tempore opportuno detegisse, vel etiam scientiam Sanctorum plures, & novas in contrarium rationes invenisse, & medijs illis auctam fuisse: ut enim scitè dixit D. Gregor. homil. 16. in Eccles. per incrementa temporum

crevit scientia spiritualium Patrum. His prælivatis, statuitur iam

NOSTRA CONCLUSIO.

4 **B**eatissima Virgo Maria fuit in gratia concepta à primo suæ Conceptionis instanti inclusivè, exclusive verò ab omni vel umbra peccati originalis. Conclusio nem hanc nedum devotionis ergo, vel solum amoris gratia erga nostram, omniumque fidelium Matrem dilectissimam lætanter, & iucundissimè defensandam suscipimus, sed ut re vera ex Scriptura sacra deductam, ex Ecclesiæ fonte ebitam, ex Conciliis desumptam, à Sanctissimis Pontificibus protectam, à S.S. Patribus edoctam, & à permultis rationibus, & paritatibus fulcitam, & convictam, ducimus præferendam. Probatur ergo **i.**

EX SCRIPTURA SACRA.

5 **T**ota pulchra es, amica mea, & macula non est in te, de Maria Virgine juxta omnes Ecclesiæ Patres dicitur in Cant. 4. v. 7. *Totæ*, inquit, idest, per totam ab initio vitam. Sic construit hunc locum doctissimus Idiota lib. 6. de Contemplatione Virginis, c. 2. ibi: *tota pulchra es, Virgo gloriofissima, non in parte, sed in toto;* & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit. Breuius id ipsum expressit D. Bernardin. Sen. tom. 1. serm. 52. *tota pulchra es, amica mea,* & macula non est in te, *siluet, originalis culpa.* Quid pro nostra desi-

derabilius conclusione? ¶ Prob. 2. ex illo Eccli. 1. ipse creavit illum in Spiritu Sancto; quem locum de B. V. Maria absque indagine Patres attribuunt immaculatæ Conceptioni; quasi creatio in Spiritu Sancto pugnet contradictoriè cum creatione, sive Conceptione in peccato. ¶ 3. Ex illo Cant. 2. 2. *Sicut lily inter spinas, sic amica mea inter filias*, idest, expoununt PP. inter filias Adæ, quæ sunt animæ omnium ab ipso descendentium spina peccati originalis confixorum: sola amica mea, Sponsa mea, Mater mea, lily venustissimum, alboe gratiæ primitivæ candidatum, præservatur.

6 Quartò ex illo Genes. 3. v. 15. *inimicitas ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Quæ verba incunctanter intelligunt AA. pro B. V. Maria prædicta, egredia illa, strenuaque Judith, de qua subjungit immediate: *ipsa conceret caput tuum:* Per semen serpentis intel ligit B. Alcuinus, Ordinis Benedictini celleberrimus Scriptor, dictus Doctor deliciosus, quiq[ue] Institutor fuit, Carolo Magno ordinante, celeberrimæ Academiæ Parisiensis, intelligit, inquam, *Interrog. 75.* in gen. *Originalis peccati primordium;* huic opponit, tamquam inimicum mortiferum, semen, sive primordia vitæ Mariæ: ergo fuit in ea gratia primordialis; nam peccato primordiali directe respondet, ut contrarium primordiale, gratia originalis, qua *adjuvavit* (ecce locum alium) *eam Deus manè diluculò*, hoc est, non solum manè, sed summo manè (hoc innuit diluculò) quasi dicat, præservavit *eam*

tam à culpa , non solum manè , sed valdè manè , idest , inclusō primo motu , seu primo instanti vitæ suæ ; aliter enim , ut quid ultra manè adderet valde diluculo ?

EX CONCILIIS , & ECCLESIA.

7 Prob. 1. Ex Concilio Jerosolimitano , ab ipsis Apostolis , anno 44. , vel , ut alij volunt . 49. celebrato , quodque refert Joannes Baptista Novato , per doctissimum Patrem Wenzl. Benedictinum laudatus tom. 2. de peccatis , p. 6. n. 95. in eo , inquit , sic per S.S. Apostolos in honorem Mariæ Virginis exclamatum est : illa Virgo , illa Maria , illa Sancta in instanti sua Conceptionis fuit ab originali peccato preservata . Ubi nota , non eos dixisse , ab instanti , sed in instanti , ut illud includerent , non illud excluderent . ¶ Prob. 2. ex Concilio Basiliensi . quod in Decreto hanc materiam concernente sic se explicuit : doctrinam illam afferentem , glorioſiſimam Virginem , Dei Genitricem Mariam numquam actualiter subiuguisse originali peccato , sed immunem fuisse , definitus , & declaramus . Et licet pro tunc temporis , in quo hoc edidit decretum , non esse legitimum Concilium , ut volunt aliqui , quia acephalum , hoc est , sine legitimo Præidente , multis tamen extitulis venerandum est , & præcipue ex tot tantorumque Doctorum sententijs in unum confluentium , asserendum , & tenendum præcipientium .

8 Prob. 3. ex Concilio Trid. supra laudato n. 3. quod noluit B. Mariam sub lapsu peccati origina-

lis comprehendere : ergo illam exceperit ; ita quidem , ut respectus ille ad legem generalem , per Apostolum in suis verbis promulgatam de peccato omnium in Adam , non nos urgeat , ut eam de fide teneamus ; sed quin potius liceat nobis per ipsum Concilium contrarium sentire , & pro mira Conceptione B. Mariæ concessa gratias Deo , & laudes referre ; hoc enim commendat Constitutio Sixti IV. quam innovat Concilium , ubi , ut tollatur de medio dubium , num de immunitate à labe originali à primo instanti loquatur ? vocat , miram Conceptionem : si autem post primum instans fuerit Sancta Virgo Maria , quid mirum hoc foret , quod non de Joanne Baptista , & Jeremia ſæpè legerimus ? ergo mira in eo fuit , quod nullo instanti excluso , Sancta fuerit , sicut nullus Sanctus .

Unde SS. PP. qui interfuere huic Concilio , oppidò in hanc piissimam definiendam partem propendebant ; omisserunt tamen , ne forte fomes disidij in illis turbulentis temporibus , etiam inter Catholicos graffiantis , plusquam decresceret , excandesceret . O ! si hacce tempestate ipſi Patres , & cum ejis Augustinus , Ambrosius , Bernardus , Thomas , qui nobis objiciuntur à contrariis ut contrarij , in arenam hodiè descenderent , ut de hoc mysterio , excussa jam formidine infidentiae contra præfata verba D. Pauli , sententiam , & iudicium pronuntiarent ! Crediderim hercè , quod aperto Marte pro Dei Matre sine labe concepta omnes , dempto nullo , decertarent .

9 Prob. 4. ex Summis Pontificibus, suprà n. 2. relatis, Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. qui hanc immunitatem B. Mariæ non solum approbavere defensandam; verum & illam voluere, in Ecclesia devote, & solemniter celebrandam: immò gratijs, & indulgentijs communiendam. ¶ Prob. 5. ex S.S. Patre Clem. XIII. qui novissimè diebus istis Litanis B. V. Mariæ hunc titulum honorificum adscripsit: MATER IMMACULATA, haud aliud per illum volens intellectum, quam à macula fuisse exortem originali; postquam enim plures Sancta Virgo, & Mater purissima, & inviolata in illis invocatur, apponitur & IMMACULATA, quod vel nihil addit prioribus prærogativis: vel illam à macula originali inclamat immumen.

Prob. 6. ex ipso SS. Clem. qui ennixis precibus potentissimi Regis Hispaniarum, & Indiarum Caroli III. nuac temporis regnantis, & communis confessioni omnium, qui comitiis Nationis Hispanæ in illius auspiciatissimo Regni exordio astiterunt, ubi generali plausu illam Advocatam, & Patronam sub titulo Immaculatæ conclamarunt, benignè annuens, festum Immaculatæ Conceptionis sub ritu primæ classis cum octava ab universo clero Seculari, & Regulari, quomodo libet exempto, etiam apud Indos existente, celebrari præcepit. Et undenam concessio hæc? Quia Sancta utcumque fuit à prima ætate? Parum est hoc, & conveniens alijs Sanctis: data fuit ergo, quia Sanctis:

ta fuit à primo, & in primo instanti sui esse, quasi nullus.

10 Ex Ecclesia etiam prob. 1. quia ipsa in officio ad devotas ejusdem Caroli fussas preces noviter concessò, & in Hispaniis recitando, expressè canit in oratione hanc immunitatem per hæc verba: *ut qui eam ab omni labore preservasti*; ubi nota verbum *preservasti*, quod innuit non preciſè servare à malo jam contratto, sed præcavere à malo contrahendo, ut numquam effective contrahatur. ¶ Prob. 2. ex ipsa Ecclesia, quæ in prima lectione dicti officii B. Mariæ immunitati hæc applicat verba ex Eccl. 24. *ego ex ore Aliissimi prodiri, primogenita ante omnem creaturam*: ergo (infero) ante Adam Maria jam concepta erat in mente divina: ergo etiam ante hujus prævisionem peccati originalis: ergo non comprehensa fuit sub lege communis contrahendi illud.

3. Ex ipsa, & in ipso officio, ubi hæc recitantur verba, nostræ resolutioni valdè accommodata: *fatum est diluvium peccati super omnem terram*; Arca verò Deisera elevata est insublime, & ferebatur super aquas; *operti sunt omnes montes excelsi Sanctorum*: Quasi dicat: sicut sola Arca Noe exorsa fuit universalis, & funestæ submersionis, nullis etiam elevatorum montium verticibus exceptis, ita sola arca fæderis Maria in diluvio peccati originalis, in quo omnes, nullis, vel etiam elevatisimis, sanctissimis montibus exceptis, submersi sunt, salvata est; quia fundamenta ejus, hoc est, fundum primordiale suæ vitæ, quod erat primum

mum instans, super montes jacta sunt altioris sanctitatis. ¶ 4. Ibidem Ecclesia applicat Marianæ Conceptioni illud Ps. 45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Quæ sanctificatio, si de communi iustificatione cum expiatione à peccato intelligeretur, Deus nihil singulare suæ Matris, quod cuilibet de communi plebis (ut sic dicamus) Sancto non concesserit, concessisset. ¶ 5. In ipso officio hæc leguntur verba, ex D. Ambr. dessumpta: *in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpa fuit.* Nec valet dicere, non fuisse nodum originalem, eo quod sublatus fuit: quia id ipsum asserit de culpa actuali, quam tamen, certissimum est, Virginem nullam commississe, quæ sublata fuerit.

EX S. S. PATRIBUS.

11 **P**rob. 1. ex D. Andrea Apostolo, de quo citatus supra Uvenzl. n. 98. asserit, sententiam esse plurium, quod, cum vicinus esset morti, hæc verba produxerit: *Sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra Virginea, nunquam maledicta:* ergo semper, etiam à primo instanti, Sancta, & Benedicta. ¶ 2. Ex S. Jacobo, qui, ut testatur Etsiphon ab ipso Authore laudatus, asseruit, *Mariam non tetigisse primum peccatum.* Id quod & alii Apostoli prædicarunt, ut testatur Julianus in Chronico n. 607.

3. Ex D. Aug. qui lib. de natura, & gratia, c. 36. ubi loquens de miseriis omnibus commu-

nibus, ait: *excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, habere volo questionem.* ¶ Augustinum sequutus est Bernardus, qui serm. 13. in Cœna Domini sic ait: *non est in Filiis hominum magnus, vel parvus, tanta præditus sanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem immaculati peccatum non facientis, de qua, cum de peccato agitur, nullam prorsus volo habere questionem.* Ex quibus verbis ut minus sequitur, ipsos non audere resolvere, nec illos nobis esse contrarios, cum planè confiteantur, super hac re nolle contendere, vel disputatione, & nihilominus tamen ipse Bernardus, dulcissimæ suæ lactantis Matris amore arreptus, non valuit se tenere, quin in sermone in Vigil. Nativitatis hæc resolutoria verba protulerit: *O Beata, sola inter mulieres benedicta, sola à generali maledictione liberaliter maledictio generalis super peccatum generale, & originale solùm cecidit:* ergo hoc juxta D. Bernardum Mariam intactam dereliquit.

12 Prob. 4. Ex D. Bernardin. Senen. qui serm. 49. post Pascha sic ait: *non est credendum, quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere ejus carnem, quæ esset maculata peccato originali.* Immò credendum est, quod voluerit sumere carnem ex carne purissima, & quod Mater ejus fuerit plus, quam Eva, & Adam, qui creati sunt sine peccato originali. Non est, inquit, credendum; at verò, si verba Apostoli comprehenderent Mariam, credendum quidem esset: ergo non illam comprehendunt. ¶ 5. Ex S. Ci-

Cipriano serm. de Nativ. Christi, qui habetur in tr. de Card. Christi operibus: ibi: *Nec sustinebat iustitia, ut illud vas electionis communibus laxaretur iuriis; quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpas* sed inter communes injurias, communior, & generalior fuit injuria generalis: ergo hac Maria non communicavit, licet communicaret natura. ¶ 6. Ex D. Hieron. simul & Ecclesia, quæ illum in 5. lectio-
ne officii Conceptionis laudat in his verbis: *quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit; ::: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Nunc sic; sed primum, & principale, quod in ea factum est, ejus fuit huma-
nitas: ergo hæc tota pura, simplex, vera, & gratiola fuit; adeo ut, si-
cūt dicitur Sap. 7. *nihil inquinatum in eam incurrit.* Confirmat hoc ipse S. Doct. lect. 6. ubi Mariam vocat, *hortus deliciarum :: siccus conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi.*

13. Prob. 7. Ex Petro Canisio, lib. 5. de Deipara, c. 27. ubi adducit testimonium ex Albert. magn. lib. de Laud. Virg. sic dicente: *hac Virgo sola à communi illa regula excipitur: omnes in Adam peccaverunt.* Et addit Salazar in suo opere de Conceptio-
ne, cap. 42. secul. 13. quæ se-
quuntur verba: *ut autem huic testimo-
nio fidem comparem, cui aliqui minus cre-
dunt, addo librum istum à me relectum
Murcia in Bibliotheca Fratrum Minorum.*
¶ 8. Ex D. Ansel. lib. de Concep-
pt. Virg. c. 18. ubi sic ait: (&
Ecclesia ex eo in 2. vesp.) *dece-
bat, ut ea puritate, qua major sub Deo*

*nequit intelligi, Virgo illa niteret. Et qui-
dem, si maculata conciperetur, hoc
non esset verum; posset enim im-
maculata concipi: quo in casu ma-
jor esset, & nitidior intelligeretur.*

¶ Prob. 9. Ex D. Ildephon. qui lib. contra disputant. de Virg. & parturition. B. Mariæ sic ait: *si ista peperit, (hoc est, cum dolore, & fardibus) Verbum Patris de carne pec-
cati, quod absit, ut caro fieret, homi-
nem assumpsit. Absit, inquit, quod ca-
ro Virginis caro esset peccati: per
carnem autem peccati intelligit Ca-
ietan. in Apost. ad Rom. c. 8. car-
nem peccato infectam originali: er-
go juxta D. Ildeph. peccatum hoc
absuit à carne Virg. Mariæ, & pro-
priori titulo ab illius anima.*

EX D. THOMA.

¶ 4 **Q**uanvis D. Thomam con-
trarium nobis habere
videamus locis, & ver-
bis infrà referendis, ne verbis Apos-
toli, vel litteraliter contradiceret in-
tellectis, & fortè timidum, ne de-
ficeret à fide; habemus etiam illum
alibi, & non utique semel, sàpè
verò nobis amicum, & proximum
adeò, ut expressior pro nobis esse
nequeat. Prob. 1. ex D. Thoma,
in 1. sent. dist. 44. q. 1. ar. 3.
ad 3. ubi ait: *posse aliquid creatum re-
periri, quo nihil purius esse possit in re-
bus creatis, si nulla contagione peccati
infectum sit; & talis fuit puritas B. Vir-
ginis, que à peccato originali, & actu-
ali immunis fuit: fuit tamen sub Deo, qua-
tenus fuit in potentia ad peccandum. Ecce
tibi B. Virginem juxta D. Thoma.*
immu-

immunem, seu mundam à peccato originali. Non autem dicit, *mundatam*: hoc enim commune est omni Baptizato; nec sic esset talis, quia nihil esset purius. Unde sicut non dicitur immunis à tributo, qui illud jam solvit, postquam fuit contratum, sic Virgo Maria, si solveret media justificatione tributum peccati jam contraeti, impropiè diceretur immunis ab originali.

15 Prob. 2. Ex ipso D. Th. qui in Compen. Theolog. Opusc. 2. c. 224. de sanctificat. sic ait: *si disxerimus, quoniā peccatum non habemus, ēpsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: sed de B. V. M. Matre Dei intelligi potest, quod caotic. 4. dicitur: *tota pulchra es, & macula non est in te*. Nec solum B. Maria à peccato actuali immunis fuit, sed etiam ab originali speciali privilegio mundata. Dices forsan, quod vox mundata, prout contraponitur voci munda, innuit præcessisse peccatum, à quo mundaretur, originale. Sed hoc nihil urget; quia mundari à peccato originali non est speciale, ut ipse ait, sed commune omnibus Baptizatis privilegium. Verum est, quod Angel. Doct. statim, postquam expressè prædicta profert verba, ministrat & alia contrarium suadere sonantia, quod est argumentum quasi evidens, quod mens S. Doctoris quasi pendula circa hoc mysterium versabatur, pavidaque, ne, si Matri Verbi faveret, à verbis Pauli discederet: Unde problematicè, videtur, præcessisse, & simul permisive, ut Discipuli ejus immunitatem V. Mariæ teneremus; ait enim, quod de B. V. M. Matre Dei potest intelligi

&c. si ergo intelligi potest, poterit itidem teneri, atque defendi.

16 Prob. 3. Ex ipso D. Th. à perdocto Semier, Sacrae Benedictinæ Religionis ornamento præclaro, qui tom. 1. tr. 1. prælimin. §. 23. n. 131. ubi D. Th. laudat in Epist. ad Rom. 5. sic dicentes: *omnes in Adam peccaverunt, excepta Beata Virg. que nullam contraxit maculam originalis peccati*. Quæ verba, ait, exhibentur in manuscripto codice Bibliothecæ Sfortianæ reperto ab Urb. VIII. cui Cardinalis Trexo ostendit inspiciendum exclamanti, & dolenti, quod illa verba non reperiuntur inserta in novissimis editionibus. ¶ Prob. 4. ex ipso D. Th. qui in cap. 3. ad Galat. lect. 6. secundum editionem Parisensem anno 1529. 1532. 1541. & 1592. & secundum Lugdunensem 1541. & secundum Venetam 1555. & 1590. quæ omnia prælaudatus Semier refert, ait sic: *non inveni mulierem à peccato originali, vel actuali immunem, prater purissimam, & omnī laude dignissimam Virginem Marianam*. Verum est, quod in recentioribus editionibus hæc non leguntur verba; arguit tamen, D. Thomam hoc sensisse saltim aliquandò. Quod si contrarium postea afferuit, causa fuit formido, & reverentia ad Apostoli verba, validiora tunc, quam nunc temporis contra immunitatem Virginis. Si vero hæc verba protulit Sanctus, postquam contrarium dixit locis infra referendis, argumentum est, retractasse sententiam, cum sanctorum sit, & sapientium nonnulliès mutare consilium; cujusmodi

modi solutione sèpè utuntur fidissimi D. Thomæ assertæ, dum ipsum adversantem sibi inveniunt, retrattavit, inquietantes, D. Thomas sententiam.

17 Prob. 5. Ex ipso S. Doct. qui nostram sententiam demonstrativè pronuntiavit in 1. sent. dist. 44. q. unica, art. 3. Et ibi ad Anibal. art. 2. Et ibidem dist. 17. q. 2. art. 4. & opusc. 61. dodecæm grad. ubi repetit illam memorati suprà Anselmi sententiam: debet, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret; sed major sub Deo puritas est, Virginem Mariam finè, quàm cum macula originali esse conceptam: ergo juxta D. Th. numquam adfuit macula originalis in Maria.

Confirmatur ex ipso S. Doct. qui 3. p. q. 27. art. 4. nullum peccatum, vel veniale, admittit in Deipara, quod sic probat: Beatisima Virgo non esset idonea Mater Dei, si aliquandù peccasset (adhuc venialiter) quia honor parentis redundat in prolem juxta illud prov. 17. gloria filiorum parentes eorum: undè & per oppositum ignominia Matris in Filium redundasset. Ex quibus sic arguimus pro D. Th. favente immunitati, & contra ipsum ipsam alibi negare sonantem: Maria Virgo fuit idonea Dei Mater. Quis hoc neget? Sed non esset, si conciperetur in peccato originali. Prob. hæc: major est culpa originalis, quæ mortalis est, quàm venialis compatibilis cum gratia; sed hæc, juxta D. Th. privaret Virg. Mariam debita idoneitate effendi Matrem Dei: ergo ex D. Th. sequitur, quòd po-

tiori titulo illam indignificaret culpa originalis, quæ major est.

18 Urgetur 1. ex ipso S. Doctore, qui 3. p. q. 27. art. 1. tradit pro regula sanctitatis festum ab Ecclesia celebrari, dicens: quid non celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto: ergo (infert ipse) B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit Sancta; quia celebra suam Nativitatem. Nunc sic, inferimus nos; sed etiam celebrat Ecclesia ejus Immaculatam Conceptionem: ergo in illa, juxta D. Th. debuit esse Sancta, vel fallit ejus regula; quod dictu indignum est. ¶ Urgetur 2. ex ipso, qui 2. 2. q. 10. art. 12. hæc ait: maximam habet autoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus emulanda; quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia autoritatem habet. Unde magis stardum est autoritati Ecclesiæ, quæ autoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel enjuscumque Doctoris. Nunc sic; sed à Sixto IV. ad usque tempora præsentia consuevit Ecclesia hanc Immaculatam Conceptionem celebrare, & quotidie autoritate aliorum Pontificum, & Concilii Tridentinæ videmus invalescere: ergo juxta D. Th. quidquid alii Auctores, & ipsam Doct. Angelicus in contrarium indicassent, Sancta, & Immaculata Conceptione Mariæ debuit esse.

19 Ex quo sequitur, D. Thomam à tempore, quo scripsit, hanc nostram sententiam protegisse, imd & pronunciasse; si verò contrarium aliquandù tenuisse videatur, fuit quasi protestans, quid sua, omniumque aliorum Doctorum adversantium authoritas non substaret, si

authoritas Ecclesiæ aliquandò obstat; sed defactò nunc temporis obstat, non modò permittens nostram hanc defendere sententiam, sed & contrariam scribere, prædicare, vel publicè propugnare prohibens: ergo quam nos sequimur sententiam, ipsa est D. Thomæ. ¶ Sed quid mirum, si Filius fuit fidelissimus præclarissimi, totoque terrarum orbe celeberrimi Patriarchæ S. Domini- ei, cuius ardens, & lucens fax etiam hanc, quam nunc versamus, materiam illustravit, dicens in tr. de Corp. Christi contra Albigen. sic: sicut primus Adm ex terra Virginea numquā maledicta formatus est, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius terra, id est, Mater Virgo numquā fuit maledicta.

20 Nec est mirandum, quod D. Thom. aliquandiù nostræ sententiæ fuisset refragatus; scriptit enim ea immatura tempestate, in qua tot Antesignani Proceres Ecclesiæ, quorum vestigiis humilis, & ideo sublimis doctrina D. Thomæ, tamquam affecla, & pedissequa insisterre non fuit dignata, in adversam nostræ abierte defensandam conclusionem; fuit tamen protestans de eorum autoritate ad futurum Ecclesiæ iudicium, quod nunc iam extat, licet non resolvens, protegens verò, & promovens contrariam opinionem. Unde in illo tempore tam longè absuit D. Thom. ab infirmitate, vel errore in eo, quod per tunc trepidaret, vel in sententiam nostræ adversam inclinaret, ut quin potius posset dubitari, & defacto exceptatum est quæsumus inter aliquos,

quis protunc prudentior ex duobus, Doctor Angelicus, an Doctor Subtilis? ille modestè trepidando, hic ardenter propugnando immunitatem Mariæ Virginalem? Quis, inquam, prudentior? Quæsumus hoc solvant, qui illud excitant.

21 Nos quidem utriusque, & Sancti, & venerabilis Doctoris processum collaudamus, & dicimus, quod prudentissima fuit D. Thomæ cautio in resolvendo; laudabilis etiam ardens Scotti devotio in argumenta contraria immunitati solvendo. In solvendo, inquam; quantum enim ad decidendum ea modestia, humilitate, & sobrietate usus est, quam indicant sequentia verba, videnda in 3. dist. 3. q. 1. quibus suum ultimatum iudicium non expressit, sed suppressit Ecclesiæ, & Scripturæ supremæ authoritati: ibi enim, postquam præmitit trinum modum, quibus B. Virgo potuit sanctificari, sic ait: quod autem horum trium, que offensa sunt, factum sit, Deus novit. Si authoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellenter est attribuire Maria. Ubi, ut vides, solum conditionatè resolvere ausus est; inquit enim: si authoritati Ecclesiæ, vel Scripturæ non repugnet; & adhuc sic non asserit. ut certum, sed ut probabile, & non probabile, quod sit, sed quod videtur, esse probabile,

22 Et nihilominus tamen neganda non est, immò jure tribuenda est huic Aquilino ingenio gloria, & perillustris titulus Doctoris Mariani, eo quod Mariæ immunitatem, quam plures alii Doctores, licet concipere voluisse, ex suis testimo-

timoniis satis constat; non tamen eam in publico, & academico certamine præ timore infidentia, vel ex aliis titulis eructare ausi sunt. *Scotus* verò, licet hanc humilitatem imitaretur quantum ad resolendum; at se omnibus præposuit tum in inquirendo, & detegendo media, & modos, quibus hoc privilegium sine præjudicio fidei verificari posset; tum in firmando rationes, & ministrando congruentias; tum demùm in solvendo adeò subtiliter authoritates, & objectiones contrariorum, ut celeberrima Academia Parisiensis, *Sorbona* dicta, delubrumque sapientiæ, ad propagandam hanc Scoticam sententiam anno 1346. se suosque juramento obstrinxerit hanc B. Mariæ immunitatem profitendi, postquam Doctoris subtilis egregio agnomine *Scotum* insignierat, occasione sumpta ex celebri disputatione super hac re habita coram Legatis Apostolicis, missis à Bened. XI, pro hac difficultate authoritativer discutienda; pro cuius exitu secundo Mariæ marmoream statuam, dum ad certamen properaret, salutavit illis verbis: *dignare me laudare te, Virgo Sacrata; da mihi virtutem &c.* Ad quæ respondit Deipara caput inclinando, (cujus inclinatio adhuc hodie perstat) quasi annuens ejus precibus, vel quasi jana gratularetur pro triumpho ab adversariis suæ immunitati reportando. Sic refert N. Lezana in *Apolog.* c. 17. cum aliis ab Illust. Saman. laudatis in vita Scotti lib. 1. c. 9. n. 2. & 3.

23 Propter hanc partam victoriæ, inquit Doctissimus quidam

Domesticus noster, *Ordo Seraphicus*, à tempore sui Doctoris subtilis ipsius doctrinam, non modo ut probabilem, verùm etiam ut indubiam viribus tenens nervosis, & invictis, gloriam assecutus est præ omnibus Scholis venerandi Magistrum, qui primus Scholasticorum pro tuenda hac veritate in arenam descendit; qui que ex tunc sententiæ hujus factatoribus dux est constitutus, & faciem accedit etiam contra illam sufflantibus illius temporis Theologæ processibus. Hæc ille in substantia.

¶ Ad rem: si ergo Doct. subtilis, post tot rationes adeò fundatas, post tot objectiones tam subtiliter præclusas, post tot acclamations celeberrimæ Sorbonæ Parisiensis, adhuc sic resolvit, ut nec probabilem dicat suam sententiam, sed, quod probabilis videtur; & hoc sub conditione, quod Ecclesiæ non repugnet; quid mirum, quod D. Th. tringita retrò aëtis annis, quandò quæstio hæc cautiùs, & pavidiùs agebatur, cautiùs, & pavidiùs responderet?

24 Nec hujusmodi gloriæ, venerandi, scilicet, & confitendi Marianam puritatem, exortem reputes nostram Carmelitanam familiam, quæ jam indè à sæculo quarto, tempore D.D. Aug. & Hieronymi hanc hausit piissimam sententiam, & doctrinam à perecelestri N. Joanne, Hierosolimitanæ Ecclesiæ Patriarcha XLIV, nostræque Sacrae Religionis Alumno fulgentissimo, qui in lib. de instit. Monach. c. 32. loquens de visione Proto-Parentis nostri Eliæ, dum nubeculam parvam, quasi vestigium hominis, ut narrat Reg. hist.

I. 3. c. 18. Mariæ Virginis insignem typum, ascendentem vedit à mari, in ejus elevatione testatur, agnoscisse S. Prophetam mysterium (inter alia) de quo loquimur, illud que suis Carmelitis arcando aperiuisse.

Audiamus ejus verba: quid autem Sacramenti rerum futurarum visio illa intrinsecus contineret, & quod jugis mysterii Deus Eliae per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperiire, non palam hominibus, sed secretius consoribus, à quibus traditum tenemus, Deum sub figurata visione revelasse tunc Eliae quatuor magna mysteria, quæ per ordinem explicabo. Primo, quod quedam infantula nascetur, quæ infantula jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licit namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis; mare quippe ponderosum est, & amarum; sed nubecula illa levis fuit, & dulcis: sic quavis in quolibet homine natura humana, instar maris, sit in suo origine amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere pressa: B. tamen Maria de hoc mari, id est, humana natura, aliter fuit orta; quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed, instar illius nubecula, fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum: ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysem figurata est scriptum: ecce gloria Domini apparuit in nube.

25 Quid proprius, quidve propitius pro nostra conclusione! Sed & quid gloriostius pro nostra Religione! In qua mille annis cerciter ante Con-

ceptionem Virginis Mariæ jam ejus immunitas originalis inter claustra vulgabatur, credebatur, tenebatur; licet non adhucque prædefinitum tempus eructabatur. Gran gloria es de esta Religiosissima familia, inquit Ogeda in informat. Eccl. pro Immacul. Concept. c. 1. que en la materia de la limpia Concepcion de la Madre de Dios pueda poner por tradicion la de mas de dos mil, y quinientos años: que tantos han corrido desde la revelacion de Elias. Justo es, no passar de qui; sin darle el paraben de este gran tesoro. Super quæ: unum illud addam, addit Salazar in suo opere de Concept. c. 38. n. 11. scilicet, eam de B. Maria puritate præsagam, & Propheticam cognitionem ab Elia, Eliseo, & aliis suis Discipulis manifestatam, ab illis porro sequentibus perpetua successione per manus traditam fuisse; donec orta jam Maria, & visionem re ipsa comprobante, Aedes Sacra in Carmelo extructa fuit, ejusdem puritatis præclarum monumentum.

Ehinc forte emanavit antiqua Nostratum consuetudo celebrandi festum Conceptionis Immaculatae, quæ viguit, teste N. Resoluto celeberrimo Baconio in 4. dist. 2. q. 4. à tempore Alexandri III. circa annum 1180. publica, inquit ibi, & diuturna consuetudine celebratum est hoc festum (Conceptionis) in Curia Romana, etiam cum Venerabili Congregatione Cardinalium, cum solemni Missa, & Sermone singulis annis in Domo Fratrum Ordinis Beatissimæ Mariae de Monte Carmelo. Et hac duraverunt tempore multorum Pontificum Romanorum, usque ad presens tempus. Glorietur ergo Seraphica Familia de tanti mysterii ardenti Apo-

logia, argumentorumque turba feliciter devicta. Sed & glorietur nostra de tam secunda, præsagaque notitia, simul & manutenenia tam à longè successiva cum veneratione solenni tot antevertentia sœcula effectivè anticipata in honorem tantæ Matris Immaculatæ Conceptionis.

¶ RATIONE, ET CONGRUENTIIS.

26 **E**A, quæ ex Divina pendent voluntate, quando hæc ex Divinis litteris expressæ non appareat, nec est ab Ecclesia nobis intimata, non tam ratione veniunt comprobanda, quæ rationabilibus congruentiis suadenda. Ea propter, cùm ex voluntate Dei pendeat hoc purissimæ, & illibatæ Conceptionis privilegium, & per Scripturam non expressæ nobis constet, nec Ecclesia hucusque pro illo definierit; ut ipsum affirmemus, & firmemus, non tam ratiociniis demonstrativis, quæ congruentiis urgentissimis, opus est, utamur.

Sit prima: dilectio Dei, ejusque recta providentia postulant, ut largiori manu, donisque superioribus hi condecorentur, qui excellentiores, propinquioresque Deo sunt in Regno ejus; sed B. V. Maria excellentior est, propinquiorque Deo omni creatura; & aliæ pluribus creaturis tum Angelicis, tum humanis largitus est Deus gratiam, & prærogativam creandi eas in gratia: ergo hanc gratiam, non est credibile, denegasse ei, quæ in omni populo, & in omni gente primatum habet, & omnium excelleniam, & humilium corda

virtutē calcat; ut inquit Eccl. 24. &
Ecclesia ex eo. Min. quoad prim.
part. patet ex hoc textu, & ex illo
prov. 31. multæ filia congregaverunt di-
vitias, tu supergressa es universas. Et
ex D. Ansel. in 8. lect. offic. laud.
O benedicta super mulieres, quæ Angelos
vincis puritate, & Santos superas pietate.
Quoad secundam vero patet in
Adamo, & Eva, & cunctis Ange-
lis, qui in primo instanti suæ crea-
tionis gratiam receperunt, & in nullo illa caruerunt: ergo.

27 Sit secunda ratio: B. Mariæ id est concedendum, quod excellentius est, ceditque in ejus maiorem dignitatem, si non repugnet ejus creatæ conditioni, nec dede-
ceat dignitatem ejus Conditoris; sed
Mariam concipi illibatam à primo
instanti sui esse, excellentius & plus
exaltans eam est, quæ concipi vi-
tiam; & aliæ hoc non repugnat
puræ creaturæ, nec pugnat cum
dignitate ejus Creatoris: ergo con-
cedendum illi est. Min. quantum ad
majorem dignitatem Mariæ, plus
est, quæ certa; quod autem Deum
non dedebeat, videtur in Concep-
tione Evæ: quantò ergo minus in
Mariæ? Conseq. est legitima, & maj.
prob. exemplo Christi Domini, de
quo D. Th. & nos ex eo tr. de
gratia, & scientia ipsius, sæpenum-
erò asserimus, Deum communi-
casse Christo Domino quidquid in
majorem decorem, & dignitatem
cederet muneric Redemptoris, mo-
dò non esset repugnantia ex parte
ipsius, nec indecentia ex parte Dei:
ergo idem videtur dicendum, pro-
portione servata, de ipsius Matre,
quæ

quæ unicum est in humanis correlative tantum filii.

28 Sit tertia ratio: Deus potuit concedere Mariæ hoc privilegium immunitatis originalis: ergo de facto concessit illud illi. Conseq. prob. paritate desumpta ex D. Aug. qui lib. de Assumpt. V. Mariæ, c. 5. sic arguit: Deus potuit hoc privilegium concedere Mariæ, (hoc est, incorruptionem sui corporis) quod nullus negat: si ergo potuit, abs dubio & fecit. Hæc consequentia est bona juxta D. Aug. ergo licebit sic arguere: Deus potuit concedere Mariæ incorruptionem suæ animæ, quod nullus negat: si ergo potuit, abs dubio & fecit: ergo vel non valet argum. Divi Aug. vel, si valet, erit legitima nostræ conclusionis demonstratio.

Confirm. 1. quidquid privilegiorum, inquit Ansel. serm. de Concept. concessum est Angelis, id quoque Deus Filius Virginea Mariæ concessit; atqui Angelis concessit Deus creationem in gratia: ergo & Matri suæ in gratia Conceptionem.

Confirm. 2. ex D. Bern. Epist. 174. quod paucis mortalium, inquit, constat fuisse collatum, fas sit non suspicari, tanta Virginis esse negatum; sed paucis, hoc est, duobus Adamo, & Evæ concessa est gratia Conceptionis in illa: ergo hoc nedum licet Mariæ denegare, verum nec fas est, non datam suspicari.

Urgetur 1. quia indignum tantum Matris est in illas iniurias incurtere Legis: *in dolore paries. In pulverem reverteris. Pronum est cor hominis ad malum.* Omnes unanimiter Theologi,

præter illas B. V. Mariam vixisse, contentetur; sed indignius erat actu esse infectam labie originali, cum per hanc, & non per illas privaretur gratia, & amicitia Dei: ergo etiam ab hac lege exempta fuit.

Urgetur 2. quia ea omnia à B. V. M. aleganda sunt, quæ, si tribuantur ipsi, fidelium pias aures offendunt, & quasi scandalum in eis pariunt; sed hoc verificatur, si Mariam Matrem Dei dicamus maculatam, peccatricem, immundam, inimicam Dei, filiam iræ, & reliqua his accessoria, & consequentia: ergo non ei conveniunt.

Sit quarta, & non infirmior ratio, quæque funditus evertit præcipuum adversariorum munimentum: id est Mariæ V. inficianda foret immunitas à peccato originali, quia pro hac instant negatione laudati Apóstoli verba repetita: *in Adam omnes moriuntur.* Et ad Rom. 3. Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt: sed hæc non hanc cogunt gratiam à V. Maria relegare. Hæc minor ostenditur: Joannis in epist. 1. c. 1. hæc etiam leguntur (& quidem æquè veneranda, fideque tenenda, ac verba D. Pauli): *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seduimus, & veritas in nobis non est:* & paulo infra: *Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Affine est illud Prov. 24. *Septies enim in die cadet justus.* Quæ tamen verba sacræ paginae venerandi exploratores inoffenso decurrunt pede, de peccato actuali personali ea intelligendo (neque originale peccatum potest quis septies contrahere,

ut

ut ex se patet). Ex quibus omnibus hoc conficitur breve ratiocinium: Sacra pagina pari profert generalitate, omnem hominem in aliquod, vel aliqua labi peccata actualia personalia, ac omnem hominem in Adam peccasse peccato originali; & tamen verba D. Joannis, & Proverbiorum admittunt pro V. Maria exceptionem quantum ad minutissimum peccatum actuale personaliter per se ipsam committendum, ut cum D. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. omnes catholici tenent, & collaudant: ergo etiam verba D. Pauli, indefinite de omni homine loquentia, similem admittent exceptionem in V. Maria quantum ad originale contrahendum: ergo si à personali culpa fuit Maria immunis sine præjudicio authoritatis D. Joannis, ab originali etiam potuit esse expers sine injuria authoritatis D. Pauli. Herclè disparitas vel nulla est, vel facilis, quæ disparesat, appetit.

SENTENTIA CONTRARIA.

29 **O**bjic. 1. ex Sac. Script. illud ad Rom. 3. v. 22. & 23. *iniquitia Dei per fidem Jesu-Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Super quæ ultima verba inquit August. lib. 2. Hypognost. circa fin. dicendo, *omnes, nullum excipit; quinimo totum declarat genus humanum.* Et D. Ansel. lib. de Concept. Virg. c. 22. *propter hoc Apostolus omnes filios Adæ, excepto Virginis Filio, peccatores, & filios ira in suis scripturis esse pronuntiavit.* ¶

Objic. 2. illud ejusdem 2. ad Cor. c. 5. v. 14. & 15. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.* Super quæ D. Aug. lib. 6. contra Julian. c. 1. hæc inter alia profert verba: *nullo modo hic negare permitteris, non nisi pro his, qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum.* Et Caiet. tom. 2. opusculor. opus. 1. c. 3. *Opporet de Virgine firmiter credere, quod Christus mortuus est pro ipsa; & quod ipsa est mortua morte peccati.*

30 Objic. 3. illud eiusdem 1. ad Cor. c. 15. v. 21. & 22. *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viviscabuntur.* Super quæ D. Aug. lib. contra Julian. c. 12. & Pelagianos, qui à prædicta lege non contrahendi originalem mortem aliquos exemptos esse volebant, sic ait: *Vos autem, dum non omnes, sive per Adam condemnatos esse, sive per Christum libera- tos vultis intelligi, horrenda perversitate Christiana Religioni estis infesti.* ¶ Objic. 4. illud Lucæ 19. *Venit enim Filius hominis querere, & salvum facere quod perierat.* Et Matth. 9. non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: non verū vocare iustos, sed peccatores. Et c. 15. Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant. Et 1. ad Thim. 1. *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Nuñc sic: sed Christus venit propter Mariam Matrem ejus: ergo venit, ut eam sanaret, eam salvaret, & eam ovem inveniret.

31 Ante decisionem harum, & subsequentium objectionum, notatum dignum est, SS. PP. in expositione prædictorum textuum, & in varijs ip-

ipsorum testimonij adducendis excessivè aliquantulum loqui potuisse, ut hæresim eliminarent Pelagianam, quæ in contrariam partem plus æquo inclinabat; quæque nonnullos à lege generali contrahendi originale peccatum eximebat, paritate sumpta ab immunitate Christi Domini, qui licet homo ab Adam descendens, illud tamen non contraxit, ut colligitur ex Beda in prolog. sup. Cant. Et sicut ille, qui virginem obliquam rectificare vult, illam in contrariam plus æquo detorquet partem, ut in medio consistat, sic SS. PP. sèpè contra Hæreticos pugnantes, hoc utuntur medio prudentissimo, ne, si in medio fiant, facile ab illo devient Hæretici.

32 Aliqui respondent ad hæc argumenta, & alia desumpta ex SS. PP. concedendo eorum testimonia de contractione peccati originalis quoad debitum; negando vero de contractione quoad ipsum peccatum in se sumptum; hoc est, quod B. Maria non contraxit peccatum originale; debuit tamen contrahere: unde fuit debitrix, quia contraxit debitum verum contrahendi. Sic quidam perdoctus Noster domesticus cum pluribus, quibus ipse adhæsit, & adhæsit adeò, ut abesse a eis opus fuerit, ne in scyllam incideret, cupiens vitare charybdim. Et quidem hoc debitum chimæricum videtur: si enim Petrus, v. g. dicat Joanni: siquandò me offendiris in honore, in fama, vel in pecunijs, nolo ex nunc, ut reddas mihi honorem, famam, aut pecunias, licet injustè ablatas, sed ex nunc ab

Tomo II.

hoc te absolvō debito; essetne aliquandò in Joanne debitum reddendi illas? Nunquam; quia ab initio creditor trasmissit, & remisit debitum. Si ergo B. Maria ab initio, & ante sæcula creata fuit primogenita ante omnem creaturam, & in omni gente primatum tenens, & consequenter ante Adam, & ejus peccatum jam concepta erat in mente Divina cum privilegio non contrahendi maculam originalem; Quandò hoc debitum contraxit? Non quidem ante Conceptionem, ut supponi debet; sed nec quandò concepta fuit; quia jam ab initio, & antequam concepta esset, Deus, qui quasi creditor erat, ut labes contraheretur, labem noluit contrahi, & ab hoc absolvit debito, sicut de creditore honoris, vel famæ supra diximus: ergo tale debitum nullum est; est enim debitum, quod noluit creditor, ut contraheretur, & si nemō debet id, quod non vult sibi solvi Creditor, multò minus debitum, quod ex benevolentia creditoris non contractum est.

33 Eminentissimus Cardinalis Sfondati, quem priusquam purpura, honore meritissimo celeberrimi Moderatoris Cathedræ in Universitate Salis Burgensis condecoratum refert laudatus suprà Semier, qui & eum sequitur, respondet, prædicta testimonia intelligenda esse de infectione massæ, seu carnis damnatæ, & maledictæ; quatenus hæc procedens ex Parentum congressu recipitur in utero Materno, atque participat maledictionem illius, à quo venit, scilicet Adæ, & ideo habet

Q

qua-

quasi sigillationem, & efficaciam, ut, quantum est ex se (nisi privilegium obstat) communicet suam infectionem animæ; non verò esse intelligenda de effectiva animæ infectione.

Sed nec hanc admittimus viam satisfaciendi prædictis locis. Tum, quia dedecet magnificenciam, & benevolentiam Dei restrictio in eximendo à maledictione animam, & non corpus, seu massam, vel carnem suæ Matri: esset enim Deum, aliás magnificentissimum erga omnes, etiam peccatores, conferre suæ Matri sanctissimæ, & purissimæ favorem truncum, parcum, & restrictum: esset etiam concedere quod plus est, nempe animæ puritatem, & negare quod minus, nempe corporis munditiem. Tum etiam, quia malè audit apud pios, quodd caro sanctissima, immò & Divina Christi, ex carne infecta, maledicta, & damnata fabricata fuisset. Tum demùm, quia valdè credibile, immò apud nos certum moraliter, quod ait circa hoc punctum Venerabilis, & dignissima Amanuensis Beatissime Virgin. Mariæ Maria de Agreda in suis celebratissimis scriptis, Divinis à Benedicto XIII. nuncupatis, tom. I. p. I. lib. 6. c. 15. n. 113. ubi loquendo de Parentibus V. Mariæ, & de mundissimo eam generandi modo, hæc scribit nostro vulgari idiomate Hispanorum: *Estudieron en esto sus Padres, gobernados con la gracia, tan abstractos de la concupiscencia, y delectacion, que le faltó aqui a la culpa original el accidente imperfecto, que de ordinario acompaña a la materia, ó instrumento, con que se comunica:: y así por esta parte*

pudo muy bien no resultar el pecado en esta concepcion: ergo vanus est recursus, pro responsione ad prædicta testimonia dicere ipsa de infectione massæ carneæ, non de labe animæ esse intelligenda.

34 Unde melius est planè confiteri, prædicta loca de peccato loqui morali, quod solius animæ proprium est; non de macula physica massæ carneæ, quæ peccati non est capax, nisi ut summum, dispositio ad illud, vel etiam fundatum. Sed negamus hanc conseq. ergo B. V. M. illam labem originalem contraxit, deductam ex illis antecedentibus, & indefinitis, præmissis: omnes peccaverunt. Non est distinctio. Omnes mortui sunt: fallit quippe sæpè merò regula generalis, & indefinitè promulgata; dum in casibus, vel personis particularibus obstat motivum speciale, gratia, vel privilegium, ratio, vel congruentia fundatissima, ut contingit in præsenti.

Innumeris hoc exemplis poterat comprobari, tum ex Divinis, tum ex litteris humanis deductis; sufficiat brevitas: ergo duo attingere. Primum ex lib. Abster, c. 15. 12. præsenti materiæ adeò accommodatum, ut solummodo ad illam prænuntiandam accidisse videatur. *Quid habes, Abster? aiebat huic Assuerus, Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex (moriendi) constituta est. Ecce legem generalē pro omnibus institutam, & tamen ait Rex: non pro te, sed pro omnibus, si ergo pro omnibus, cur non pro Regina? Responsio est in Legibus Cæssareis (& est aliud exemplum)*

nam 1. Princeps in leg. ff. de legibus, ibi : Princeps legibus subditus non est; Augusta vero, licet sit subdita, tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipse habet. Ex quo planè sequitur, quod in legem generalem, indefinite promulgatam, maximè si sit acerba, indecorosa, & male audiens apud pios, & prudentes, non intrat Regina, sive Augusta, & pari ratione neque Mater, qualis est Virgo Maria respectu Dei. Ad explicationem preditorum locorum Scripturæ dicimus postea, dum ad testimonia respondeamus Sanctor. PP.

35 Objic. 2. SS. Patres, quorum haud contemnenda manus obviā videtur venire contra nos; sed Divino auxilio freti, tantèque Matris Nostræ patrocinio muniti satisfacere conabimur. Objic. ergo 1. D. Augustin. adductum n. 29. ubi; ut vidimus, totum, nullo demento individuo, genus humanum asserit peccato originali esse labefactum. ¶ 2. Divum Anselm. qui lib. 2. Cur Deus homo, c. 16. sic ait: licet ipsa hominis ejusdem (scilicet Christi,) Conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta: & cum originali peccato nata est. ¶ 3. Divum Bern. qui in Epist. 174. ad Canonicos Lugdun. hæc habet postadia verba: restat, ut post Conceptionem in utero iam existens, sanctificationem acceptissime credatur, quæ, excluso peccato, Sanctam fecerit uitavitatem; non tamen & Conceptionem.

4. Albertum Magn. in 3. dist. 3. ar. 5. ubi ex premissis ibi infert sic: ergo B. Virgo debuit quidem in originali concipi,

sed statim ab illo mundari. ¶ 5. Divum Bonav. in 3. dist. 3. art. 1. q. 2. ubi multa opponit B. Marie Immaculatae Conceptioni, & hæc inter illa: huic ergo positioni adharentes: :: teneamus, secundum quid communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem. ¶ 6. Divum Bernardin. Sen. ex eodem Ordine Seraphico, quique idem tenet tom. 4. serm. 4. de Concept. ar. 1. c. 1. ¶ 7. Divum Anton. Florent. qui 1. p. titul. 8. ait. si considerentur Scripture, & dicta Sanctorum antiquorum, & modernorum: :: manifestè patet ex verbis eorum, ipsam V. Mariam in originali peccato conceptam fuisse. ¶ Ultimò Divum Thom. qui pluribus locis expressè hanc nostram sententiam contradicit: præsertim 3. p. q. 27. art. 2. ubi excitat hanc questionem, respondetque affirmans B. V. Mariam post animationem, non ante illam sanctificatam fuisse: ergo juxta SS. PP. ruit nostra piissima sententia.

36 Hæc, & alia hi, & alii SS. PP. opponunt assertioni nostræ, quæ tamen non unicam, sed multiplicem solutionem, nec etiam contemnendam admittunt. Resp. ergo 1. solutione omnibus communī distinguendo, vel eos explicando: Et loquuntur ex propria sententia, nego, ex sententia Apostoli quam apprehendebant, vel potius formidabant, ne omnes, etiam Mariam comprehenderet, conc. Nobis fides, quid, si tunc temporis de esset hic timor, Ecclesiisque huic immunitati sic faveret, sicut hodiè, celebrando illius festum, permittendo illam defendere, & prohibendo alteram sententiam publicè prædicare, vel

docere, absdubio SS. PP. totas suas vires colligerent, ut originalem puritatem propugnarent, suaderent, convincerent.

2. Potest responderi, Sanctos PP. vel ut minus plures ex illis retractasse sententiam, vel locutos fuisse problematicè, partim timore correpti, ne verbis Apostoli infidenter responderent; partimque amore incensi, ne B. Mariæ, quam non haberet, maculam imputarent. Et sic possunt explicari: problematicè loquendo, concedo; resolutoriè, & absolute docendo, nego. Hujusmodi sunt DD. August. n. 11. Bernardia. Sen. n. 12. Ansel. n. 13. & D. Th. à n. 14. laudati, qui quidem, si conferantur, quæ illic afferunt, cum his, quæ hic objecimus, videntur sibimet aperte contradici.

37 3. Potest responderi, SS. PP. quasi protestantes locutos in hac materia fuisse, hoc est, appellantes, vel ad decisionem Ecclesiæ, vel ad permissionem eius, ut, non esse de fide Mariam comprehendi sub hac legi communi, defendatur, teneaturve, quo in casu jam hodiè reperimus: ergo cessare debet timor infidentiæ tum verbis D. Pauli, tum doctrinæ Sanctor. Patr. quorum unus, qui est omnes in eorum sequela, & veneratione, D. Thom. monuit nos iuxta dicta n. 18. autoritatem Ecclesiæ omnibus, etiam DD. August. & Hieronymi, præferendam esse.

4. Potest sic respond. distinguendo omnes authoritates in hunc modum: B. V. contraxit, vel fuit comprehensa quantum ad peccatum, nego; quantum ad debitum, subdist.

quantum ad debitum actuale, & absolute solutum, nego; quantum ad conditionatum, & possibile, concedo. Est dicere, quod B. V. nec contraxit peccatum, nec debitum ad illud absolute solutum; sed solum debitum conditionatum, hoc est, quod contrahere debet, quantum est ex se, nisi obstatet privilegium. ¶ Demum ad illas authoritates, quæ sine mentione B. Virginis loquuntur, comprehendentes verò indefinitè omnes filios Adæ, ut filios simul ejus peccati, dic Autores excessivè locutos fuisse, ut ab errore Pelagianorum extendentium hoc privilegium immunitatis ad alios, præter Mariam, longius abi- rent, juxta dicta num. 31.

38 Objic. 3. à ratione: Beata Virgo Maria fuit per mortem Christi, & ejus sanguinem redempta: ergo fuit & labefacta originaliter. Ant. prob. ex illo 1. ad Timoth. 2. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ubi Glossa interlinealis ait: nullum exceptit. Et c. 4. qui est Salvator omnium hominum. Et ex illo Lucæ 1. exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, id est, in Salvatore meo, exponit D. Aug. serm. 1. de Assumptione ibi: hac Virgo mirabilis, & inestimabilis modo suum, & omnium peperit Salvatorem. Et Eusebius Emisen. homil. 2. de Nativit. Dñi. loquens de Christo cum ejus Matre, sic ait huic: Initiator omnium rerum abs te initiatur, & profundum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit; ac de te sumpsit, quod etiam pro te solveret. Et D. Bern. Senens. tom. 4. nov. edit. serm. 4. de Concept. art. 3. ait: primogenita Redemptoris Filii eius Jesu B. Vi & plus pro ipsa redimen- da

la venit , quām pro alia creatura.

Demūm hanc V. Mariæ per eius filium redemptionem tenent D. Th. pluribus in locis , Bonavent. Scot. Cajet , & est communis adeò , ut nullus ab ea , prout jacet , recedere ausus sit : ergo tenet ant. Conseq. nunc prob. (scilicet , quòd , si fuit redempta , fuit & labefacta) ex pluribus SS. PP. & præcipue D. August. expresse afferentibus redemptionem supponere servitutem aliquam vel animæ , vel corporis. Sufficiat pro omnibus authoritas Zozimi Papæ , cuius verba refert D. August. Epist. 157. ad Optatum. Loquens ergo de redemptione Christi , sic ait : *nullus nisi qui peccati servus est , liber efficitur ; nec redemptus dici potest , nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.* Et subdit. ipse Augustinus : *in his verbis Apostolica Sedis tam antiqua , atque fundata , certa , & clara est Catholica fides , ut nefas sit de illa dubitare Christiano : tenet ergo consequentia illata.*

39 Ad argum. quod non nihil urget , respond. disting. antec. fuit redempta redemptione speciali , & sibi accommodata , concedo; redemptione omnibus communi , subdist. quoad aliquos effectus , concedo; quoad omnes , adhuc subdist. quantum erat ex parte Redemptoris , concedo; ex parte redimibilis , nego antec. & consequent. Effectus redemptionis non solum est à peccati servitute liberare , sed & ab illo præservare , in gratia confirmare , in virtutibus meliorare , & meritum in hac augere vita , ut & præmium augeatur in æterna ; quos omnes effectus experta est in se V. Maria ea pleni-

tudine , & excellentia , qua nulla pura creatura.

Nec inauditum est hujusmodi redemptionis genus , quod non sit à peccato ; cum etiam præservatio in divinis litteris redemptio nominetur. Undè in Ps. 143. dicitur : *qui redemisti David servum tuum de gladio maligni* , id est , Goliat ; & quidem in illum non incidit ; incederet verò , si divino non protegeretur adiutorio. Et Ps. 85. dicitur : *eruisti animam meam ex inferno inferiori , vel , ut alii vertunt : redemisti.* Et quidem David non descendit ad illud ; quia verò custoditus est , ne descenderet , dicitur redemptus. Hoc confirmat 1. D. Aug. lib. de dilig. Deo, c. 12. Non enim ea sola quæ commissi peccata , sed etiam , quæ , te protegente , non commissi , totum à te dimissum depurandum est. Confirmat hoc 2. famosa quædam D. Bern. authoritas , quam sup. tract. 10. disp. 3. n. 26. dedimus loquentem de Christo Redemptore , scilicet : qui erexit hominem lapsum , dedit stanti Angelo , ne laberetur ; sic illum de captivitate eruens , sicut hunc , scilicet , Angelum , à captivitate defendens ; & hanc ratione fuit utrique redemptio , solvens illum , & servans istum : liquet ergo Sanctis Angelis Dominum Christum fuisse Redemptorem. Ecce Christum Redemptorem Angelorum , & non quidem eos eruentem à commisso , sed eos præservantem à comitendo peccato.

40 Quare ergo non poterimus idem , & aliquid amplius aserere de B. V. Maria? Est ne , quia Christus posterior fuit Conceptione Matris suæ , & sic non potuit influere in

genere causæ efficientis moralis meritiorum? Neutiquam, quia etiam Angelis posterior fuit: hoc verò solum probat non fuisse causam efficientem effectivè; fuit verò causa efficiens motivè: quia non erat causa efficiens existens, sed efficiens prævisa. Et sicut potest Rex ex meritis, vel labore aliquo prævisis, & solum speratis, & fortè qui non erunt, anticipare operaturo munus aliquod, sic Deus potuit tum Angelis, tum B. Mariæ anticipativè ad merita, & opera Christi, certissimè extitura, imò coram Deo physicè præsentia, conferri ingentes gratias, & prærogativas, una quarum esset præservatio à lapsu proprio, vel alieno scilicet, Adami, contrahendio. Hoc quod expressè recitat Ecclesia in oratione Officij Conceptionis: *ut qui ex morte, inquiens, ejusdem Filii sui prævisa eam ab omni labe præservesisti*, quid clarius?

Et quidem, si sententiam communem sequamur Theologorum, quam probat Abulens. Paradoxa 5. c. 162. scilicet, nullum ante Christum, qui est via, ostiumque Cœlorum in istos intraturum ante ipsum, habemus, Virg. Mariam, etiam si à labe originali eximeretur, captivam fuisse in hoc mundo, extorremque à Cœlo, ubi verè non intraret, nisi Christus ejus Filius hunc aditum, divicta morte referasset: ergo verè fuit Redemptor illius, etiam exclusa sordida peccati servitute. ¶ Ad authoritates Zozimi, & Sanctor. PP. respond. concedendo illas, intellectas de redemptione strictissimè sumpta, & in sensu communiter intellecto; præter quem est

& alius modus redimendi, licet non tam strictus, proprius tamen, particularis, & accommodatus personæ redimibili; & talis est, quem diximus respectu B. M. Virginis. Sed instabis, et

41 *Objic. 4.* Hoc magnopere derogare dignitati Christi Domini, si de factò non ejus Matrem redimeret, nedum à lapsu eam præservando, & ab exilio hujus vitæ ad æternam Patriam eam transferendo, sed etiam à morte peccati liberando: ergo doctrina nostra subsistere non potest. Ant. prob. ex D. Th. 3. p. q. 27. ar. 2. ad 2. dicendum, quod, si numquā anima B. Virginis fuisse contago originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quod est universalis omnium Salvator. Idem docet in *Compend. Theol. sup. n. 15. laud.* Ex quibus sic efform. argum. Vel hæc hypothetica conditioinalis D. Th. convincit, vel non? Si convincit, habet suum intentum sententia contraria, quam impræsentiarum propugnare prohibemur; si non convincit, hoc derogat authoritati D. Th. tamquam non probantis, quod intendit: ergo quocumque nos vertamus, urgenter argumenti vi præcludimur.

Respondetur 1. venia præhabita à tanto Doctore, venerandoque Magistro, verba sua in præsenti data demonstrativè non convincere; sed ut summùm congrualiter suadere: si enim efficaciter convincerent, teneremur nostram deferere sententiam, & contrariam defendere, contra inhibitionem S. M. Ecclesiæ; quod nec ipse, si nunc scriberet, fa-

ceret; sed quinimò id, quod ipse nos docuit sup. n. 18. circa authortatem Ecclesie, omnium Doctorum authoritati reverenter præferendam, reduceret in praxim. ¶ Sed & respondeatur 2. & forte gratius D. Thomae, hunc in hac materia bivium processisse, atque problematicum præ timore, & respectu ad relata veneranda verba Apostoli, ut constat ex suprà adductis testimonis ipsius S. Doctoris contrarium suadentibus tenendum. Sed si adhuc non acquiescas.

42 Resp. 3. in forma: disting.
ant. & authoritatem D. Thomae: derogaret dignitati Christi, quantum ad sufficientiam redemptionis, nego, quantum ad efficaciam, subdist. quantum ad efficaciam ex defectu Christi, nego; ex defectu subjecti redimibilis à peccato, adhuc subdist. derogatione positiva, nego; negativa, trans. ant. & neg. conseq. Sicut non est defectus derogans Medicus peritiam non curare eum, qui infirmitate non laborat; extollit vero illam, si ab omni infirmitate hominem præservet; sic Christi dignitati non derogatur, nisi ad summum negative, si Matrem suam à morte non redimat peccati, quod non habet; dummodò illam ab omni malo præservet, & ab exilio hujus mundi, ut ad suam æternam Patriam transeat, relevet. Addimus, quod, si quid derogatur saltim negative dignitati Christi in eo, quod non extendatur ejus redemptio ad suam Matrem quantum ad redemandam à peccato, compensatur optimè cum excellentia habendi Matrem

nunquam labefactam, numquam peccatricem; semper vero mundissimam, semper Deo gratam, semper gratiofissimam.

43 Objic. 5. B. V. Maria fuit baptizata Baptismo Christi: ergo recepit gratiam regenerativam, seu peccatum originale abluentem: ergo fuit in illo concepta. Ant. est commune, & à NN. Salm. moral tr. 2. c. 1. n. 26. sumptum ex Euthimio, qui in Joan. c. 3. ait, quod Christus Petrum, & Virginem baptizavit; Petrus vero reliquos Apostolos. Idque docent Alb. Mag. super missus est, in respons. ad quæst. 36. quæ responsio habetur post quæst. 43. Scotus in 4. dist. 5. quæst. unic. ar. 2. & alii. Quod & suadet præceptum baptisimi, omnes generatim comprehensens fideles homines, & mulieres, quod habetur in Joan. 3. nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei. Suadet etiam, quod per Baptismum fideles signantur membra Ecclesie, daturque eis potestas recipiendi Sacraenta Ecclesie, quibus potuit, & uti debuit V. Maria, si non omnibus, aliquibus, præservit Eucharistia: ergo tenet ant. Conseq. vero videtur legitima; quia Sacraenta id causant, quod significant; Baptismi vero verba lavare innuant aliquid; sed ubi nulla est mæcula, nulla est ablutio: ergo aliqua, saltim originea fuit in B. Maria. Hoc argum. nimis probat, scilicet, quod B. V. maculata persistenter originaliter, usque dum per Christum ejus Filium lavaretur; quo quid indignius?

44 Sed dices, ablutam suisſe an-

tea; at recepto Baptisimi Sacramento, recepit gratiam non actu lavantem, sed potentia lavativam; id quod in Pœnitentiæ Sacram. passim experimur, in quo absolutio cadit sèpè supra materiam jam remissam; & tamen causat gratiam, licet non actu remittentem, potentia verò remissivam. Hoc est, quod respondes, & hoc ipsum respondemus de Baptismo B. M. Virginis, recepisse, scilicet, in Baptismo gratiam baptismalem, non quidem remittentem actu originale, quod non erat, nec regenerantem, quia mortua numquama fuit, sed quantum erat ex se regenerativam, & remissivam, si peccatum adfuissest originale. Nec ob hoc in B. Virgine vacua hæc gratia, vel otiosa fuit; nam præter quamquid erat gratia secunda, adaugens primam, fuit etiam gratia signans Virginem in membrum novæ Ecclesiæ, denuò à Christo ædificatæ, illam capacem reddens aliorum Sacramentorum recipiendi; & demum illam illo peculiari signaculo notans, quod characterem vocant Theologi, & quocum omnes, quas Pastor bonus pabulatur oves, veluti tessera Christianitatis insigniuntur.

45 Sed instabis: B. V. nunquam recepit, nec potuit recipere Sacram. Pœnitentiæ, & consequenter, nec ejus gratiam, non solum ut remittentem, verum nec ut remissivam; eð quid nullum habuit peccatum personale: ergo similiter nec potuit recipere Baptismum, si originale non contraxit. Nego econseq. & parit. Ratio enim, quare B. V. non potuit recipere Sacram. Pœ-

nitiæ, non fuit, quia defuit peccatum actu expellendum, & destruendum: videmus enim passim, plures recipere hoc Sacram. quin adhuc peccatum actu expellendum, quia jam per aliud Sacram. expulsum fuerat; fuit ergo ratio: quia non solum defuit B. Virgini peccatum ut expellendum, sed etiam ut detestandum; & consequenter defuit detestatio, & dolor, quæ sunt materia essentialiter constitutiva Sacramenti. Quod in nobis communiter non sic fit; quamvis enim defuit peccatum destruendum, quod actu existat; semper verò remanet, ut detestandum, quod aliquando fuit, & sic experimur, quod, etiam post jam destructum, semper de illo nos pœnitit, semper nobis dolor est; & consequenter materia Sacramenti constitutiva. At verò peccatum originale non est materia Sacramenti Baptismi; & licet per hoc sit destruendum, & delendum, numquam tamen est detestandum, vel de eo dolendum: & ideo numquam potest repeti; quia peccatum originale nullo modo remanet, nec secundum se, nec ut detestabile. Unde sicut Sacramentum Pœnitentiæ verificatur, licet non actu remittat, si tamen remissivum sit, sic etiam in hac parte potuit verificari in V. Maria Sacram. Baptismi, licet non actu abluens, lavansque, si tamen abscessivum fuit, & lavativum (quantum in se erat) & alias gratiam causavit, & alios effectus sup. jam relatios. ¶ Potest etiam respond. Baptismum duos habere effectus, alium positivum, scilicet, hominem

configurare cum Christo, & hic præcedit alium negativum, scilicet, expulsivum peccati. Quorum primum, & primarium recepit V. M. non verò secundum, vel secundarium. Sed replicabis, et

46 Objic. 6. Christus Dominus non recepit Baptismum à se institutum, quia numquam fuit sub peccato originali: ergo econtra, si B. V. illud recepit, signum est sub peccato fuisse originali. Dist. ant. quia numquam fuit, nec potuit esse, concedo; precissè quia numquam fuit, nego ant. & conseq. Licet Virgo non fuit actu sub tali peccato, potuit tamen esse; & ideo recepit hoc Sacram. quod, licet actu non abluat, potuit tamen abluere; & alias causavit in illa alios effectus, qui in Christo vel jam supponebantur ex natura sua, vel suæ personæ erant dissonantes, vel minus congruentes.

47 Objic. 7. Quia Christus non processit ab Adam per seminalem, virilemque propagationem, est communis P.P. sententia, quod peccatum originale non contraxit: ergo econtra, si B. V. sic processit, debuit illud contrahere. Concesso ant. dist. conseq. contrahere debuit ex se, & secluso privilegio, concedo; hoc supposito, neg. conseq. quia, quod fecit in Christo independentia ab Adam per seminalem processiōnem, fecit in B. V. M. singulare privilegium.

48 Objic. 8. B. V. mortua est temporaliter: ergo signum est peccato originali temeratam fuisse. Conseq. patet, quia mors temporalis fuit

in hominem fulminata in pœnam peccati originalis, juxta illud Genes. 2. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris; quod de morte corporali intelligunt omnes Theologi, & addunt, quod, Adam non peccante, homines immortales, & impossibiles perstarent ex primæva ipsorum conditione. Respond. Beatam V. mortuam quidem fuisse; sed præterquamquod non obiit ex vi dolorum corporalium, nec ex aliqua infirma valetudine, aut senili lassitudine, quæ sunt effectus peccati originalis; sed ex vi ardentissimi in Deum amoris, illuc usque per miraculum compressi, ne vitam illi abrumperet, ut tenet expressè prælaudata Ven. M. de Agreda, p. 3. l. 8. c. 19. n. 741. & adhuc hanc felicissimam mortem non in pœnam subiit peccati contracti originalis, sed in imitationem Jesu Christi Filii sui, cuius redemptionis fuit fidelis coadjutrix, & ut nobis peccatoribus præberet exemplum hunc sumendi calicem amarum, quæ peccatrix numquam fuit, nec dolus ullus inventus in ea, nec à se commissus, nec ex Adamo contractus. Adde ex relata Virgine Agrediana, quod B. V. Maria oblata est morti: quia ipsa voluit, ut vel in hoc suo se filio assimilaret, cæteri verò homines in pœnam primi lapsus, velint noliat, lapsum vitæ finalem subire tenentur.



DUBIUM II.

AN B. V. MARIA , PRÆTER CON-
ceptionem in gratia , habuerit con-
firmationem in illa ?

49 **D**Onum confirmationis in gratia nihil est aliud, quam ipsa gratia sanctificans , non secundum se sumpta , sed quatenus adjunctum habet modum intrinsecum , qui est participatio impeccabilitatis Beatificæ (melius dic Divinitæ) qui , licet non tollat omnem potestatem peccandi , eam tamen ligat in actu primo , ne in actum erumpat peccaminosum secundum. Sic N. N. Salm. tr. 14. disp. 3. dub. 11. n. 259. cum Gonet , Ferrara , & aliis. Est duplex ; aliud firmans , ne in mortale labatur creatura , quali , constans Patrum est sententia , obarmatos fuisse Apostolos , & fortè aliquos Ecclesiæ excellentissimos Athlantes ; inter quos jure nominatur S. P. N. Joannes à Cruce , cui à primo celebratæ Missæ sacrificio hoc fuisse concessum privilegium , Chronographi vitæ suæ referunt consentanei. Aliud firmans creaturam , ne vel in leve incidat peccatum , cujusmodi firmitas solummodo propria est Beatorum ; minimè Viatorum , ait D. Th. 1. p. q. 100. ar. 2. in corp. Et nihilominus de hac confirmatione excitatur præsens quæstio , estque affirmativa.



NOSTRA RESOLUTIO:

50 **B**eatiss. V. Maria nedum fuit concepta , sed & in gratia confirmata , ne vel in leve incideret peccatum , & hoc in instanti primo suæ Conceptionis. Trímembris est resolutio , scilicet , confirmationem fuisse , & hoc fuisse privilegium ab , & in primo vitæ suæ halitu ; & insuper cum exclusione etiam venialium. Prima pars constat ex Trident. sess. 6. can. 23. si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse :: aut posse in tota vita peccata omnia , etiam venialia , vitare , nisi ex speciali Dei privilegio , quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia , anathema sit : ergo B. V. non potuit peccare , nec venialiter ; concedit etenim illi Concilium , & Ecclesia , quod negat ceteris hominibus ; atqui istis posse non labi venialiter expressè dengat : ergo Beatæ Virgini concedit.

Constat etiam ex D. Th. 3. p. q. 27. art. 6. ad 1. Beata Virgo , quæ fuit à Deo electa in Matrem , ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit , quam Joannes Baptista.....cujus signum est , quod Beata Virgini praesitum est , ut de cetero non peccaret nec mortaliter , nec venialiter (hoc autem ultimum negat ibi S. Doct. Joanni Baptista) Nunc sic : sed huic non est neganda confirmatione in gratia , quantum ad mortalia ; fuit enim major inter natos , etiam Apostolos , quos supponimus fuisse confirmatos : ergo nec Virgini Mariæ quantum ad venialia , vel non fuit sanctificatio ejus excellenter.

tior. Ex his probata manet tertia pars; nam testimonia hæc confirmationem Virginis expressè extendunt ad venialia.

51 Prob. 2. prima pars ex adumbrata gratia Virginis Mariæ in lignis Sethim, ex quibus compacta fuit arca fœderis. Erant illa imputribilia figura etiam Mariæ, veræ arcæ, in qua inclusum est verum mana, Christus: oportuit ergo & hanc impeccabilem fuisse; sicut, (& plus) illam imputribilem. ¶ Prob. 3. eadem pars ex doctissimo Idiota (Raymundum Jordanum, quem, compertum est vocari) de Virg. M. c. 4. dicente: corruptæ erant omnes, & peccato vacillaverant; ideo te gloriosam Virg. Mariam Deus adiuvavit in domum solidam, & fortem, qua nullo modo (perpende) vacillare posse; atqui non posse vacillare, & multò melius cadere, solius est animæ confirmatæ in gratia: ergo talis fuit V. Maria.

Prob. 4. eadem, imò & tertia pars ex D. Antonino 4. p. tit. 15. c. 44. §. 9. ubi hoc privilegium probat ex Alb. Magno à se laudato, in hunc modum arguente: illa est major charitas, que nec cessat, nec cessavit, nec cessare potuit umquam ab exercitio diligendi Deum; sed talis fuit charitas Mariæ, non autem fuit talis charitas Seraphica, (Seraphin enim, etsi numquam cessaverint, cessare verò potuerunt in prima sui conditione à Deo diligendo, ut patuit in primo Lucifero, simul & lucifuga: ergo major fuit charitas Mariæ, que numquam potuit cessare. Numquam, inquit, potuit cessare: ergo numquam po-

tuit peccare vel venialiter. Conseq. hæc patet; quia incompossibilis est apud omnes exercitium actuale in amando Deum perfectissimè, quale supponimus in B. V. M. cum actuali exercitio peccaminoso etiam veniali; sed B. V. juxta Alb. Mag. à prædicto amandi exercitio nedum umquam cessavit, verùm nec cessare potuit: ergo nec venialiter peccare quivit.

52 Prob. 5. prima, & tertia pars ex D. Th. n. 49. citato, ubi loquens de confirmatione in gratia Beatorum, hanc negat animabus Viatorum; & addit: ex aliquo privilegio secùs accidere potest, sicut creditur de Virgine Matre Dei: ergo hæc habuit firmitatem, quam Beati, in non labendo; sed beati firmissimi sunt alabendo, etiam in venialia: ergo idem de B.V.M. est firmissimè credendum. ¶ Prob. demùm ratione utraque prima, & tertia pars: quantò à liquid magis appropinquat suo principio, undè suam exhaustit perfectionem, tantò perfectius computandum est; sed Beati Apostoli, qui non erant propinqui, minus verò appropinquantes erant Christo principio fontali omnium perfectionum, & gratiarum, in gratia confirmatione, ne in mortalia laberentur: ergo B. V. quæ magis ei accessit, abs dubio gratiam habuit, ne vel in venialia incideret peccata.

53 Ex his jam facile probatur secunda pars, scilicet, hanc gratiam confirmationis in gratia à primo, & in primo instanti Conceptionis Mariam possedisse. Prob. 1. ex illo Ps. 43. ubi loquens Psaltes de

de Maria Virg. cui accommodat Ecclesia, ait: *Deus in medio ejus non commovebitur*; quasi immobilis in bono, & à bono constituantur, & consistat. At ab hisque? Prosequitur versus: *adiuviabit eam Deus manè diluculò*. Diluculò, à primo manè, & instanti suæ Conceptionis A. A. graves, & pij interpretantur: ergo B. M. immobilis, hoc est, invincibilis per malum stetit, & perficit ab initio in bono; sed hoc est propriè confirmari in gratia: ergo ita factum fuit.

Prob. 2. ex D. Th. in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiuncul. 3. in corp. in prima sanctificatione Virginis collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans. In prima, inquit, sanctificatione, (quæ, juxta nostram doctrinam, verificata est à primo instanti suæ Conceptionis inclusivè) & addit: *efficaciter inclinans*; si ergo efficaciter inclinans in bonum, declinare à malo opus erat, saltim in actu secundo; sed hoc, & non amplius facit donum confirmationis in gratia: ergo habuit illud V. M. à primo instanti Conceptionis.

54 Prob. 3. eadem secunda pars ex D. Th. n. 50. laudato, ubi ait, Beatam V. ampliorem sanctificationis gratiam habuisse, quam Joan. Baptist; sed hic in utero Matris suæ accepit gratiam, & in illa confirmatus est, juxta dicta prædicto num. 50. ergo B. V. non modò in utero; verùm & in primo instanti sui esse possedit eam, & in ea confirmata est. ¶ Prob. 4. ex D.D. Antonino, & Alber. n. 51. relatis, ubi ex ipsis diximus Seraphin potuisse

labi in prima sui conditione; sed hoc ipsum ipsi denegant Virg. Mariæ: ergo hæc in prima sui conditione, sive Conceptione non potuit peccare; sed per non posse in hac vita peccare, intelligimus in gratia confirmari: ergo ex primo tunc sui esse habuit hanc gratiam Maria.

Prob. demum authoritate & ratione D. Th. 3. p. q. 27. ar. 5. in corp. quæ sic formatur: quantò quis propinquior est, ut sup. diximus, principio, tanto altius ebibit de ejus dignitate, & perfectione; sed B. V. propinquissima fuit Christo Filio suo inter omnes creaturas: ergo excessit omnes in hauriendo suam excellentiam; atqui Angeli, qui inferiores sunt, remotioresque à Christo, quam eorum Regina, per unicum instans potuerunt vacillare, & in peccatum labi: ergo B. V. vel non fuit major, vel in nullo potuit vacillare, & multò minus cadere; sed non posse cadere est in gratia confirmari: ergo hanc gratiam habuit M. in instanti primo suæ Conceptionis.

AUDIAMUS ARGUMENTA OPPOSITA.

55 C alvinus, canis verè rabidus, qui latrare potest, non tamen mordere, contra hanc excellentissimam Virg. Mariæ gratiam latrat quidem, objiciens nobis Chrysostomum homil. 20. dicentem, vel innuentem, Beatam V. M. ex inani gloria motam dixisse Filio suo: *vinum non habent*, ut, scilicet, miraculosè operans, clariorē Matrem faceret, quæ tantum

Filiū peperit; Et fortassis, (addit) quid humanum patiebatur; sed inani gloria agi, peccatum ut minus leve est: ergo peccare potuit, saltim venialiter Maria. Respondet D. Th. 3. p. q. 27. art. 4. ad 3. (& quidem modestè, reverenter, & sapienter, inquit Cajet.) quod in verbis illis Chrysostomus excessit. Possunt tamen addit, exponi, ut intelligatur, Dominum cohibuisse non inordinatum inanis gloria motum, quantum ad ipsam, sed id, quod ab aliis posset estimari.

56 Objic. 2. Divum Aug. qui in Lib. Novi, & Veteris Testam. sup. Luc. c. 2. dixit, quod B. V. M. in morte Domini stupore quodam dubitavit; sed dubitare de fide credendis peccatum est: ergo non fuit præservata ab omni peccato, & consequenter nec in gratia confirmata. Resp. ibidem D. Thom. ad 2. dubitationem Maria non fuisse infidelitatis, sed admirationis: anima, inquit, fluctuabat ex una scilicet parte videns eum (ejus Filium) abiecta pati; & ex alia parte considerans ejus mirifica.

57 Objic. 3. B. V. M. non est credibile orationem Dominicam omississe recitare, in qua illa continentur verba: dimitte nobis debita nostra; sed nec est credibile falsò illa protulisse: ergo aliqua habuit, vel habere potuit, quæ dimitterentur peccata. Respond. concess. præmiss. negando conseq. vel melius, maiorem distinguendo: orationem Dominicam recitare non omissit nomine Ecclesie, cuius pars erat ipsa principalis, concedo; nomine proprio, subdist. quantum ad illa: dimitte nobis debita nostra; nego: quantum ad alia

verba eiusdem orationis, conc. mai. & min. & neg. conseq. Solutio patet ex terminis.

DISPUTATIO II.

DE B. M. VIRGINIS IN HOC MUNDO progressu.

POstquam de ingressu Mariæ in hunc mundum iam peregimus, recto tramite succedit de progressu in hoc mundo tractare, scilicet, de Virginitate, Maternitate, merito, & aliis ejus excellentiis. Sit ergo

DUBIUM I.

AN B. V. M. FUERIT VIRGO ANTE partum, in partu, & post partum?

INjuriosum quidem esset in dubium trahere, an B. M. ante desponsationem Virgo fuerit; cum sententia sit plurium sequentium Jacobum Christophorum in Canticum Virginis, quod mox ut concepta fuit, adhuc in ventre Matris, Matrem esse, emisso castitatis voto, renuntiaverit. Ipsamque fuisse ab origine mundi primam tali Virginitatis voto adstrictam, prædicasse fidelibus Sanctum Bartholom. Apost. testatur Abdias lib. 8. histor. Apost. Unde iure *Regina Virginum* quotidie tum intra, tum extra Ecclesiam audiimus eam in Litaniis personatam, invocatam, proclamatam. Quid mirum? Si vel Angelos in hac gratia, tenet quædam *Glossa* in c. 7. Epist. 1. ad Corinth. superasse Mariam; tum,

tum, quia illorum puritas, cùm solum in mente haberetur, simplex fuit: Mariæ verò, quippèquæ mente, & corpore pura, duplex extitit; illorum puritas à natura; istius à gratia devenit: illorum sine carne viventium; istius in carne vincentis: ergo injuriosum esset Virgini Virginum, quem titulum post Mater Dei, & ante Mater Christi in Litaniis præcinit Ecclesia, attributum hoc indubium vocare in dubium.

Dubium ergo triplex est; primum; fueritnè Maria post desponsationem ante partum Virgo, concipiensque finè Viro Virum? Secundum; fueritnè Virgo in ipso partu? Et hoc admisso, tertium; an permanferit Virgo post partum? Tríplici quæsito triplicem dicat D. Th. articulum, in quibus sic hanc materiam discutit, ac dissolvit, ut nihil, quod ad ipsam in pro, vel contra spectet, intentatum relinquat; si quid' verò omittat, vel parvi momenti, vel parùm est doctrinale, & nec utile nostris Scholaribus, nec parùm dissentaneum compendio, cui in hoc opere maximè studemus. Ideò litteram Divi Th. præter morem potius transumemus, quām ei nostram stupidam, & insolidam admisceamus.

2 Pro quorum intelligentia vide N.N. Salmantic. Moral. tom. 6. tr. 26. §. 1. à n. 44. ubi disces ex Divo Ambr. tom. 1. lib. 1. de Virginitate in principio definitiōnem Virginitatis; ibi: *Castitas Virginis est expers contagionis integritas.* Et ex D. Aug. lib. de Sancta Virginitate c. 13. hanc: *Virginitas est in car-*

ne corruptibili incorruptionis perpetua meditatione. Per ly meditatio intellige perpetuum propositum servandi castitatem, quod longam exigit meditationem. Et ex D. Th. 2. 2. q. 152. ar. 3. hanc: *Virginitas est quædam specialis virtus, habens se ad castitatem, sicut magnificencia ad liberalitatem.* Ubi obiter notabis sententiam ipsorum Salm. ibi, n. 47. Virginitatem, scilicet, esse virtutem specialem à castitate distinctam; & hoc, estò voto non firmetur, uti ajunt n. 55. contra Scholasticos, oppositum probabilius concipientes. Disces etiam trimembrem esse divisionem Virginitatis; hancque aliam esse mente solum, ut si Virgo vi violetur; aliam carne tantum, ut si Virgo, quæ nunc est, nuptias appetat, vel non renuat; aliam denique mente, & carne, ut si Virgo est, & vult esse perpetuò in obsequium Dei. His breviter præstitis,

PRIMA CONCLUSIO:

3 **M**aria Mater Christi Virgo fuit in concipiendo Filium, & consequenter ante partum. Est de fide; sed & testis hujus sit veritatis una sola ipsa Maria pro infinitis testibus creatis; quippequæ Mater fuit veritatis increata; & quæ Mater peperit veritatem, veritatem etiam in causa propria erucavit præter dubium. Ait ergo Angelo nuntianti: *quoniam Virum non cognoscet.* Testes etiam sint Apostoli in eorum symbolo: *natus est ex Maria Virgine.* Si autem in concipiendo Virginitatem amississet, ex Virgine non na-

natus fuisset. Testis Isaías c. 7. ibi: Ecce Virgo concipiet. Quæ verba Beatam Mariam ab omnibus generatim adumbrare dicuntur. Prædictum etiam hanc puritatem Levit. c. 12. mulier, si suscepto semine pepererit masculum; quasi præveniens aliquam, non per semen, sed per auditum concepturam: sed quia parùm puritatis innuit auditus, quippè qui caro, & sensus est, purior verò spiritus, & purissimus, si Sanctus, & Divinus sit, ideo purissima, & Virginalis Conceptio de Spiritu Sancto est: & concepit de Spiritu Sancto: non ergo conceptio sui Filii Mariæ Virginitatem substulit, sed illam potius extulit.

4 Prob. 2. authoritate, simul & rationibus Divi Thomæ, 3. p. q. 28. ar. 1. quibus ex nostris quidquam addere supervacaneum est; cum totum id, quod desiderabile sit, quatuor sequentes rationes exhaustant ex ipso ad unguem transcribendæ; ait ergo loco cit. in corp. *Quod enim Christus sit conceptus ex Virgine, conveniens est propter quatuor. Primum, propter mittere Patris dignitatem; cum enim Christus sit verus, & naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferatur ad alium.* Secundo, hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei; Verbum autem absque corruptione cordis concipitur: Tertiò, hoc fuit conveniens dignitati humilitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur: Unde Aug. dicit in lib. de Nuptiis, & concupiscentia: solus nuptialis concubi-

tus ibi non fuit, sicut & in matrimonio Mariae, & Joseph; quia in carne peccati fieri non poterant sine illa carnis concupiscentia, qua accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato. Quartò, propter ipsum finem incarnationis Christi, quæ ad hoc fuit, ut homines renascerentur in Filios Dei non ex voluntate carnis, nec ex voluntate Viri, sed ex Deo, id est, Dei virtute; cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa Conceptione Christi. Unde Aug. dicit in lib. de Sancta Virginit. oportebat, caput nostrum insigni miraculo secundum corpus nasci de Virgine, ut significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundum spiritum natitura. Quid pulchrius, quid ad probationem appositius? Ergo recedant nova, vetera sint omnia ratiocinia, quæ hanc convincant nostram assertionem; contra quam tamen sunt aliqua objicienda, salva fide.

ARGUMENTA CONTRA PRIM.

conclus.

5 **S**Ententia contraria est Hæresis Hebionitarum, & Cherinti, qui Christum purum hominem arbitrabantur, & de utroque sexu eum natum putaverunt. Objic. 1. Nulla proles, quæ Patrem habet, & Matrem, nascitur ex Virgine; talis fuit Christus, de quo ait Luc. c. 2. erant Pater ejus, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et infra: Ecce enim Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et alibi dicitur, quod erat subditus illis: quod si verus Pater non esset Joseph, nec verè subdi ipsis tenebatur: ergo Christus natus non est ex Maria Virgine. ¶ Confirmatur Christ-

Christus fuit Filius Abrahæ, & David per hoc, quod Joseph ex David descendit: si autem Joseph non esset verus Christi Pater, illatio causalis falsa esset: ergo, ut sit vera, dicendum erit, Joseph verum fuisse Patrem; & consequenter virginem non fuisse ejus Matrem. Quod quidem innuit illud Apostoli ad Galat.

¶ misit Deus Filium suum, factum ex muliere: per mulierem autem communiter non Virgo, sed jam cognita foemina intelligitur. Hæc D. Th. loco cit. sibi objicit, ex quibus

6 Ad primum respondet, quod Pater Salvatoris appellatur Joseph, non quod vere juxta Photinianos Pater fuerit ei, sed, quod ad famam Marie conservandam Pater sit ab omnibus estimatus. Unde & Luc. 3. dicitur: ut putabatur Filius Joseph. Ad secund. respondet idem, non solum Joseph, sed & Mariam descendisse ex eadem Tribu Juda, & ex semine David. Ratio vero, quare in Evangelio non refertur series Progenitorum Mariæ, sed Joseph, est, quia, ut inquit D. Hieron. à D. Th. laudatus, non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Unde ratio processionis Christi ab Abraham, & David non est processio Joseph Patris putativi, sed Matris ejus veræ. Ad ultimum respondet, in Hebreæ locutione mulierem non significare Virginem corruptam, sed foeminam à corruptione præscindentem.

7 Objic. 2. Christus est ejusdem speciei cum ceteris hominibus, juxta illud ad Philip. 2. in similitu-

dinem hominum factus: ergo si alii homines ex commixtione maris, & foeminæ nascuntur, sic etiam Christus; alias generatio Christi esset ejusdem, & diversæ speciei: ejusdem, quia specificatur à termino, qui idem est specificè cum ceteris; diversæ, quia principium generationis est diversum. Respond. ex ipso D. Th. quod, sicut Adamus formatus est ex limo terræ, & tamen fuit ejusdem speciei cum reliquis à se genitis, sic Christus, licet sit de Spiritu Sancto conceptus. Et ad rationem in contrarium respond. concess. ant. neg. conseq. ad cuius probationem dic, in ordine naturæ à diverso principio diversam oriri generationem; quia principium naturale est determinatum ad unum terminum, & ad unam actionem. Non sic principium supernaturale, quod, cum sit infinitum, non est limitatum ad unum, nec ad unam actionem; & tale fuit Deus in generatione Filii sui, imò & Adami, quæ etiam fuit, ut minus, præternaturalis, & à principio illimitato, scilicet, Deo.

8 Objic. 3. quælibet forma naturalis habet materiam ex qua sibi determinatam; sed materia formæ humanæ est semen maris, & foeminæ: ergo, si humanitas Christi non fuit ex utriusque semine concepta, diversa fuit à reliquis in specie. Respondet idem Sanctus Doct. neg. min. quoad prim. part. scilicet, materiam generationis esse semen hominis; quia juxta Philos. in de Generat. animalium semen non se habet, ut materia; hanc enim proprium est foeminæ ministrare; sed si-

Est agens; hoc autem agens, quod, si esset naturale, ageret medio suo semine, suffectum est à Deo, qui, ut potè agens infinitum, potest transmutare quamcumque materiam in quamcumque formam; & sicut transmutavit limum terræ in corpus Adæ, sic materiam à V. M. ministratam in Corpus Christi traduxit. Econtra virtus naturalis, quæ non potest transmutare materiam determinatam, pisi ad determinatam formam.

SECUNDA CONCLUSIO.

9 **B**eata Maria fuit in partu Virgo. Hæc etiam est de fide. Et prob. ex laudato cap. Isaïæ, qui nèdùm prædictum: *Ecce Virgo concipiet, sed & pariet filium*: ergo fuit Virgo in concipiendo, & pariendo. Prob. 2. ex quodam serm. Concilii Ephesini à D. Th. citati, ibi: *Natura post partum nescit ulterius Virginem; gratia verò & parientem ostendit, & Matrem fecit, & Virginitati non nouit*: ergo hæc substitut in partu.

10 Tres rationes nobis offert D. Th. cit. ar. 2. ad hanc suadendam veritatem. Prima: quia, qui natus est ex Maria, Verbum Dei est; Verbum autem non solùm sine corruptione in corde concipitur, sed & incorruptum ab ore procedit. Secunda: quia ad hoc venit Christus, ut nostram purgaret corruptionem: ergo dissentaneus procederet, si incorruptam Virginitatem corrumperet. Unde dixit D. Aug. in quodam Serm. de Nativitate: *Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta*. Tertia: quia

Tomo II.

rationi obsisteret, quod Matris honorem minueret, qui parentes præceperat honorandos.

ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM conclus.

11 **O**bjic. 1. D. Ambr. qui sup. Lucam ait: *Qui vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit Matris sue (Mariæ) vulvam, ut immaculatus exiret. Sed apertio vulva virginitatem excludit: ergo Mater Christi non fuit Virgo in partu*. Sic arguit D. Thom. cit. ad quod respond. ex ipso, disting. maj. quoad secund. part. aperuit vulvam apertione communis claustris Virginis, nego; apertione dicente, seu coincidente cum exitu ex utero Materno, concedo maj. & distincta similiter min. nego conseq. Divus Ambr. loquitur exponens illud Evangelistæ: *omnes masculinum, adaperiens vulvam*; & ne textus voces mutaret, quibus utitur, voce aperuit, quæ magis consonat cum *adaperiens*, usus est; significans per illam communem omnibus nativitatis exitum: non verò excludens modum specialem Christi, qui fuit sine fractio- ne penetratio.

12 Objic. 2. Nativitas Christi ex Virgine Matre, sine Virginitatis iniuria ansam præbet Hæreticis Manichæis, ut corpus Christi phantasticum esse afferant; dum corpus, quod naturaliter penetrari nequit si ne alterius discisione, sine hac claustrum Beatæ M. trans vadere, seu præterire audiunt: ergo tenendum est contrarium, vel reticenda hæc affer-

R. tio.

tio. Respond. Hæreticos etiam sine recursu ad claustrum Materni Virginis sine læsione transfennam hoc asserere , licet falsò , quod Christus corpus induit phantasticum : ergo non tribuitur illis ansa ; habent enim alias unde teneantur , & teneant suam phantasiam. Ratio vero , quare corpus Christi sic ex corpore exivit Materno , est , ait D. Thom. laud. ut corpus ejus ostenderetur , quippe quod ex foemina natum , esse verum , & non merè phantasticum ; quippe vero unitum Deitati , ex Matre Virgine fuisse natum : talis enim partus decet Deum , ut Ambros. dicit in Hymno Nativitatis.

13 Objic. 3. Juxta D. Greg. hic à D. Thom. laud. art. 2. corpus Christi per ingressum ad Discipulos januis clausis , comprobatum est esse ejusdem naturæ , & alterius gloriae : ergo per egressum à Materno claustro obserato , & non expanso comprobaretur fuisse corpus gloriosum ; sed hoc est falsum : quinimò fuit passibile , habensque similitudinem carnis peccati , juxta Apost. ad Rom. 8. ergo non exivit per virginis uterum clausum , & consequenter nec Virginum. Respond. ex ipso D. Th. concessio anteced. negando conseq. Ut enim corpus sit gloriosum , requiritur , quod ex redundantia gloriae animæ resultent in corpus dotes corporis ; hoc autem ante resurrectionem impeditum est , permittente Christo carnem suam pati : qua ratione non fuit gloriofa. Unde recurrentum est pro hoc miraculo ad virtutem divinam supernaturaliter operantem ; sicut ad hoc , ut aqua ins-

tabilis terrenorum Petri pedum sustineret gravitatem.

TERTIA CONCLUSIO.

14 **B**eatissima Maria fuit post partum , semperque permanuit Virgo. En Divum Thom. laudatum , art. 3. hanc assertionem sapientissimè in hunc modum probantem 1. ab authoritate : *Sed contra (inquit) est , quod dicitur Ezeq. 44. porta hæc clausa erit , & non aperietur , & vir non transibit per eam ; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Quod exponens Aug. in quodam serm. dicit ; quid est porta in domo Domini clausa , nisi quod Maria erit semper intacta ? Et quid est , homo non transibit per eam , nisi quod Joseph non cognoscat eam ? Et quid est , Dominus solus intrat , & egreditur per eam , nisi quod Spiritus S. pregnabit eam , & Angelorum Dominus nascetur per eam ? Et quid est , clausa erit in aeternum , nisi quod Maria Virgo est ante partum , & Virgo in partu , & Virgo post partum ? Apposita quidem applicatio ! Sola ea sufficiens , ut amplius in probando non detineremur , nisi Sanctus Dr. sequentes nobis præstaret ab inconvenienti rationes.*

15 Prob. 2. ab inconvenienti: tum , quia contrarium derogat dignitati Christi ; quia , inquit D. Thom. sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris , tanquam perfectus Filius ejus , ita decuit , ut esset unigenitus Matris , tanquam perfectissimum germen ejus. Ergo non habuit Maria aliud filium , unde probetur ejus læsio integritatis Virginis. Tum , quia hic error , prosequitur , injuriam facit Spiritui

Sancto, cuius sacrarium fuit uterus Virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem vitalem. Tum, quia derogat, addit, dignitati, & sanctitati Matis Dei, qua ingratissima videatur, si tanto filio contenta non esset; & si virginitatem, que in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere veller per carnis concubitum. Tum, concludit Sanctus Doct. quia etiam ipsi Joseph esset ad maximam presumptionem impunitandum, si eam, quam, revelante An- gelo, de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est afferendum, quod Mater Dei, sicut Virgo concepit, & Virgo peperit, ita etiam Virgo post partum in sempiternum permanxit.

ARGUMENTA CONTRA TERTIAM Conclus.

16 **O**ppositus error fuit Hel- vidij Hæretici, qui Deiparam suæ post partum Virginitatis fecisse iacturam effutiebat. Objic. 1. illud Matth. 1. frequentissimè in hac occurrens materia: *antequam convenirent Joseph, & Maria inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: ergo signum est Joseph postea cum ea convenisse; sicut dicens, ante prandium recitavi, signum est post recitationem pransisse. Hoc argum. solvit D. Hier. concilie, & appositiè per hæc verba: *quod autem dicitur, antequam convenirent, non sequitur, ut pos- tea convenerint; sed Scriptura, quod fac- tum non sit, ostendit.* Congruit hic exemplum fugientis, antequam ini- micus illum capiat, quod tamen non

infert, quod postea captus fuerit: ergo similiter in nostro casu.

17 Objic. 2. id, quod Matth. ibid. addit: *Et accepit Joseph coniugem suam, & non cognoscerebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ex quo sic proceditur: adverbium donec significat determinatum tempus, quo impleto, id, quod suspendebatur, efficitur; aliundè per ly cognoscerebat coitus intelligitur carnalis, juxta illud Genes. 4. *Adam cognovit uxorem suam Ewam, quæ concepit:* ergo post impletum tempus, ante Mariæ partum, cognovit illam postea Joseph, sicut Ewam Adam. Aliqui explicant authoritatem, quasi loquentem de cognitione notitiæ, non de cognitione coitus, ita ut Joseph non adeò perfectè calle- ret altissimam perfectionem, & dignitatem Mariæ, donec pareret fi- lium eius; sed postquam peperit, inquit D. Chrysost. à D. Thom. laud. tunc cognovit eam: quia spatiisior, & di- gni- facta fuerat, quam totus mundus; quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo uteri sui sola suscepit. Di- vus verò Hieron. de cognitione in- telligit, quæ coincidit cum coitu; & hoc sine injurya Virginitatis: quia ly donec, & usque aliquando significant tempus, quo impleto, quod ex- pectabatur, efficitur; ut quando ad Galat. 3. v. 19. dixit Apostolus *Quid igitur lex?* Propter transgressiones pastæ est: donec veniret semen, cui pro- misserat; venit hoc, & cessavit illa. Aliquando verò non determinat tem- pus; sed negat absolute eventum: ut quando in Psalm. 122. dicitur: *oculi nostri ad Dominum Deum nostrum,* donec misereatur nostri. Ex quo non li-

cet inferre : ergo post impetratam misericordiam oculi nostri avertentur à Deo : ergo nec *donec* in casu nostro indicat iacturam post partum Virginis Mariæ.

18 Objic. 3. Beatiss. M. videatur habuisse alios post Jesum-Christum filios : ergo non remansit Virgo post partum. Ant. prob. tum ex illo ad Rom. 8. v. 29. *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Tum ex illo Luc. 2. v. 7. *Et peperit Maria filium suum primogenitum;* sed primogenitus non datur sine postea genitis : ergo illos habuit ; & ut haberet, iacturam passa est in Virginitate. Respond. D. Thom. laud. ad 4. quod mos Divinarum Scripturarum est vocare primogenitum nedum ante alios natum, verum & illum natum, quando nullus est natus. In cuius signum est, quod primogeniti, secundum legem Moysis, redimendi erant ab ortu sui intra mensem, quo tempore alijs nasci non poterant : & tamen primogeniti dicebantur : ergo vocare Jesum primogenitum, non indicat posteriores fratres habuisse ; sed priores ante ipsum positivè excludit, ut Jesum natum ex Virgine ostenderet.

19 Objic. 4. Illud Joan. 2. *Post hoc descendit Capharnaum ipse,* Christus scilicet, & Mater ejus, & fratres ejus. Et illud Matth. 27. Erant autem ibi (juxta crucem) mulieres multæ à longe, quæ secute erant Jesum à Galilea, ministrantes ei : inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph Mater, & Mater filiorum Zebedei. Cùm autem aliunde constet, quod ibi : *Stabat iuxta Crucem Jesu Maria Mater ejus,* videtur hanc esse Matrem Jacobi, &

Joseph, & consequenter hos esse fratres Jesu. Maximè cùm Jacob iste fuerit Apostolus minor sub hoc nomine, qui 1. ad Galat. dicitur, *frater Domini;* hoc autem sine detrimento virginitatis esse non potuit: ergo illud passa est Maria. Aliqui tenuerunt fratres Domini fuisse filios Sanctissimi Joseph, ex alia uxore ante Mariam habitos ; & hanc partem non spernit Cajet. in C. 1. ad Galat. in fine, sed parcat illis Deus hanc iniuria speciem purissimæ Sancti Joseph Virginitati illatam ; de qua Hieron. ad Helvidium ait, quod magis credendus est Joseph Virgo permansisse ; quia aliam uxorem habuisse non scribitur, & fornicatio in Sanctum Virum non cadit. Respondet D. Thom. sic : *Nos autem fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, sororis Mariae Matris Domini Filios intelligimus.* Quatuor enim modis in Scripturis fratres dicuntur, scilicet, natura, gente, cognatione, & affectu. Unde fratres Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem Matre nati ; sed secundum generationem, quasi consanguinei eius existentes. Jacobus autem minor, præter hoc, speciatim dictus est *frater Domini* ob singularem ejus cum Christo paritatem corporalem, ut inquiunt ejus Chrysostom. Quare Maria Mater Jacobi, & Joseph non fuit Maria Mater Jesu ; hæc enim non confuevit nominari, nisi cum cognomine Maternitatis Jesus. Fuit ergo altera Maria, quæ juxta D. Thom. hic intelligitur, fuisse uxorem Alphæi, cujus filius fuit Jacobus minor, qui dictus est frater Domini.

QUÆRES PRIMO.

20 An B. V. M. votum emiserit castitatis? Affirmative respond. cum D. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. qui id probat ex D. Augustino, & hic ex illo: *Quomodo fieri istud, quoniam virum non cognosco?* Quod debet ampliarri sic: *nec cognoscam;* alias, si postea erat cognitura, non admiraretur. Si ergo votum non haberet, mirari non posset absolute; quia, licet actu non cognosceret, poterat in posterum cognoscere virum; ergo ex voto orta est admiratio, non ex actuali continentia; hæc enim cessare posset per concubitum. Hanc tenet sententiam Divus Bernardin. Senen. tom. 2. fol. 105. cui favet S. Birgitt. lib. 7. Revelat. c. 25. & est communis. Ratio Divi Thom. est: quia Virginitas Virginis Virginum, & Reginæ Virginum, esset, opus fuit, magis perfecta, & meritoria, quam aliorum, & aliarum virginitas: ergo, haberet, opus fuit, omnes circumstantias illam perficienes, una quarum est voto fulciri, atque vallari; opera enim, inquit D. Thom. hic, magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur: ergo ita factum est.

21 Dices, Divum Thom. in præsenti non afferere absolute, Mariam vovisse virginitatem antequam despontaretur cum Joseph, sed conditionate; quia tempore Legis oportebat generationi insistere: ergo non tenet conclusio, prout iacet. Ad hoc respondet tacite Sanctus Doct. per hæc verba: *super huc*

Tomo II.

tamen voluntatem suam Divino commissit arbitrio; atqui per hoc non tollitur, quod votum fuerit absolutum, ut patet in pluribus, quæ emituntur votis, tum virginitatis, tum aliarum virtutum, quæ irritari possunt ab habente dominativam potestatem; quia tacitam invehunt conditionem committendi se arbitrio dominantis; & tamen ea absoluta nuncupamus: ergo absolutum debet nuncupari votum Mariæ, quamvis imbibat dictam conditionem. Per quam etiam salvata est M. à transgressione Legis Deuteronom. 7. *Non erit apud te steriles utriusque sexus;* quam ne Maria præteriret, prævenit eam motio specialis Spiritus Sancti ultra dictam conditionem, ut inquit Spinellus c. 32. num. 24.

QUÆRES SECUNDO.

22 An B. M. aureolam obtinuerit Virginitatis? Et obiter inquirimus idem de aureola Martyrij, & Doctoratus. Nota, *aureolam* diminutivum nomen esse *aureæ*, quæ idem est apud Theologos, ac *coronam*, hanc sumptam pro corona Beatorum. Unde horum beatitudo, & præmium essentialie *Aurea* vocatur; *Aureola* vero idem sonat ac *coronula*, quæ significat quandam accidentalem perfectionem superadditam præmio essentiali Beatifico. Aureolam sic definit D. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 5. quæstion. 3. *Est quoddam privilegiatum premium, privilegiatae victoria respondens.* Hæc autem Victoria tribus, ait, pugnis subsequitur; scilicet, cum carne, ut eius delectationes veneræ vincantur,

R₃

ut

ut faciunt Virgines : cum mundo, ut eius persecutiones ad mortem usque sustinendam perferantur, ut faciunt Martyres: & cum Diabolo, ut ab ore eius oves gregis Domini arripiente eripiantur, ut faciunt Doctores per suam prædicationem, & doctrinam. Unde tres sunt aureolæ, scilicet, Virginitatis, martyrij, & Doctoratus ; & occasione primæ, pro tribus instituimus hoc dub. ad quod

23 Dicendum est Beatam M. obtinuisse aureolam Virginitatis iure optimo inter omnes Virgines; est enim Virgo Virginum, & Regina omnium Virginum: ergo vel nemo hac thesera insignitus est, vel Maria redimita est. ¶ Sed contra: V. M. nullam cum carne, nec venereis stimulis pugnam habuit: ergo nec victoriam; ergo nec coronam, seu coronulam, quæ idem est, ac aureola Virginitatis. Respond. D. Thom. laud. ad 2. Dicendum est, quid aureolam propriè habet Maria, ut in hoc membris Ecclesiæ conformetur, in quibus Virginitas invenitur. Et quamvis non habuerit pugnam per temptationem, quæ est à carne; habuit tamen pugnam, quæ est per temptationem ab hoste, qui nec etiam Christum reveritus fuit, ut patet Math. 4.

24 Ob eandem rationem asserendum est meruisse, & obtinuisse Mariam aureolam Martyrij non utcumque, sed eminentissimè, Vide NN. Salm. tom. 3. fol. 235. n. 22. est enim ab Ecclesia passim collaudata, & implorata sub hoc titulo *Regina Martyrum*: si ergo hi haec mereuere coronula insigniri, quantò magis illa, de qua D. Bern. Serm.

de 12. Stellis ait: plus, quam Martyrem, non immerit prædicemus? ¶ Sanct. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 24. §. 1. ut hanc probet excellentiam, hoc utitur discursu: *Dationi anime debetur aureola Martyrij*: ergo dationi præiosissima anima præiosissima aureola debetur; sed Beatisima V. dedit præiosissimam animam, id est vitam Filij; ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, id est vitam Filij, quam B. Petrus animam, id est, vitam sui ipsius: ergo Maria præiosissima aureola debetur Martyrij. ¶ Possebat demum aureolam Doctoratus: Sed quid mirum, si ipsa est *Sedes sapientie* ab Ecclesia quotidie invocata? Quid mirum, si ipsa Sapientiam Dei Patris peperit, lactavit, in manu sua habuit, in manibus gestavit, ut ea, quoquomodo libuerit, usia fuerit? Ideò Divus Bonavent. in hymno *Te Matrem Dei laudamus*, vocat eam *Praconium, & Doctrrix Apostolorum*. Et N. D. Cyril. homil. 6. in Nestor. eundem titulum ei attribuit. Et Doctissimus Idiota in lib. Contemplat. B. V. c. 5. ait de ipsa: *In predicatione Apostolorum in omnem terram exivit sonus sui Sanctissimi nominis*. Fuit ergo B. V. aureola insignita Doctoratus; doctrix enim fuit, & Magistra Doctorum, & Ecclesiæ Magistrorum, quales fuerunt Apostoli, erudiens illos, & nos per illos, vincere Diabolum; cui respondet *tertia haec aureola*.



DUBIUM II.

FUERIT NE INTER MARIAM, ET Joseph verum Matrimonium?

CONCLUSIO.

25 **A**ffirmative respondetur.
Luc. i. Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph. Si autem per ly desponsatam solum sponsalia volueris intellecta, audi Angelum Domini, Math. i. sic loquentem cum Joseph: noli timere accipere Mariam coniugem tuam; hoc autem nomen coniugium sonat, quod idem est, ac Matrimonium: ergo.

26 Prob. 2. ex S. S. P. P. nam D. Ambr. in c. 2. Luc. ait: *nuptia*, id est Maria, parit; sed virgo concepit; *nupta* concepit; sed virgo generavit. En tibi Mariam nuptam, simul Virginem; & quidem nupta nulla mulier est extra Matrimonium. Idem lib. de iustit. Virg. c. 6. non enim de Ioratio Virginitatis facit coniugium, sed paxio coniugalis: ergo non, quia Virgo fuit M. innupta fuit. Unde D. Laur. Justin. eam vocat: *Mater, & Virgo; Immaculata, & nupta; impolluta, & pragnans.* D. Aug. serm. 21. in Nativ. Domini sic ait de Maria: datur Marito; & Mater non de Marito, sed castior, quam si de Marito: Virgo ante coniugium, Virgo in coniugio; sed Maritus, & coniugium non dantur extra Matrimonium: ergo fuit hoc inter Mariam, & Joseph. Arnold. Carnot. tr. de septem verbis Domi-

ni, sic ait: Matrimonium illud (quid clarius?) desponsationi Divina, non copula carnali serviebat. Denique Hugo Victor. in Epist. ad Corint ait: illud Matrimonium tantum Sanctius, quando a carnali opere immunius: ergo non obstitit vero Matrimonio vera, & Immaculata Virginitas.

27 Prob. 3. ratione simul & auctoritate D. Th. 3. p. q. 29. ar. 2. in corp. ubi sic ait: Matrimonium, sive coniugium dicitur verum ex hoc, quod suam perfectionem attingit. Duplex est autem rei perfectio, prima, & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem soritur; secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliquatenus suum attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisiibili conjunctione animorum, per quam unus coniugum indivisiibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonii, est proles generanda, & educanda. Ex quibus sic: quodlibet concretum constituit intrinsecè, & stabiliter per formam: operari autem accidentaliter ipsi advenit; sed forma, quæ est prima perfectio matrimonii, scilicet conjunctio animorum, verè data est in Maria, & Joseph, quod nullus dubitat: ergo et si decesset operari, hoc est, conjunctim generare, salvaretur verum, & rigorosum concretum matrimonii. Nec excludenda est omnis operatio ab hoc purissimo coniugio; licet enim abesse generare, non desuit educare: & ideo ait D. Th. ibi: *Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem, quantum ad prolis educationem.* Unde Aug. dicit in lib. de Nupt. & Concup. omnia

nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi; proles, fides, & Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divorzium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit.

ARGUMENTA CONTRARIA.

28 Objec. 1. plures S.S. P.P. qui nuptam Mariam negare videntur, dum innuptam illam ore pleno confitentur. Et in primis Greg. Nazian. in Carmine Christi sic canit de Virgine:

Virginei tumuere sinus, innuptaque
Mater
Arcano obstupuit compleri viscera
partu.

Sanctus Greg. Nissen. de Bapt. Christi ait: superat omne miraculum, videre partum ex Virgine innupta. S. Petr. Damian. aliás insignis Deiparentis amator, serm. 49. de Nativ. Virg. sic ait: qui toto mundo non capit, Puella innupta membris infunditur. D. Aug. serm. 3. Nativ. hæc habet: concepit Virgo, antequam sponsum haberet; parit, antequam nubat. D. Ansel. in hymno de B. V. ait: tu sola Mater innupta. Denique D. Hilar. c. 5. in Math. Virgo, ait, fuit sponsa; non verè coniux: ergo juxta S.S. P.P. Maria Virgo non verè nupsit cum Joseph, & consequenter matrimon. inter illos non fuit. Ad hæc, & alia respond. facile ex D. Th. laud. ad 1. distinguendo: & loquuntur de Maria innupta consumatè, concedo; de innupta ratè, nego authoritates,

& conseq. Notoria est divisio matrimonii in ratum, & consumatum; & utrumque verum esse, & rigorè tale. Primum consistit in conjunctione animorum, pacto perpetuo roborata convivendi. Secundum addit conjunctionem corporum carnalem: hanc ergo excludunt, non primam S. S. P. P.

29 Objec. 2. verum matrimonium presupponit verum consensum contrahentium ordinatum ad copulam, adeò, ut, si conditio adderetur non solvendi, nullum esset; sed hunc consensum M. V. non habuit, nec habere potuit sine fractione voti servandi Virginitatem suam: ergo nullum fuit matrimon. inter Mariam, & Joseph. Hoc est præcipuum argum. (si non unicum,) quod à ratione potest objici contra nostram assertionem. Ad illud respond. distin. maj. quoad prim. part. consensum positivum, & absolutum, nego majorem; negativum, & conditionatum, conc. maj. quoad prim. part. Et disting. illam quoad secundam: adeò, ut conditio non solvendi, ex communi facta consensu utriusque conjugis, nullum faciat matrimonium, concedo; non sic, sed ex privata intentione non solvendi, nego maj. & disting. min. Maria non habuit consensum explicitum, & absolutum ad copulam, concedo; implicitum, & conditionatum, neg. min. & conseq. Solutionem explicat D. Th. laudat, per hæc verba: uterque, Maria, & Joseph, consenserit in copulam conjugalem; non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placet. Itaque uterque con-

sensit positivè in conjunctionem animorum; in corporum verò solum negativè; seu indiferenter ad habendam illam, si voluntas Dei esset, vel ad omissionem, si sic Deo placeret.

30 Aliter dic, quod uterque consensit; non tamen ex condicione pactio non solvendi debitum: hoc enim dirimit verum matrimonium, etiam si non fuerit, sicut non fuit in veteri lege, Sacramentum; quia non ex jure positivo, sed ex naturali cassat hunc contractum, ut inquiunt N. N. Salm. Moral. tom. 2. tract. 9. c. 7. n. 87. Consensit ergo uterque sine animo solvendi, quantum erat ex parte sui; cum subordinatione verò ad Divinam voluntatem, ut, si oppositum dictaret, vel juberet, obedirent. ¶ Dices: ergo B. M. peccavit in sese expounding fractioni voti sui, cuius ad impletio ex voluntate Joseph pendebat, quam nesciebat, sicut peccat Lodie, qui ligatus voto castitatis matrimonium subit, vel subire presumit. Nego conseq. & paritatem; nam commune est placitum Doctorum, Beatam V. M. edoclam fuisse divinitus, quod Joseph numquam conjugalem peteret convictum; & tamen fuit verum matrimonium, quia non deerat forma illud essentialiter constituens, scilicet, indivisibilis animorum conjunctio; quidquid sit, quod operari, seu generare, quod est accidens, deficeret: maximè, cum educare non decesset.

DUBIUM III.

QUOMODO B. V. SIT MATER DEI;
& qua ratione Christus dicitur Filius Beatae Virginis?

31 **F**uit Beata M. gaudia Matris habens cum Virginitatis honore, inquit D. Bern. serm. 2. de Assumpt. Ideò postquam tantillum egimus de honore Virginitatis, de honore Matris opus est agamus & pusillum. Supponimus de fide, Virginem M. Matrem esse Dei; sic enim definitivit Concil. Ephesin. tempore Celestini I. & Theodosii junioris, cui præfuit N. D. Cyril. Alexandr. tamquam Sedis Apostolicæ Legatus; & in quo Nestorium condemnavit negantem Mariæ honorificum epitheton THEOTOCOS, idest, Matrem Dei. Pro quo vide D. Th. 3. p. q. 35. art. 4. Dubitamus verò de modo, quo hunc sublimem titulum sibi asciverit? Illustrissimus Gedoy in 3. p. D. Th. disp. 12. à n. 3. Scotus in 3. dist. 4. q. 1. Et Albert. Mag. cum communi Medicorum dicunt de mente Abicenæ contra Aristotelem, Mariam V. præstisse verum, & activum concursum in hoc mysterio; quorum alii sic; alii verò sic illum explicant. Contra quos sit

PRIMA NOSTRA CONCLUSIO.

32 **M**aria Virgo nullum consummatum in generationem Filii sui præstitit; concurrit vero activè, & me.

mediate, præstanto materiam illi necessariam. Hæc conclusio est juxta mentem Aristotelis in lib. de Generat. & expressa in D. Th. 3. p. q. 32. ar. 4. quem sequuntur N.N. Complut. abbr. de Generat. disp. 2. n. 31. & N.N. Salm. de Incarn. disp. 5. n. 33. & disp. 12. à n. 16. Prob. 1. ex D. Th. cit. in fine corporis: *Et idè dicendum est, quod in ipsa conceptione Christi Beata Virgo nihil activè operata est; operata tamen est ante conceptionem aliquid activè, preparando materiam, ut esset apta conceptui. Quid expressius?*

33 Prob. ratione fundamentali: id præstitit B. V. in generationem Filii sui, quod sufficit, ut aliae sint veræ Matres suorum; sed reliquæ Matres sunt veræ Matres sine concursu activo immediato: ergo etiam Virgo Maria. Major videtur certa; minor est perpetua doctrina Aristotelis, & D. Th. laud. qui ibidem ad 2. hoc addit exemplum: *Potentia generativa in fœmina imperfecta est respectu potentie generativa, quo est in mare. Et idè, sicut ars inferior in artibus disponit materiam; causa autem superior inducit formam: ita etiam virtus generativa fœminæ preparat materiam; virtus autem activa maris format materiam.* Conseq. legitimè infertur.

ARGUM. CONT. PRIM. CONCLUS.

34 **M** Ediciūt in plurimum, quos sequuntur Auctores n. 31. laudati, tenent, omnem fœminam activè, & immediatè concurrere in generationem humanam; & consequenter id de B.

V. afferunt, ut Matris veræ titulum obtineat. Objic. ergo 1. Aliæ Matres activè concurrunt; ergo & Mater Christi. Ant. prob. quia aliæ potentiae generativæ maris, & Matris essent diversæ speciei: ergo etiam naturæ utriusque; nam sicut eadem specie natura easdem radicat proprietates, sic diversæ proprietates diversas inferunt naturas in specie. Conseq. est legitima. Respond. neg. ant. & ant. probationis; stat enim, quod eadem specificè natura in uno radicet aliquam, & in alio aliam proprietatem ratione alicujus diversæ dispositionis; ut patet in gratia, quæ, eadem cùm sit, in Viatore radicat fidem, in Beato lumen, in nobis resultat ex ea penitentia, non vero in Christo. Et similiter idem specificè calor in fœmina producit lac, non autem in viro: ergo pariter. Præterquamquod potest dici, potentias generativas Matris, & Maris non distingui essentialiter, seu specificè per hoc, quod una sit passiva, & alia activa; cùm etiam fœminea concurret suo modo activè, præparans suam materiam, sive hæc sit semen, sive menstruum, sive sanguis, sic, vel sic decoctus. Sed replicabis, et

35 Objic. 2. Mas concurrit activè, quia præstat suum semen; sed etiam fœmina præstat suam materiam: quidni ergo & ista concurret activè, sicut ille? Distinc. maj. quia præstat suum semen *quod*, concedo; *in quo*, nego maj. & distinc. min. fœmina præstat materiam *in qua*, concedo; *que*, neg. min. & conseq. Est dicere, quod semen hominis non utcumque

que præstatur, sed ferens secum virtutem instrumentariam quæ generat activè; materia verò Matris est in qua semen operatur, formando illam, passivè se habentem ad illud, ut inquit D. Th. n. 33. laud.

36 Objic. 3. Plus diligit Filium Mater ut in plurimum, quam Pater; ergo signum est, plus illius, quam istius opus esse Filium; quia Parentes in tantum amant filios, in quantum opus sunt illorum. ¶ Confirmat. 1. quia quandoquæ Filius plus Matri, quam Patri assimilatur: ergo non minus illius, quam istius est activè effectus: cum omne agens intendat assimilare sibi effectum. ¶ Confirmat. 2. sequitur enim, quod fœmina solùm passive se habeat, passivè recipiendo; (haud secus, quam si in hominis corpore generentur vermes ex sanguine corrupto, quo in casu homo non dicitur Pater, nec eorum Mater) hoc est absurdum: ergo & id, ex quo sequitur.

Respond. nimis probare argumentum, & primam confirmationem, scilicet, æquè activè, immò plus concurrere Matrem, atque Patrem, quod nullus dicit. Unde ad primum dic, majorem dilectionem Matris oriri tum ex eo, quod mulieres de se sunt magis, quam homines, affectivæ, & vehementes in amando. Tum, ratione maximi laboris, quo eos enituuntur. Tum, ob familiarem conversationem, lactationem, gestationem in ventre, & in manibus, quibus ex parte filiorum, maximè infantium, correspondent moliores gestus, & cariciæ erga Matres. Ad secundum respond. majorem simili-

tudinem oriri fortè ex majori mole materiæ à Matre ministratæ, simul & à sanguine, quo in utero, & à latè, quo extra illum enutriuntur Filii. Ad ultimum da disparitatem, quia mater saltim remotè concurrit, activè ministrando materiam ad finem generationis suapte natura, vel ex intentione Matris destinatam; ad vermes verò non concurrit homo, nec remote, active; licet enim sanguinem produxerit, ex hoc tamen præter omnem intentionem naturæ humanae vermes producuntur.

SECUNDA CONCLUSIO.

37 IN Christo Domino non est intrinsecè relatio realis, qua ad suam Matrem referatur. Ita expressè D. Th. pluribus in locis; sed præcipue 3. p. q. 35. ar. 5. in corp. Et ideo Filiatio, qua Christus resursum ad Matrem, non potest esse realis relatio; sed solùm secundum rationem. D. Th. imitantur omnes ejus Discipuli, sic etiam D. Bonav. B. Alb. & alii. Prob. ratione hinc deducta: Filiatio Christi ad Matrem ejus est temporalis; sed repugnat Christum habere intrinsecè filiationem realem temporalem: ergo & relationem realem intrinsecam. Major est D. Th. cit. ibi: oportet dicere, in Christo esse diversas filiationes, unam temporalem, & aliam aeternam; sed ad Matrem non est aeterna: ergo temporalis. Min. suadetur: subiectum filiationis debet esse suppositum, juxta D. Th. in dist. 8. ar. 5. ad 1. non natura; sed suppositum Christi nequit denominari rea-

liter

liter intrinsecè, & temporaliter Filius, nisi dicatus ipsum intrinsecè mutari; quod absit: ergo tenet minor ex quo infer, quod, licet Christus sit realiter filius B. Mariæ, non verò realiter intrinsecè, sed extrinsecè realiter per relationem in Matre intrinsecè existentem.

ARGUM. CONT. SECUNDAM.

38 **O**bijc. 1. Non sequitur ex opposita sententia, suppositum Divinum mutari: ergo ex hac ratione non tenet conclusio. Ant. prob. in tali easu solùm recipetur relatio inhæsivè in natura humana, denominativè verò in supposito; hoc autem non repugnat, ut patet tum in causalitate finis, quæ inest voluntati amantis, & tamen non hanc, sed ipsum finem denominat finalizantem, seu moventem. Tum in specie impressa in aëre recepta, quin illi communicet suum effectum formalem primarium, qui est repræsentare; quia aér est incapax illius; sed natura etiam est incapax quæ denominatur filia: ergo licet in ea sit intrinsecè, non eam denominabit, sed suppositum, quod est capax. Respond. neg. ant. & majorem probationis; forma enim ibi est intrinsecè, ubi suam primariam confert denominationem; cùmque denominatio Filii sit primaria in filiatione, & hæc non competit naturæ, sequitur vel non esse realem intrinsecam, vel si est, recipiendam esse in Verbo; quod esse absit. Nec exemplum facit desumptum à cau-

salitate finis; quia hæc primariò solum denominat voluntatem amantem, & solum secundariò, & extrinsecè finem finalizantem. Nec illud de specie; quia hæc in aëre solum recipitur secundūm esse entitativum ob incapacitatem esse intentionalis: undè non mirum, quod non denominet aërem representativum, sed ad summū effectum entitate speciei.

39 Obijc. 2. Christus dicitur realiter Filius Mariæ: ergo à filiatione, seu relatione reali sibi inhærente; quia à forma rationis repugnat denominatio realis. Respond. D. Th. 3. p. 35. ar. 5. in corp. sic: *Quamvis relatio dominii non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter Dominus ex reali subjectione creaturarum ad ipsum.* Et similiter Christus dicitur realiter Filius Virginis Matris, ex relatione reali Maternitatis ad Christum. Undè eadem relatio denominat realiter intrinsecè Matrem, & realiter extrinsecè Filium.

40 Obijc. 3. Christus convenit univocè in esse Filium cum aliis Filiis hominum; sed horum relations sunt ipsis intrinsecæ, & reales: ergo & in Christo sua; alias daretur ratio univoca enti reali, & rationis, quod dici absit. Hoc argum. quod difficile appareat, laboret æquivatione: confundit enim filiationem cum relatione; cùm tamen non sint idem, nisi filiatio sumatur purè relativè; si verò sumatur fundamentaliter, manifeste distinguitur realiter: quia filiatio sic sumpta denominat Filium; Filius autem est essentiale rei generatae, im-

mō est ipsa generata res in quantum generata; relatio verò est accidens ad istam subsecutum. Ehinc facile respond. conc. maj. & min. & neg. conseq.: aliud est enim, quòd Christus sit Filius, sicut alii, & in hoc quidem convenit univocè cum ipsis; quia æquè terminat actionem generativam, (scilicet supernaturalem, quæ eminenter est creata) ac alii Filii; & ità intrinsecè, & essentialiter est Filius, scilicet, in quantum suamet essentia denominatur Filius, quia ipsa est (sumpta fundamentaliter filiatione) quæ generatur: aliud verò, quòd relatio, seu modus referendi se ad Matrem sit distinctus; hunc autem annuimus esse diversæ rationis, ac in aliis. Sed quid indè? Quòd Christus non conveniat cum aliis Filiis in aliquo accidenti relativo; non verò in substantia, vel subjecto (vel fundamento, ut inquit N. Paulus) filiationis; quia, quantum ad hoc, æquè, ac alii homines, dicitur Christus generatus à Maria Virgine; & consequenter, substantialiter est similis.

41 Objic. 4. Sequitur ex dictis, quòd diversæ sit speciei Maternitas Mariæ, ac aliarum Matrium; quia terminus istarum est relatio realis, Mariæ verò relatio rationis, qui termini valde sunt diversi, si autem termini specificantes diversi sint specie, sic etiam distinguuntur specificata; sed nequit Mariæ denegari gloria essendi æquè Matrem Filii sui, ac aliæ aliorum sunt suorum: ergo non tenet conclusio. Respond. Maternitatem Virginis Mariæ verè univocari cum aliarum, esseque cum eis

ejusdem speciei; hæc enim in relativis non habetur à relatione contraposita, sed à ratione, in qua ipsa fundatur, sive radicatur, quæ absoluta est, ut ajunt N. N. Complut. in de Relation. disp. 14. q. 6. n. 34. aliud enim est esse à: aliud esse ad; relationes quidem specificantur ad relationes, non verò à relationibus: primum non propriè specificat, sed refert; secundum verò non refert, sed specificat; cùmque Christus in ratione generati (ad quem terminatur relatio) conveniat univocè cum aliis, hinc est, quòd & Maternitas Virginis ejusdem sit speciei cum aliis jam corruptis.

42 Objic. 5. Humanitas est subiectum unicum, & adequatum generationis, & nativitatis: ergo etiam filiationis, & relationis; vel redditur disparitas. Hanc reddit D. Th. in 3. dist. 8. ar. 1. ad 5. ibi: *Ad filiationem requiritur plus, quam ad nativitatem, vel ortum, scilicet, ut quod existit per generationem à generante sit completum in specie generantis.* Et nihilominus tamen negatur ant. propter expressam D. Th. doctrinam, qui 3. p. q. 35. ar. 1. in corp. sic ait: *& idè nativitas, tamquam subiecto nascenti propriè attribuitur persone, vel hypostasi, non natura; sed, sicut termino, attribuitur nativitas natura.* Affert in sed contra Damascenum dicentem: *nativitas hypostasis est, non natura;* ergo falsum est omnino antecedens; verum autem, quòd Christus nedum est realiter Filius, verum & realiter genitus à reali nativitate ex Virgine, sine tamen reali relatione ad illam; sicut Deus realiter est Dominus à rea-

reali potestate, sine tamen reali relatione ad creaturas, ut inquit D. Th. quodlib. 9. ar. 4. ad 1.

43 Objic. 6. Relatio maternitatis est realis in B. Maria; sed relatio realis petit terminum realiter distinctum, ut supponimus ex Logica; & aliás hic terminus debet esse relativus, ut ipsa docet: ergo relationi maternitatis respondet pro termino ex parte filij relatio realiter distincta: ergo filius non correferetur matri per relationem ipsius matris; hæc enim non est distincta realiter à se ipsa: ergo alia relatio realis debet esse ex parte filij. Resp. regulam distinguendi realiter inter relationem, & ejus terminum solum tenere in relationibus mutuis, qualis non est inter Christum, & Mariam, in quibus, sat est, quod realiter distinguantur fundamentum, & terminus, quem extrinsecè respicit ejus relatio, hæc autem semper (ad huc in nostro casu) verificatur, quod terminetur ad relativum: nam relatio maternitatis, quæ nudè, seu abstractivè sumpta denominat intrinsecè Matrem, terminatur ad se ipsam concretivè ad terminum, quem denominat extrinsecè.

44 Objic. 7. Aliæ relationes, ut similitudinis, & dissimilitudinis, sunt reales, & recipiuntur in Christo inhæsivè sine mutatione suppositi divini: ergo pariter relatio filiationis. Nego consequent. & paritatem: prædictæ enim relationes convenient Christo ratione humanæ naturæ, non ratione suppositi, sicut esse filium. Unde quid mirum, si inhærent humavitati) cum & hæc im-

mutari non repugnet? Non tamen inhærent Christo adæquatè sumpto, ne sic dicantur inhærente supposito Divino.

DUBIUM IV.

AN B. V. M. MERITER ESSE MATER DEI?

45 **D**Uplex est meritum; aliud de condigno æqualitatem ponens moralem inter se, & primum, quod infalibiliter conferatur ob pactum implicitum Dei cum creatura de illo conferendo. Meritum de congruo fundatur in liberalitate, & gratia Dei, non in æquilitate operis cum remuneratione, excluditque pactum circa hanc; & ideo non affert infallibilem ejus collationem. Supponimus, Virginem M. non meruisse Maternitatem suam de condigno. Hæc suppositio videtur aliquid de altissima, & excellentissima dignitate Mariæ detrahere: altius verò pensato, illam sublimat, & extollit; ideo enim non sic meruit, quia altissima, & excellentissima est ejus dignitas Materna; hoc autem, honor est Mariæ. Propter hoc non placet indagare, an saltim potuerit illam mereri de condigno? Si enim potuit, arguitur, non esse tantam, ut non possit cadere sub merito præcreatæ. Et quidem, si potuisset, videtur, illam de factò & meruisse; quia Deiparæ id totum est tribendum, quod decet, & non repugnat, ut inquit quasi communis Patrum, & Theologorum pæremia. Super hæc accedit expessa

D.

D. Thom. doctrina, illam firmans; inquit enim in 3. dist. 4. q. 3. art. 1. ad 6. *Dicendum, quod B. V. non meruit incarnationem, sed presupposita incarnatione, meruit, quod per eam fieret; non quidem merito condigni, sed merito congrui.* *Quod per eam (inquit) fieret, id est, per suum Maternum generativum concursum.* Dubium ergo ad meritum devolvitur de congruo.

CONCLUSIO NOSTRA.

46 **M**aria Virgo de congruo meruit esse Mater Christi. Hanc tenent sententiam communiter SS. PP. scilicet Aug. Serm. 83. de Assumpt. ibi: *Impetra quod rogamus, excusa quod timemus; quia nec potius meritis invenimus, quam te, ad placandam iram Iudicis, quem meruisti esse Mater Redemptoris, & Iudicis.* Idem lib. de natura, & gratia, c. 30. *Beata M. Deum concipere meruit & parere.* D. Hier. Epist. 22. ad Eustoch. propone tibi Mariam, quae tantæ exitit puritatis, ut Mater Dei esse mereretur. D. Greg. Mag. in lib. 1. Reg. c. 1. *An non sublimis Maria, qua, ut ad Conceptionem Verbi peringeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Chorus usque ad Deitatis solum erexit?* D. Ambr. Ep. 25. de Beata Virg. *Quid loquar, quanta sit Virginitatis gloria, qua meruit a Christo eligi, ut esset etiam corpore Dei templum?* Sanctis Patribus accinit Ecclesia: *Regina Cœli letare; quia quem meruisti portare.* Et demum D. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. ad 3. sic ait: *Dicendum, quod B. V. dicitur meruisse portare Dominum omnium; non quia meruit ipsum incarnationem,*

ri, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut coniugè posset esse Mater Dei. Nihil clarius; quia excluso jam merito condigno, vel nullo meruit modo, vel saltim de congruo.

47 Prob. 2. ratione: qui potest majus, & minus potest mereri; sed B. V. potuit, & meruit de congruo Filij sui incarnationem, quæ majus quid est Maternitate, ut dub. probabimus seq. ergo & hanc mereri potuit: ergo de factò & meruit. Hæc consequentia est juxta commune placitum Doctorum, qui Mariæ Virginini non denegant quidquid ipsam decet, & non repugnat; sed habere tantum meritum in ejus cedit dignitatem; supponit enim in illa altissimam gratiam, & non repugnat minus, cui possibile est mereri majus: ergo de factò meruit de congruo Maternitatem Virgineam, simul & Deiferam: ¶ Prob. 3. juxta D. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. Ex congruo meruerunt Sancti Patres (incarnationem) desiderando, & petendo; congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant: ergo etiam B. V. M. suam Maternitatem, quæ minus est; cum, omnium Patriarcharum, & Prophetarum Reginam (sic ab Ecclesia proclamatam) omnium illorum merita, petitiones, & desideria sine dubio superasse, certum sit.

A R G U M E N T A.

48 **O**bijc. 1. Ad meritum de congruo requiritur inter alia, quod opera merentia dirigantur in præmium consequendum immo-

immò quòd & aliquod sit ex parte præmiantis pactum ; sed incredibiles videntur in tanta virginis humilitate adeò ericti cogitatus , ut tantani ambirent dignitatem ; & aliundè nullum circa pactum præmiandi extat in Scriptura testimonium : ergo non ita illam meruit. Respond. 1. incertum esse ad meritum de congruo requiritalem directionem ; sed & falsum , pactum circa præmium opus esse , ut tradidunt NN. Salm. tract. 16. disp. 2. n. 3. Respond. 2. adhuc admissio , opus fuisse directione , hanc non defuisse in Virgine M. saltim vagè ; fundebat enim profundissima suspiria , orabat , clamabat , & quasi vim faciebat , ut promissus in Lege quantociùs in mundi medelam mitteretur : si ergo hoc postulabat , id etiam postulabat , quod , ut hoc fieret , concernebat ; atqui hoc , quod concernebat , ipsam esse Matrem erat : ergo esse Matrem ipsam defactò postulabat , licet id nesciebat.

49 Objic. 2. Divos Hieron. in Dialog. contra Pelag. Bernard. in Serm. de Nativit. & D. Thom. lib. 1. de Incarn. c. 7. qui omnes affirmant , dignitatem Matris fuisse omnino liberalem & gratiosam. Ubi nota ly omnino , quòd idem est , ac nullo modo fuisse meritam ; si autem de congruo mereretur , aliquo mereretur modo : ergo si omnem modum negant , omne meritum excludunt. Resp. Sanctos Doctores in ly omnino liberalem omnino excludere æqualitatem meriti cum præmio , quæ opus erat ad meritum condignum ; non verò aliqua opera , quæ fundata essent

ita in charitate , & amicitia Dei , ut congruum esset ex intuitu eorum largiri tantam dignitatem ; quod satis est ad meritum de congruo , quod intendimus.

QUÆRES I.

50 Quæ tanta fit dignitas Matris Dei in ratione Matris? Respondent Damascenus Serm. 1. de Dormitione Virginis , quòd Dei Matris , & servorum Dei infinitum est discrimen. Ansel. de Excellent. Virg. Hoc solum de Beata V. prædicare , quòd Mater Dei est , excedit omnem altitudinem , quæ post Deum dici potest. D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. Beata V. ex hoc , quòd est Mater Dei , habet quamdam dignitatem ex bono infinito , quod est Deus ; & ex hac parte non potest aliquid fieri melius , sicut non potest aliquid melius esse Deo. Ex quibus omnibus sequitur , dignitatem Matris Dei quasi infinitam esse , & quod melior Maternitas dabilis non est.

51 Dices: D. Thom. in 1. dist. 44. art. 3. ait : quolibet bono creato , èd quòd finitum est , potest aliquid melius esse ; Sed Maternitas Virginis M. quid creatum est : ergo neque infinita est , nec talis , ut melior Maternitas esse non possit. Respondet D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. in Corp. & ad 1. distinguendo se ipsum in majori : potest aliquid esse melius , si ly melius sumatur ut nomen , seu nominaliter , concedit ; si sumatur ut adverbium , seu adverbialiter , subdistinguit : melius ex parte Dei , negat ; ex parte facti , iterum subdistinguit : melius quoad esset

essentialia, negat; quoad accidentalia, concedit maj. & min. Consequentia verò explicabitur, si distinctio majoris nota fiat ex doctrina ipsius Sancti; ait enim ibi, quod quolibet facto aliud melius potest fieri, quod non intelligitur *melius*, hoc est, meliori modo, seu adverbialiter; quia fit ex sapientia, & bonitate Dei, quibus melius nihil est. Potest verò melius fieri nominaliter, hoc est, alia res melior quantum ad accidentalia, hoc est, recipiendo accidentia perfectiora, quae rem condecorent, vel etiam elevent; quoad verò substantialia non potest Deus facere rem meliorem; si enim substantialiter fieret melior, jam non ipsa, sed alia esset: sicut contingit in quaternario numero, qui, si fieret major substantialiter, jam non quaternarius esset, sed quinarius. Sic ergo in nostro casu: Deus non potest melius facere ex parte sui facientis Maternitatem Virginis, nec potest facere melius, hoc est, meliorem Maternitatem substantialiter; alias non esset Maternitas; potest verò ex parte facti, hoc est, Maternitatis, hanc ipsam amplius, & amplius in infinitum supervestire gratiis, & excellentiis accidentalibus; & adhuc tunc non esset melior ex parte termini, qui, ut infinitus, transfundit in ipsam quamdam infinitatem ab ulla creatura insuperabilem. In hoc ergo sensu non est finita dignitas Matris Christi, nec alia melior, quam ipsa, potest esse.

Q U A R T E R S II.

§2 An Maternitas Virginis M. sit naturalis, anve supernaturalis? Respond. esse naturalem entitativè. Ratio: quia ratio formalis proxima fundandi illam, scilicet concursus Maternus, est naturalis: ergo & Maternitas; quia respectu hujus concurrit ratio fundandi, nedum subjectivè; verùm & efficienter. Quod autem ratio fundandi eam sit naturalis, patet; alias V. M. non esset Mater Christi, sicut ceteræ Matres, nec conveniret cum illis univocè in ratione Matris; quod non est admittendum. ¶ Dices: ergo potuit V. M. hanc mereri Maternitatem de condigno, quippe naturalem, & nedum æquabilem, verùm & superabilem per opera supernaturalia ab ipsa facta, & factibilia. Nego conseq. licet enim quoad entitatem sit naturalis, concretivè verò ad consortium Spiritus S. supplentis supernaturaliter humanum consortem, & ad terminum genitum Filium Dei, non solùm est supernaturalis; verùm & infinita aliquo modo. Unde solùm meritum supernaturale, & aliquo modo infinitum æquare potest hanc præexcelsam dignitatem.

D U B I U M V.

AN B. V. M. MERUERIT DE FACTO,
& de congruo Incarnationem?

§3 **N**ON est quæstio super merito de condigno,
S prop-

propter ea, quæ diximus sup. n. 45. Et D. Th. dicit 3. p. q. 2. ar. 11. ibi: *Sed neque opera aliorum cuiuscumque hominis potuerunt esse meritoria hujus unionis*, hypostaticæ, de condigno. Nec est dubium, quin, attenta potentia Dei absoluta, potuerit V. M. mereri illam de congruo; repugnantia enim ad hoc esset, quia Incarnatio est causa omnis meriti; undè sequeretur, mutuò se causatum iri Incarnationem Christi, & merita Mariæ. Hoc autem nihil est; cùm merita Matris præcederent, & causarent in genere causæ efficiens meritoria, & Incarnatio in genere causæ finalis, in quo nulla est apud Thomistas implicatio. Præterquamquod quis à Dei auferat absolute potestate conferre gratiam ad hoc sufficientem, independenter à Christo?

54 Nec demum dubitamus defactò meruisse de congruo circunstantias extrinsecas Incarnationis, ut quod Christus nasceretur citò, & ex tali progenie; cùm hujusmodi meritum etiam Abraham, & David habuisse constet ex Genes. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo, benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Ubi per semen suum intelligit Apostolus ad Galat. 3. ipsum Christum venturum. Et ex 2. Regum, ubi dixit Deus ad David per Natham: *Stabilim tronum regni ejus usque in sempiternum;* id est, medio Christo, qui ex David oriundus erat. Immò & de condigno illas mereri potuisse, audemus dicere cum Angel. Doctore, qui hoc potuisse Sanctos P.P. asserit in 3. dist. 4. quæstion.

4. ubi postquam negat, Sanctos P.P. meruisse Incarnationem de condigno, hæc addit: *Quamvis sic, hoc est de condigno, mereri potuerint ejus accelerationem:* ergo potiori jure B. V. M. de quia D. Bern. Sen. hæc ait serm. 5. *Sed B. V. per consensum, quem prebuit Conceptioni Verbi, plus meruit, quam omnes homines, & Angeli simul suis artibus meritorii promeruerint.* His præmissis præter omne dubium, sit

NOSTRA CONCLUSIO:

55 **B** V. M. meruit Incarnationem Filii sui de congruo. Prob. 1. ex D. Th. sup. n. 47. laudato, ubi hoc expressè concedit Sanctis P.P. ergo potiori titulo Christi Matri, cujus merita Sanctorum omnium meritis, & Angelorum superiora fuere, juxta D. Bern. Senen. nuper laudatum. Prob. 2. ratione: nam ad meritum de congruo non opus est æqualitate arithmeticæ inter ipsum, & præmium, sed sufficit opera esse laudabilia, fundata in charitate, & amicitia Dei, præcedentia præmium; & quod ad hoc, juxta aliquos, dirigantur consequendum; sed omnes hæc conditiones comitiales fuerunt operum Beatæ V. M. respectu Incarnationis Filii sui: ergo hanc meruit de congruo. Major est certa; min. innegabilis, & conseq. legitima.

ARGUMENTA.

56 **O** Bjic. 1. D. Th. laud. sup. n. 46. in fine, ubi expressè ait, quod B. V. M. non

non meruit Incarnationem. Et id ipsum ait in 3. dist. 4. q. 3. art. 1. ad 6. cuius verba sup. dedimus n. 45. ergo ruit conclus. Respond. breviter, in his testimoniis Divum Th. loqui de merito de condigno, quod libenter concedimus, & supponimus; non verò de congruo, de quo in præsenti inquirimus. ¶ Expressior contraire videtur D. Th. nostræ conclusioni in 3. dist. 4. q. 3. ar. 1. ubi Sanctis P. P. negat meruisse ex congruo Incarnationem: ergo ex merito illorum incepè infertur meritum Mariæ. Ant. prob. ex ejus verbis, scilicet: *Sed quod tota plenitudo Divinitatis habitet in homine, hoc excedit conditionem, & meritum humanum. Unde nullo modo potest cadere sub merito. Nullo, inquit, modo: ergo excludit omnem merendi modum, etiam de congruo.* Sed & hæc levis est objectio; nam cùm expresse teneat S. Doct. 3. p. q. 11. ar. 2. in fine corp. quod ex congruo meruerunt Sancti P. P. Incarnationem, dicendum erit, quod vel sibi manifestè objicitur, quod absit, vel quod ly nullo modo contrahitur ad excludendum omnem modum æqualitatis, ut mererentur de condigno, juxta dicta sup. n. 49. non verò protrahitur ad meritum de congruo: & ratio est, quia analogum per se sumptum stat pro famosiori, quale est meritum condignum respectu congrui. Sed replicabis, et

57 Objic. 2. ex D. Th. proximè citato ad 4. ubi ait: *Dicendum, quod ipsi Sancti P. P. non petebant Incarnationem, quam indubitanter credebat futuram, sed petebant ejus accelerationem;*

sed nemo unus petit, nec meretur id, quod ante petitionem, & meritum jam habet concessum: ergo Sancti P. P. non meruerunt Incarnationem: ergo illorum meritum non infert meritum Mariæ. Hoc argum. probat, quod nec Apostoli possent petere, nec mereri gloriam, quam ex revelatione sciebant esse sibi dandam, dum in gratia fuerunt confirmati, quod fidem non meretur. Quid ergo? Quod sit in omni prædestinato, qui verè meretur gloriam sibi retribuendam: ast quomodo? Deus transmittit prædestinatum in gloriam ante prævisa ulla merita: hoc autem est in ordine intentivo; in ordine verò executivo vult gloriam dandam propter merita, ita, ut nolit glorificare propter mereri, sed vult, mereri esse propter glorificari, seu glorificari in executione esse effectum secutum ad mereri. Sic ergo, estò Sancti P. P. non peterent Incarnationem, eorum verò opera bona, & laudabilia ordinavit Deus, ut in ordine executivo præcederent, tamquam causa meritoria, Incarnationem; & hoc, licet ipsi non ea in hunc finem ordinarent: quod pas- sim contingit apud terrenos Dominos, vel etiam Reges, qui propter bona opera, & munera laudabiliter exercita per Vasallos, quamvis fortè isti ascensum non intendant, nec præmii satagant, hoc illis conferunt. Et ne cantemus extra Chorum, omnia opera justi merentur gloriam; & tamen ipse non omnia ordinat ad illam, nec illius sæpe recordatur, nisi gloriæ Dei. Et si dicatur, quod re ipsa per charitatem ordinantur

habitualiter, hoc & nos dicimus cum sua proportione, quod quamvis Sancti P.P. sua opera in Incarnationem non dirigerent, ipse Deus (vel illorum charitas) illa re ipsa ordinavit; & ideo præmiavit.

58 Objic. 3. Plus distat Incarnatio Verbi Divini à merito puræ creaturæ, quam præmium supernaturale ab actu purè naturali; (illa enim infinitè; iste verò distat finitè) sed actus purè naturalis nequit nec de congruo mereri præmium supernaturale: ergo nec pura creatura Incarnationem. Respond. 1. disting. maior. plus distat in ratione præmij à merito creaturæ in ratione præmialibilis, nego; in ratione entis, concedo maj. & min. & nego conseq. Solutio hæc habet exemplum in lumine Gloriæ, quod magis distat ab essentia Divina in ratione entis, quam oculus corporeus à re spirituali; & tamen, quia plus congeniat in ratione objecti, potest esse ratio videnti Deum; cùm tamen oculus nullimodè possit videre rem spiritualem. Respond. 2. disting. maiorem: plus distat à merito puræ creaturæ nudè sumptæ, concedo: elevatæ per gratiam, nego maj. & concessa min. nego conseq. Meritum de congruo fundatur, ut jam diximus, in gratia, & amicitia Dei; gratia est non modò supernaturalis, verùm & participativè formaliter Divina; et hac ex causa datur minor distantia, quam inter naturale, & supernaturale: sicut contingit in intellectu fulcito lumine Gloriæ, qui participativè est Divinus; & ideo proportionatur cum objecto Divino, ad quod vi-

dendum terminatur. Si vis plura, videbis N. Paulum tr. 16. disp. 2. dub. 6.

D U B I U M VI.

*AN B. V. M. VIDERIT INTUITIVE
Deum in via, hoc est, in hac
vita?*

59 **N**on repugnare, hominem in mortali vita Deum intueri constans, & communis est sententia Theologorum cum D. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. ibi: *Supernaturaliter, & præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium usque ad visionem suæ essentia Deus elevavit*, ut dicit Aug. 12. sup. Genes. & in lib. de videnti Deum, de Moysè, qui fuit Magister Iudeorum, & Paulo, qui fuit Magister Gentium. Quærimus de factò; pro quo si

NOSTRA CONCLUSIO.

60 **M**aria V. vidit Deum intuitivè, vitam adhuc agens mortalem. Est sententia Theologorum communissima contra unicum Theodorum Smising, Scotistam; sed non in hoc Marianum, ut innuunt hæc sui Condiscipuli Felicis Minoritæ verba: *Pudet referre Theodorum nostrum, negantem hoc privilegium Deipara Maria*. Longè à doctrina hujus, verba Venerabilis Mariæ à Jesu de Agreda, eidem Seraphico Ordini subjectæ, quæ suis in Chirographis omnium gentium gradibus oppidò proficiens, duodecies hanc magnificam

eam gratiam asserit Divina instru-
ta luce, Mariæ Matri suæ dulcissimæ,
Magistræque dignissimæ dum in hu-
manis ageret, concessam esse à Deo.
Vide illam p. 1. n. 332. p. 2. num.
139. 473. 956. 1471. 1523. & p. 3.
n. n. 62. 494. 603. 616. 654. 685. Sed
& vide S. Bern. Senen. ejusdem ins-
tituti in Sanctitate, & sapientia præ-
clarum ornamentum, qui tom. 4.
Serm. 36. ait: Virginem M. plus quam
Paulum raptam usque ad tertium Cœlum;
quia, si essent tot Pauli, quot creature,
non attingerent ejus contemplationem: nam
Paulus fuit vas electionis, Maria fuit vas
Divinitatis.

61 Favet huic piissimæ senten-
tiæ D. Hieron. in Regul. Monach.
c. 41. Epist. de Nativit. Sanctæ Ma-
riæ, ibi: *Quotidie ab Angelis frequenta-
batur, quotidie Divina visione fruebatur.*
Favet etiam D. Bern. qui Serm. de
Beata M. Credendum est, ait, *Deum
illi gloriam Deificam, & super-Cœlestem
revelasse notiam.* Consentit Dionis.
Carth. Doctor Extaticus, qui Lib.
de Orig. Mariæ miratur, si Deus
per speciem solum se conspicendum dedit
Mariæ. Et concludit: si ipsa dedit Deo
esse, quod ipsa est; cur non ei dedisset
Deus intelligere, quod ipse est? Idem
tuentur argumentum Alb. Magn.
Bonavent. Thom. de Villanov. Hu-
go Victor. Petrus Chrisol. Arnold.
Carnot. & alij, quos laudat Zerda
in lib. *Maria effigies*, *revelatioque Tri-
nitatis*, academ. 12. sect. 4. n. 35.
Horum omnium Coronarius robo-
rat sententiam D. Thom. qui 2. 2.
q. 175. art. 3. in corp. id affir-
mat de D. Paulo; & de Moyse
itidem 1. p. q. 12. art. 11. ad 2.

Tomo II.

cum D. Aug. quem ibi laudat. Id
quod etiam producit in 4. dist. 49.
q. 2. art. 3. ad 4. ibi; *signanter di-
citur, ore ad os loquar ei*, idest, Moysi
quod in Exodo dictum non fuerat; quia
visio Dei per essentiam non sit mediante
aliquo superiori Spiritu, sed ipse Deus
immediate se ostendit. Nunc sic; sed
incredibile videtur, quod servis Deus
concesserit, quod Dominæ eorum,
& Matri suæ denegavit, vel quod
Reginæ Prophetarum non dederit,
quod Prophetis eius vassallis non
negavit; ergo concedendum est illi
favor hic.

62 Prob. 2. ratione congruen-
tiæ, quæ in his materijs, quæ ex
voluntate Dei, & benefica provi-
dencia erga electos suos pendent,
primarium obtinet locum post au-
thoritatem Sanctorum PP. qui tam-
en sine ratione non procedunt: una
quarum est; quia Deiparæ conce-
dendum putant quidquid decet eam,
& non repugnat; sed intueri Deum
in hac vita non repugnat; & aliundè
decet eam: ergo concedendum
est ei. Major nequit negari sine in-
juria tot, tantorumque eam proferen-
tium Doctorum. Min. quoad pri-
mam part. prob. tum, quia iuxta
communem sententiam favor, de
quo loquimur, concessus fuit in hac
mortali vita Moysi, & Paulo, ut
dictum est. Tum, quia, si hoc ne-
getur, negari nequit, quin Christus
in hac vita viator fuerit simul
& comprehensor, numquamque nec
pro mora minutissima, ab intuitu
Deitatis recesserit. Si autem repug-
nantia figuratur in improportione
animæ unitæ corpori cum Deo pu-

ro spiritu , erit negare , animas plures de factō , & omnes post finem mundi corpori reunitas visum ire Deum ; quod chimericum , vel etiam est Hæreticum : ergo non repugnat ; sed aliās decet , quæ est secunda pars : probatur hæc ; nam favor pensari debet ex maiori dignitate , gratia , & meritis personæ ; sed in hac mortali vita major dignitas , gratia , & meritum in pura creatura nequit inveniri ; ergo majorem favorem in hac vita possibilem , seu non repugnantem decet illi conferri ; atqui major favor in hac vita non repugnans est visio Beatifica : ergo hæc Mariæ Virgini concedenda venit.

ARGUMENTA.

63 **O**bijc. & 1. contra ultimam rationem , in qua ponitur , ut maximus favor , hic Deum intuendi ; sed hoc non cohæret cum his , quæ Lucæ 1. dicuntur diēta per Elisabeth Mariæ : *Beata , quæ credidisti* , ubi ex nullo alio , etiam altissimo recepto favore dicitur beari Mariam , nisi ex fide Divinorum ; sed nihil oppositus visioni clarae Dei , quām notitia fidei obscura ipsius : ergo per hanc , & non illam dicendum est Mariam Deum cognovisse , dum vitam ageret mortalem . Adde , quodvisio clara Dei privat merito frumentum ipsa ; operatur enim benè necessariō . Privat etiam habitu fidei , qui haud minus est incompatibilis cum lumine glorioso , quām cum scientia ; sed incredibile videtur , Mariam in statu viaticis aliquandō non meruif-

se , vel quandoquè habitu fidei expoliatam esse : ergo non est concedendum id , ex quo hæc sequuntur præjudicia.

64 Respond. Elisabeth non fuisse Mariæ gratulatam , nisi de tanta tanti Filij Maternitate , quin meminerit , & fortè nec sciverit , Mariam aliquandō Deum intuitam fuisse , ut posset de hoc favore gratulari , nec comparare hoc cum primo beneficio . Ex quo sequitur , quod gratulatio de tanta fide non exclusit , aliquandō fruitam fuisse tanto lumine ; quia nec hoc est incompatibile cum habitu fidei , licet sit cum actibus istius . Unde nec pro tunc privata fuit V. habitu fidei , quem semper retinuit , quandū mortaliter vixit , ut pote necessarium , ut in se reverfa , & in communem modum operandi iterūm crederet , & credendo mereretur.

65 Obiic. 2. Sequitur 1. ex conclusione , Mariam fuisse , sicut Christum , qui simul fuit Viator , & comprehensor . Sequitur 2. aliquandō aliquem viventium vidisse Deum , contra id , quod asseritur in Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam* . Et in 1. ad Thim. 6. 16. *Rex Regum , & Dominus dominium* , qui *solus habet immortalitatem , & lucem inhabitat inaccessibilem* ; quem nullus hominum vidit , sed nec videre potest . Et in Epist. Evaristi Papæ ad Episcopos Africæ : *Eam lucem inaccessibilem , quam Pater , & Filius inhabitant , nullus in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus intueri* . Ubi nota vocem intueri , quæ cognitionem sonat intuitivam ; & ait , quod nullus aliquatenus , hoc est ,

est, nullo modo aliquis habere illam potest: ergo ruit conclusio. Sed hæc omnia levia sunt, nec quid amplius probare queunt, nisi quod nec M. V. nec ullus alius hanc gratiam intuendi Deum potest obtainere per providentiam ordinariam, nisi transiliens eam, & per aliam altiorem, & irregularē in altiori collocetur culmine: & hoc non quidem permanenter, sicut Christus; sed ut summū raptim, seu transeunter, sicut Moyses, & Paulus; undè nec hi, nec B. M. comprehensores propriè fuere; quia nomen istud statum sonat permanentem, proprium Beatorum solum.

DUBIUM VII.

**AN B. V. M. RECEPERIT ALIOVA
Ecclæ. Sacra menta?**

66 **M**editatò quærimus de aliquibus, & non de omnibus Sacramentis; quia supponimus in primis, Mariam V. non recepisse Pœnitentiæ, nec extremæ Unctionis Sacra menta; quippè quæ immunis fuit ab omni labore culpæ, & consequenter ab omnibus culparum residuis remotissima. Idem supponimus circa Sacram. matrimonii, in ratione Sacramenti; licet in ratione justissimi contractus hunc cum justissimo Josephi fateri debemus celebrasse, quo tempore nec erat institutum Sacramentum, nec fuerat adhuc natus Sacramentorum institutor. Hic autem quando ea instituit, nec Joseph vitam agere, nec Mariam iterum nupsisse, longè ab om-

ni dubio credere debemus. Äquali certitudinē id ipsum afferimus circa Sacramentum Ordinis, cuius subjectum capax non mulierem, sed hominem esse, apud omnes notum est. Nec est dignum controversia, an receperit Sacramentum Eucharistie, quæ à primo instanti Conceptionis Christi, hunc in sui ventris reservavit dignissimo Sacrario, & infinitiès, dicamus sic, in suis manibus gestitavit. Undè solum ad Baptismi, & Confirmationis Sacra menta tota contrahitur difficultas. Et quidem pro Baptismi receptione diximus, quantum opus est, disput. præced. à n. 43. ubi cum omnibus Theologis partem secuti sumus affirmantem. Rationes, quibus hæc nititur, exdem pro Confirmationis Sacramenti sunt receptione. Vide illas ibi, & nos ab omissione illas hic reproducendi absolves.

DISPUTATIO III.

DE BEATÆ M. V. AB HOC MUNDO EGGRESSU.

Post prægressas duas disputationes de Beatæ M. V. in hunc mundum incessu, & in hoc mundo processu, nunc demùm de excessu ex hoc mundo terrestri restat peragendum; immò & non nihil obiter tangemus de his, quibus in alio Cœlesti potitur gaudiis, gratiis, potentia, & patrocinio, quibus & se magnificentissimam ostendit, & nobis munificentissimam se offert. Sit ergo

DUBIUM I.

AN B. V. M. IN MORTE AMORE DEFECERIT, AN RE DOLORE OCCUBUERIT?

1. **C**ommunis culpa communitur. Ideò sicut culpa Parentum Nostrorum communis fuit omnibus, una dempta Virgine Maria, ita poena mortis in omnes fulminata Genes. 2. *In quocumque die comederas ex eo, morte morieris, omnes comprehendere debuit præter unam V. M. quæ, sicut à culpa immunis, sic etiam deberet manere impunis.* Quòd autem hæc sententia intelligenda sit, non de morte spirituali animæ præcissè, ut aliqui autumarunt fundati in illo Apost. ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & quòd peccatum mors est animæ; patet ex D. Aug. lib. de peccat. merit. c. 4. qui fundatus in illis ejusdem Pauli verbis ad Rom. 8. 10. Corpus quidem propter peccatum mortuum est, illam Geneseos sententiam ad mortem etiam corporis protraxit, dicens consultò Apostolum dixisse corpus mortuum est, & non anima mortua est, ne quis crederet, idèo fuisse mortuum; quia de terra sumptum, & ex contrariis coalescens. Nec contra hoc est, quòd non statim, hoc est, in ipsa die, in qua comedas Adam, morte mortuus fuerit corporali, sed solummodo spirituali: tūm, quia, ut expónit D. Th. 4. cont. Gent. c. 50. ly inquocumque die non recidit supra ly morieris, sed supra ly comederas;*

quasi diceretur, in quocumque die comedas, tandem morieris. Tum, quia Adamus ex quo die comedit cæpit mori, quia cruciari cæpit doloribus, & miseriis, quæ sunt causa mortis, & inchoata mors. Ex quo sequitur, quòd, si Adamus non peccasset, nec homines morerentur corporaliter, propter rationem, quam videre est apud D. Th. laudatum cap. 52.

2. Ehinc deducitur patenter, Beatam Virginem M. quæ, præter immunitatem à culpa, naturas Angelorum immortales privilegiis, & perfectione superavit, moriendi non fuisse debitricem; sed tamen mortua est juxta Sanctos P.P. qui omnes sunt in hoc asserendo consentanei. Et nihilominus familiare est apud ippos vocare mortem Mariæ V. transiit, vel dormitionem; quia placidissima, somnum dulcissimum imitans, non mortis amaritudinem experiens fuit. Ratio verò, quare non debitrice mori, vel sic mori voluit est, quia ipsa voluit, volens vel in hoc imitari Filium suum, qui oblatus est, quia ipse voluit. Sic traddit in suis beneficentissimis scriptis V. M. à Jesu 3. p. l. 8. c. 19. n. 740. Et addit, quòd, cùm ad Agni cœlestis nuptias sine mortis pedagio, nec sine celebrandas invitata fuisse à Filio suo (qui vel mori, vel non mori pro sui Matris nutu eligendum dereliquit) renuens ipsa, & renuntians tanto privilegio, malle se respondit per januam mortis omnibus communem egredi de hac vita, & ingredi in æternam, quām hanc cum illa continuare sine mortis intervenitu, & sicut in vita, sic & in morte

te velle se exhibere transsumptum Christi Filii sui fidelissimum. Unde factum est, quod in die veneris, hora tertia vespertina, sicut ejus Filius, expiraverit septuagenaria circiter ætate.

3 Placuit ad eò Christo Dómino abdicatio hæc sui juris, ne pœnam lueret, quam non contraxerat, ut in præmium hujus tanti, grata que libaminis, sui obitus memoriam agentibus grande hocce privilegium Christus ejus Filius illi concederet, quod his enarrat verbis piissima, venerabilis, Religiosissimaque Agrediana Virgo sibi à Beatissima Virgine Maria dictatis: *Fue tan agradable à mi Hijo, que eligiese yo el morir, que en retorno me hizo un singular favor luego, para los hijos de la Iglesia. Este fue, que todos mis devotos, que le llaman en la muerte, interponiendo por su Abogada, para que los socorra, en memoria de mi dichoso tránsito, por la voluntad, con que quisé morir, para imitarle, estén debajo de mi especial protección en aquella hora, para que yo los defienda del Demonio, y los asista, y ampare; y al fin los presente en el Tribunal de su misericordia, y en él interceda por ellos. Para todo esto me concedió nueva potestad, y comisión; y el mismo Señor me prometió, que les daria grandes auxilios de su gracia, para bien morir, y para vivir con mayor pureza, si antes me invocaban, venerando este misterio de mi preciosa muerte.*

4 Hucusque Beatiss. V. in solium suorum Clientum. Et hæc cedat salutifera bucella spiritualis in profectum nostrorum Scholarium, qui Filii tantæ Matris congloriantur, qui-

que nedum hujus tractatus argumentum in solam speculationem suæ peculiarissimæ Matris magnalium convertere tenentur; verum & ejus studium intensiori amori, majori venerationi, ferventiorique servituti tantæ Matris dicaturos speramus. His præmissis, sit

CONCLUSIO:

5 **B**eatiss. V. M. haud dolore, sed ardentissimo Dei amore objicit. Tenent hanc pīssimam, & facillimè credibilem sententiam Alb. Mag. in Mariali c. 171. Methaphras. in lib. 3. de vita Deiparæ. Guerric. Abbas serm. 2. de Assumpt. Zerda academ. 29. sect. 4. n. 88. & alii plures; cum quibus prælaudata & Ven. Agrediana Virgo concors est per hæc verba: *la enfermedad, que te quirió la vida, fue el amor, sin otro achaque, ni accidente.* Et quidem si de filia, vel etiam Protophilia sua Matre nostra Theresia, hæc refert Ecclesia: *Intolerabili igitur Divini amoris incendio, potius, quam vi morbi :: animam Dea reddit, quis huic Matris suæ, & nostræ, omniumque fidelium inficias eat gratiæ?* Et si de Moyse, & Joann. Evang. eamdem, vel similem subiisse mortem, affirmant D.D. Ambros. Isidorus, Methaphras. & alii à N. Josepho à Jesu Maria laudati lib. 5. de excellent. B. V. p. 1. c. 14. *quiis hoc, & amplius de Regina Prophetarum, & Apostolorum non credat privilegium?*

6 Favet huic sententiae illud Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per*

desertum, sicut virgula fumi? Quæ verba ab omnibus huic mysterio sine speciali adaptantur indagine; & in illa sic ait Hilguinus perdoctus Scholior: *Sicut virgula fumi; quia fumus agilis ex calore ignis nascitur, & in sublime erectus, humano se substrahit aspectui. Ex calore, inquit, ignis; quia ex calore ignei amoris anima Virginis M. in sublime Cœlum à nostris est arrepta conspectibus. Ex calore, ne ullo extero telo tacta decumbere dicatur, nec intemperie decedere, nec ferali lue interfici; sed amore, ut hujus spiculo transfixa melleo illustriùs ardeat, dulciùs patiatur, validiùs duret.*

7 Adducit profundus Zerda laud. & quidem appositè, in testimonium hujus veritatis illud Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est, ut mors, dilectio. Confert hoc cum illo Genes. 4. Posuitque Dominus signum in Cain, ut non eum interficeret omnis, qui invenisset eum. Ergo similiter posuit Deus in Deipara sua signum, vel signaculum, ut non vulgaris manus, non ulla feralis lues humana, non ullus corporalis morbus illam interficeret. Ast quis cupidissimam mortis, vitamque Deolitare inhiantem interficiet? Non equidem dolor, sed amor; quippè fortis est amor, quasi mors: ideo signatur in corde, ubi sedet fortitudo. Feuit potentiam in brachio suo, ut solus amor potentissimus pro morte sufficiatur, neque morti succumbat, sed dilectioni solum Mater pulchræ dilectionis subigatur: ergo hæc, non illa Mariam interficit, & à nostris*

conspectibus arripuit. In pace vadat, & in æternum vivat.

ARGUMENTA.

8 **O** Bjic. i. M. V. æmula Christi Filii sui mortis, mortem elegit: ergo vis doloris, non cuspis amoris eam interfecit. Ant. ex prænotatis constat, & conseq. patet; aliàs non Filium suum morientem, desolatum, virum dolorum, & scientem infirmitatem imitaretur; sed, innixa super dilectum suum dulcissimum, dulcissimum suum spiritum, quo quid dulcius! exalaret. Respond. concil. ant. negando conseq. quia, licet dolorem naturalem in separatione animæ à corpore Virginis M. permittamus, ut permittit, & supponit fuisse, non tamen eam eum sensisse Alb. Mag. super Missus est, c. 171. ob sumam contemplationis suavitatem, quæ eam alienavit, & absorpsit, hic tamen dolor non fuit causa mortis, sed effectus amoris, & talis amoris, ut superaret supra modum vim doloris. Undè, si fuit dolor in hac morte, adfuit; non verò præfuit: concomitanter astitit; nullimodè verò efficienter interfecit. Nec mira videatur conjunctio hæc amoris dulcissimi cum amaritudine doloris, si consulamus in hunc locum, quod de Sancta Matre nostra Theresia recitat Ecclesia in officio ejus transverbérationis: *Erat, inquit, tam vehementis dolor vulneris, ut me compelleret in genitus iteratos prorumpere; & adeò excellens suavitatis ... quid desiderabile non sit, ut auferatur. Ecce ergo Mariam*

V. amore morientem , ut verificaretur Mater dilectionis ; & insimul doloris vim patientem , atque Filium suum morientem quoquomodo imitantem . Sed replicabis , et

9 Objic. 2. Christus Dominus mortuus est desolatus , à Patre derelictus , & amaritudinibus oppressus ; non sic V. M. sed quin potius præ amore dulcissimo , quiq[ue] desiderabile non sit , ut auferatur , expiravit : ergo vel non eum imitata est , vel præ doloris magnitudine mortua fuit . Resp. 1. quod nec Christus ejus filius intermissit unquam dulcissimam , & jucundissimam Dei frumentationem , & tamen mortuus est , & desolatus ; quidni ergo idem , vel quid simile de B. Maria non sit asserendum ? Resp. 2. Virginem M. prius dum stabat iuxta Crucem imitatam fuisse Filium suum ; doluit enim super ejus mortem plusquam si millies ipsa moreretur ; & non nisi miraculosè cum Filio moriente non fuit commoriens . Unde sat fuit , ut quando V. M. verè moriens fuit , imitaretur quidem Filium morientem , licet non æquè ac pridem patientem ; quia tanta fuit suavitatis copia , ut quasi naturalis dolor resultaret , quasi guttam fellis in mare mellis infundas , ne sentiretur , obrueretur . ¶ Diximus suprà , permitamus ; potest enim etiam responderi , & fortè melius , nullum vel minimum dolorem naturalem Mariam fuisse passam in ejus transitu glorioso ; & tamen fuisse acceptabile Deo sacrificium moriendi , & imitandi Filium ejus : quia in affectu nedum mori amplexa est , verum & mori præ doloris magni-

tudine , quantum in se erat , volebat : atque ideo hic affectus pro verò sacrificio , & reali imitatione à Christo Filio suo suspectus est .

10 Alia solvit argumenta per hoc , quod , licet sit naturalis dolor intensissimus , agon amarissimus , & omnium terribilium terribilima mors , hoc est intelligendum de morte corporis corruptioni , & mortalitati subjecti ; & adhuc sic , dispensabilis est tota ejus acerra amaritudo per divinam , & irregularē providentiam , ut constat ex pluribus Sanctis , qui animas suas placidissimè exalarunt , quia amorem habuere , quasi mortem fortem , & fortè fortiorē ipsa morte , undè absorbuit utique amaritudinem mortis dulcedo ipsa amoris .

Q UÆ R E S . I.

11 An B. V. M. in fine vita à Deo iudicata fuerit , vel in fine mundi judicanda erit ? Respond. ad utrumque negativè cum comuni . Non enim est materia judicandi , ubi nec fuit defectus , nec periculum deficiendi ; sed in Maria V. nullus fuit defectus , nec periculum illius : ergo & nullum fuit , nec erit iudicium erga illam inferendum . Major ostenditur , & explicatur ; et enim judicare nihil est aliud , quam periculum facere circa modum operandi probè , vel pravè , undè materia judicij ad bonum , & ad malum terminatur : & hoc inter utrumque discutere , judicium vocamus ; atqui in vita , & moribus Beatissimæ V. M. non fuerunt opera bona , & mala , sed bona omnia , & valde
bo-

bona: ergo in illis non habuit locum, nec habebit discussio judicialis inter bonum, & malum: ergo nec judicium. Minor est certissima, & conseq. legitima. Sed

12. Objic. 1. illud 2. ad Corinth. 3. v. 10. *Omnis enim nos manifestari opportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum: ergo licet bona, & valde bona V. M. judicata fuit, & judicanda erit.* 2. Illud ipsius & 1. ad ipsos Corinth. 6. v. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Sed in his non habet locum discussio judicialis inter bonum, & malum, quia numquam peccaverunt: ergo ratio hæc non favet Virginis Mariæ huic exemptioni. 3. Illud Ps. 74. *Cum accepero tempus, ego iustias iudabo, ubi non solùm pravos, & eorum prava opera Deus judicaturus insinuat, verum & iustos, & eorum justitas Dei justitiae, ait, esse subjiciendos: ergo idem de justissima, & speculum iustitiae passim nominata erit asserendum.* ¶ Concessis præmissis harum objectionum, harum conseq. distingo: erit V. M. judicanda iudicio discussionis, seu examinis, de quo in præsenti disputamus, nego: iudicio approbationis, conc. conseq. Omnes quidem ante tribunal Dei comparebunt; cum hac verò differentia, quod mali, ut, facta discussione, in ignem æternum abjiciantur; boni, qui alijs & peccaverunt, ut, præmisso examine, in vitam æternam approbentur: boni verò, qui numquam peccaverunt, & semper bene egerunt, ut M. V. & Angeli, ut opera eorum in confu-

sionem malorum approbentur, & eorum authores exaltentur. Demùm de Parvulis, qui nec bene, nec male egerunt, ait D. Thom. in suplem. q. 89. art. 5. ad 3. *Quod pueri ante perfectam etatem decedentes in iudicio comparebunt, non ut iudicentur, sed ut videant gloriam Judicis.*

QUÆRES II.

13. An V. M. resurrexerit, sitque in Cœlo anima, & corpore, laudans Deum? Affirmative respond. cum communi sensu, & plausu Sanctorum PP. & DD. tum Græcorum, tum Latinorum, quos inter nominatim laudatos invenies per N. Joseph à Jesu Maria in Excellent. Virginis M. lib. 5. p. 1. cap. 17. Eusebium Cæsariensem antiquissimum Chronogrum, qui anno scripsit 330. Acta Ecclesiastica. S. Athanasium, qui eodem floruit tempore. S. Joannem Damascen. Andream Cretensem. S.S. Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Ildephonsum; & demum ait, ad sunt rationes urgentissimæ, revelationes fidei dignæ, & traditio universalis Ecclesiæ, quæ à sui primæva conditione hanc suadent, hanc tenent, & hanc convincunt tenendam assertionem. S. Birgita in suis Revelationibus lib. 6. cap. 62. Divino instructa lumine, confirmat illam; additque, quod paucos post dies ab humatione sui corporis reunitum hoc animæ suæ utrumque in Cœlum evolasset. Post tres dies id contigisse affirmat prælaudatus Noster Joseph ex Juvenali Patriarcha Jerosolimitano; in quibus

bus suavissimus Angelorum concentus audiebatur, qui tamen post illos cessans, index fuit absentiae corporis; quod ex visu comprobatum fuit, qui aliud præter sacrum operimentum, quo sanctum pignus honestabatur, non perspexit. Idem, & post tres dies à mortuis fuisse suscitatam in similitudinem sui Filij dilectissimi affirmat cœlitus instructa Ven. M. Agrediana, p. 3. lib. 8. cap. 21. n. 765. additque, irrevolutum lapidem sepulchri, ut exiret, corpus penetrasse Virginum; ut vel in hoc corpori Filij sui conformaretur resurgentis.

¶ 4. Suadet hoc assertum Alber. Mag. in Biblioth. Mariana, lib. 2. Reg. ubi adducit primò illud Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate; idest, corpore, & anima, in quibus varietas quidem est.* Secundò illud Apoc. 2. *signum magnum apparuit in Cælo; videlicet, inquit, Virgo, & Mater: & quidem Mater non est anima sola sine corpore.* Tertiò illud Æsther. 2. *Adamavit eam Rex plus, quam omnes mulieres.* Et quidem anima Mariæ mulier non est sine corpore; sicut nec homo est anima sola; sed hæc unita corpori. Quartò illud 2. Reg. c. 6. *& adduxit arcam Dei, idest, Mariam, inquit, de domo Obededom, scilicet in Assumptione, in Civitatem David, hoc est, in Cælum Empyreum cum gaudio.* Occasione arcæ placet; Et quidem quadrat etiam illud Psalm. 131. *Surge, Domine, in requiem tuam tu, & arca sanctificationis tue.* Arcam sacrosanctam, in qua Christus Dominus referatus, & sanctifica-

tus fuit à primo iictu sui alitus, quis Mariæ corpus fuisse dubitet? Jam Christus astra ascenderat, reversus undè venerat; ascendat ergo & arca, idest, corpus Mariæ Virginis cum eo, ut quorum una fuit pietas mentium, unus etiam sit corporum comitatus, & in Cœlo incolatus.

¶ 5. Ratio hujus assertionis desumitur ex his, quæ Doctor Subtilis, & Marianus tradit in 3. sent. dist. 3. q. 1. num. 10. Semper, ait, *excellentius tribuendum est Deipara;* sed excellentius esse in corpore, & anima Cœlum inhabitare Mariam nulli dubium est: ergo tribuendum est ei. Maior consonat rationi; & communis Theologorum placito, quod Mariæ dandum est quidquid eam decet, & non ei repugnat: & quod non repugnet, luce clarius est. Quod verò decens fit, paritate desumpta comprobatur ex arca fœderis, quam Mariam, arcam Novi Testamenti adumbrare frequentissimum est apud Sacrae Scripturæ Scholiatores. Illius materia ex lignis Sethim compacta fuit (Exod. 25. 10.) quæ incorruptibilia referuntur: si ergo arcam puræ umbræ decuit à corruptione Deum præservare, quantò magis arcam veritatis à terra, quæ omnia in terram convertit, in Cœlum decuit elevari, ubi nullum corpus corruptioni subjacet? ¶ Adde, quod nec gloria Filii sine Matris gloria plenè compleretur; nec anima Matris sine confortio corporis adæquatè satiaretur. Non gloria Filii; quia Filius sine Matre dilectissima videtur non plene beari; & quidem Mater non est

est sola anima. Nec etiam anima; hæc enim corpus naturaliter amat, ad quod creata est animandum: ergo si anima Mariæ corpus amat, & Filius Matrem, nec Filius sive Mater, nec anima Matris sive corpore perfectè, & omnino bearentur; sed hoc absonum rationi videtur: ergo id, ex quo sequitur, non est admittendum.

DUBIUM II.

AN IDEM NUMERO ACTUS CHARITATIS, quo M. V. Deum in terris diligebat, continuatus fuerit post mortem & in Cælis?

CONCLUSIO NOSTRA

16. **E**ST affirmativa, quam tenent graves Theologi cum N.N. Salmant. tom. 3. tract. 9. disp. 7. n. 63. & tom. 8. tract. 19. disp. 7. n. 16. remissivè ad 3. Illam, ait Pater Suarez disp. 3. sect. n. 2. probabilissimam esse. Et prob. 1. ex præicto momento num. ant. ubi excellentius, diximus, semper Beatæ M. esse attribuendum; sed excellentius est, ipsam eundem numero actum charitatis in Patria, atque in via continuasse. Prob. hæc minor. Tum, quia excellentius est amare Deum sine intermissione, quam cum illa. Tum, quia Angeli eodem numero actu, quo Deum in primo instanti viatores dilexerunt, illum & in posteriori beati amaverunt; & hoc quidem excellentia ingens fuit; sed non minor Angelis Angelorum fuit Regina nec in amore, nec in hu-

rus continuatione: ergo quod ipsi conceditur vassallis, injustè eorum subtrahitur Reginæ. Tum, quia excellentior est conditio Beatorum, qui indefinenter amant, quam viatorum, qui interruptè diligunt; ergo excellentior fuit amor Mariæ continuatus, quam interruptus; sapuit enim sic amorem Beatificum. Prob. 2. ex nulla repugnantia, nec ex parte charitatis, quæ juxta Apost. 1. ad Corinth. 13. numquam excidit; nec ex parte objecti, quod idem est formaliter in Patria, ac in via; nec ex parte subjecti amantis; ut differèt constabit, si jam enodemus

ARGUMENTA.

15 **S**Ententia contraria tribuenda est Doctori Subtili, aliâs Mariano, à quo lucem sumpsimus pro nostra conclusione; inquit enim in 3. dist. 31. quest. unica, charitatem patriæ diversam esse specificè à charitate viæ: ex quo manifestè infertur, in Maria V. eundem numero actum ante, & post mortem non potuisse continuari; quia à duplice virtute specie distincta, & creata repugnat vel divinitus deve- nire eundem numero actum, ut tenent N. N. Complutén. abbrev. in Phys. disp. 15. q. 3. Quo in sensu etiam recognoscimus nobis contrarios Cajetan. 1. p. q. 82. art. 2. Capreolum, & alios. Pro quibus objic. 1. ex D. Th. 2. 2. q. 24. art. 7. ubi proponit hoc argum. Si charitas viæ posset in infinitum augeri, posset adæquare charitatem Patriæ. Cui occurrit dicens, quod rati-

tio hæc procedit in his , quæ habent quantitatem ejusdem ordinis ; secus , si diverse , sicut linea , quantumcumque crescat , non attingit quantitatem speciei . Non est autem eadem ratio quantitatis charitatis viae , quæ sequitur cognitionem fidei , & charitatis patriæ , quæ sequitur visionem apertam . Ecce collatam à D. Thom. charitatem viæ , & patriæ cum quantitate linea , & superficie ; at qui hæc duæ quantitates distinguntur specificè juxta N. N. Complut. abbr. in Log. disp. 13. q. 2. ergo sic distinguentur habitus charitatis Patriæ , & Viæ : ergo repugnat , Beatam V. M. per diversos habitus eundem numero actum continuasse .

18 Confirm. ex ipso D. Thom. qui i. p. q. 80. art. 2. ait : Differentia apprehensi sunt differentiae appetibilis ; unde potentia appetitiva distinguuntur secundum differentiam apprehensionum , sicut secundum propria objecta ; sed fides viæ , & lumen patriæ diversas essentialiter in gerunt in cognoscente apprehensiones ; ergo diversos etiam amores , seu actus charitatis . ¶ Et urgetur : quia appetitus sensitivus sequitur sensum , & rationalis intellectum , diversi sunt tales appetitus : ergo , quia amor viæ sequitur fidem , & amor patriæ lumen , diversi erunt hujusmodi amores : ergo non unicus potuit esse amor Virginis M. ante , & post mortem continuatus .

19 Ad argum. quod difficultate non vacat , respond. charitatem viæ , & patriæ , non conferri cum linea , & superficie quantum ad rationem diversam essentialiter , & specificè , sed quantum ad diversam rationem status ; quia scilicet

charitas patriæ possedit inamissibilem , & consumatum statum ; viæ vero charitas amissibilem , & vialem : quod in causa est , ut charitas viæ , quantumcumque crescat , numquam ad charitatis patriæ culmen pertingat ; semper enim esset vialis , semper amissibilis : & in hoc æquiparatur linea , quæ numquam , quantumcumque in longitudinem protendantur , poterit esse superficies . Unde quod facit inter istas quantitates diversitas specierum , facit in charitatibus viæ , & patriæ diversitas statuum , quantum ad hoc , ut una non accedat alteri in perfectione ; non vero quantum ad hoc , quod una non sit ejusdem , ac altera , speciei . Sicut si dicamus perfectionem pueri esse ejusdem rationis cum adul ti perfectione , quæ tamen , licet ejusdem speciei , numquam ad alterius gradum accedet perfectionis .

20 Ad confirmat. respond. ex ipso D. Thom. in alio loco , scilicet q. 25. de Verit. art. 1. ad 6. ipsum se explicante in loco hic allegato , quod diversitas apprehensionum per accidens se habet ad appetitivas vires distinguendas , nisi diversitati apprehensionis diversitas apprehensionum conjungeretur . Ex his disting. majorem D. Thom. differentiae apprehensi sunt differentiae accidentales appetibilis , transeat : esentiales , nego maiorem , & distincta similiter min. nego conseq. Solutio coincidit cum ea , quam D. Thom. tradit doctrina , i. 2. q. 67. art. 6. ad 2. dicens , charitatem non habere pro objecto ipsam cognitionem ; sic enim non esset eadem in via , & in patria : sed habet pro objecto ipsum rem

cognitam, quæ est eadem, scilicet, ipsum Deum. Pro quo vide N.N. Complut. abbr. lib. 2. Phys. disp. 14. n. 9. Ehinc inferto, quod ratio diversificandi appetitus rationalem, & sensitivum, non sunt sensus, & intellectus, sed diversa formaliter objecta, quæ ab ipsis proponuntur, scilicet, bonum universale ab intellectu, & particulare bonum à sensu. Per quod patet ad urgentiam. Ex quibus tandem habemus, quod differentia actuum charitatis vialis & patriensis, solum est accidentaliter talis, quæ diversitas in uno numero actu penes diversa instantia potest reperiri.

21 *Objic.* 2. Charitas viæ est proprietas ad gratiam media fide consecuta; Patriæ verò charitas consequitur ad ipsam medio lumine, quæ sunt principia formaliter diversa: ergo & ipsæ charitates, & consequenter actus, sicut passiones consecutæ ad naturas hominis, & leonis specie differunt. Respond. concessio ant. neg. conseq. quia proprietates tunc specie differunt, quandò consequuntur ad diversa principia secundum eam rationem, in qua hæc differunt; secus, si secundum eam rationem, in qua convenient. Unde probabile est valde, inquit N.N. Salm. laud. intellectus Angelorum esse omnes ejusdem speciei: quia sequuntur ad naturas, licet aliæ specie distinctas, non secundum quod distinguuntur, sed secundum quod convenient in ratione substantiæ spiritualis completeræ. Quod idem in præsenti sit: nam licet lumen, & fides sint specie distincta, convenient

tamen in proponendo unum, & idem objectum specificativum voluntatis, de materiali se habente ad charitatem, quod clarè, vel obscurè cognoscatur, sicut idem est objectum Logicæ in Logico illud dissertè, & profundè contemplante, & in alio eraso, & rudi intuitu illud attinente.

22 *Objic.* 3. Amor viæ est liber; Patriæ amor est necessarius; sed repugnat eundem numero actum esse liberum, & necessarium: ergo & quod actus viæ, & Patriæ ante mortem, scilicet, & post mortem Mariæ Virginis fuisset idem numero. Respond. concessa maiori, disting. min. repugnat, simul esse liberum, & necessarium, concedo: in diversis instantibus, nego min. & conseq. Modi libertatis, & moralitatis sunt extra speciem amoris in esse Physico; & ideo actus iræ ex abrupto, & subito conceptus, quo modo nec liber, nec moralis est, si superveniat in alio instanti animadversio, idem licet sit in esse physico, in liberum transit, & moralem, invariata verò ejus specie, & entitate. Sicque contigisse in actu charitatis Mariæ Virginis obeuntis, & post obitum asserimus. Sed de his fusiùs, dum de voluntario agamus, & involuntario. tract. 17. disp. 1. dub. 3. & disp. 2. dub. 4. Et tr. 18. de bonitate, & malitia, disp. 1. dub. 1. quæ in N. Paulo respondent tr. 9. & 10. in eisdem disputationibus, & dubiis, & insuper tr. 12. de Angel. disp. 3. dub. 7. n. 78.

23 *Objic.* 4. Repugnat eundem actum

actum esse satiativum, & non esse satiativum voluntatis, sicut repugnat eadem numero formam satiare, & non satiare materiam primam; sed amor Virginis Mariæ ante obitum non erat satiativus; erat verò post obitum: ergo non erat idem. Respond. neg. majorem cum imbibita ex formæ paritate desumpta. Forma enim per se ipsam, & secundūm suam satiat entitatem, communicando materiæ actum, quem desiderat; qui actus non distinguitur à forma: at verò actus charitatis non satiat ratione suæ entitatis, sed connotando status perennitatis, & inamissibilitatis, qui illi accidunt, in cùjus signum est, quèd, si desit perpetuitas, non quietatur voluntatis appetitus; quia hæc non solùm vult amare Deum, sed eum perpetuò amare, & in æternum. ¶ Potest etiam responderi, quòd satiari, vel non satiari non est proprium voluntatis, vel charitatis, sed illius potentiae, & virtutis, quæ possident objectum per Beatitudinem, quæ consistit in actu intellectus, non in actu voluntatis, ut dicemus tr. de Beatitudine. Sed replicabis contra hoc ultimum, et

24 Objic. 5. Actus, quo objectum cognoscitur obscurè, nequit esse idem cum eo, quo cognoscitur clare, vel demonstrativè; quia hic est scientificus, ille verò fidei, qui nèdūm numero, sed & specie distinguuntur: ergo idem dicendum erit de actibus voluntatis, seu charitatis per illos regulatis; sed actus charitatis Virginis Mariæ regulabatur ante obitum per fidem, post au-

tem illum per lumen, vel scientiam Beatificam: ergo nequivit esse idem numero. Concesso aut. neg. conseq. & paritatem; quia cognitio fidei terminatur ad objectum in quantum obscurum; luminis verò, vel scientiæ in quantum clarum, vel demonstrabile; quæ sunt rationes formaliter habitæ ex parte objecti se tenentes, ipsum que in ratione talis diversificantur; actus verò charitatis, licet præsuponant hos diversos modos apprehendendi, numquām tamen proponunt objectum amandum, ut obscurum, vel ut clarum; sed solùm ut bonum: quia ratio obscuri, vel clari aliena est valde à ratione objectiva voluntatis, vel charitatis; immò obscuritas longè ab amore retrahit obscurum ab amando.

QUÆRES

25 Pro calce hujus tractatus: quem locum inhabitet Virgo Maria in Cœlis? Quem cultum mereatur in terris? Quām sublimis sit in se; & quām benefica erga nos?

His quæsitis quatuor nedum nos pusilli, atque pauci-loqui; verum nec tanti, & Sancti PP. infrâ referendi poterunt pro meritis adæquatè respondere, ut vel ipsi palam confitentur unanimes. Et nihilominus eorum authoritati innitentes, non nostro captui confidentes, aliquid dicemus, ne indignitas tantum solvendi argumentum substrahat à Beata Maria aliquod nostrum, quoad fieri possit, obsequiolum; & ab ephebis nostris aliquam meditandi, fandique materiam in eorum dulcif-

simæ Protho-Parentis laudem, & honorem. Nec mirum, si ab stylo pausillūm distrahamur Scholastico, & in Neophitum inclinemus Nostratum maximè peritorum, piorumque Fratrum Liberii à Jesu, Sebaldi à Sancto Christophoro, Andreæ à Cruce, Dominici à Sanctissima Trinitate, & aliorum, qui gymnasium discursivum cum studio ascetico pulchrè congratiarunt; cùmque nos Carmelitæ Difficalecati Ascetæ priùs, deinde Academici ex nostro instituto esse tenemur, par est, ut illos imitemur.

26 Ad primum ergo dicendum est, non nostrum, sed solius Dei esse, locum, quem Matri suæ præparavit, ostendere. Sic ex Job constat, in c. 28. ubi inquirit Deus: *Numquid ostendisti aurora locum?* Super quæ D. Bonavent. in speculo Beatae Virg. ait: *Hoc quæsumus prolatum est à Deo; non ad te, inquit, perinet ostendere Aurora Mariæ locum, sed ad me, id est, ad Deum.* Bene autem dicit locum suum, quasi appropriando, & discernendo ab aliis omnium Sanctorum locis. Item bene legitur: *intulerunt Sacerdotes arcam fæderis Domini in locum suum.* Hic certè locus est super omnes Choros Angelorum. Ex quibus constat, quæcumq; sublimis, & excelsus sit locus habitationis Mariæ; cùm solius Dei sit illum ostendere. Sed ut minùs superfedere super Choros Angelorum ostendit nobis Doctor Seraphicus: & astare, ut Reginam, à dextris Regis Regum in vestitu deaurato ostendit nobis Psalmus 44.

Et quidem, si *ubi ego sum*, inquit increata veritas, illuc & Minister meus erit, ubinam Cœlorum Regina

Cœlorum, & horum Authoris Mater assidebit? Respondet D. Bern. Sen. tom. 3. Serm. 1. de Nomine Mariæ, ar. 2. c. 1. *Merito, & loco vicinissima erit Filio suo; non secùs ac stella Polaris Polo suo.* Haud secùs etiam quæcum de Matre Salomonis ait Reg. lib. 2. quod positus est tronus Matris Regis, quæ sedet ad dexteram ejus. Et D. Aug. in Serm. de Assumpt. ad tam sublimem sedem superelevat Mariam, ut inter hujus, & Filii sui non discernat locum; sed eundem esse dicat per hæc verba: *Talamum Dei, & tabernaculum Christi, dignum est, ibi esse, ubi est ipse.* Habemus ergo ex his, quod Mariæ locus in Cœlo est à dextris Filii sui vicinissima Deo, & quasi Aurora refulgens iuxta Solem Divinum fulgentissimum.

27 Ad secundum respondet, cultum, & venerationem Beatae Virginis Mariæ exhibendam superiorem esse debere omni omnium Creaturarum Cœli, & terræ, etiam simul sumptarum cultui exhibito, & exhibendo. Et ideò dixit Chrysostomus in Lithurg. Virginem esse honoratiorem Cherubin, & gloriofiorem incomparabiliter Seraphin. Si Cherubin, & Seraphin superat Maria, & incomparabiliter superat in dignitate cultus, & quantò magis reliquos inferiores Angelos, & homines? D. Th. 3. p. q. 25. assignat tres adorationes: aliam Latræ, quæ propria est Dei solius: aliam Dulæ, quæ propria est Sanctorum omnium; at, quia his superponitur, tamquam Sol Stellis, Reginæ Sanctorum omnium, addit D. Th. quod debetur ei, non qualisunque

Dulia, sed *Hyperdulia*, quasi medians inter reliquas creaturas, & earum Creatorem; quia nec ascendit ad hujus excellentiam, nec descendit ad illarum restrictam perfectionem. Sed

28 Objic. 1. Videtur, Virginem Mariam venerandam esse cultu Latriæ, sicut Deus: ergo immerito restringimus cultum ejus ad Hyperduliam. Anteced. prob. tum ex allegatis testimoniiis Reg. libri, & Divi Aug. quæ vicinissimam Deo collocant Mariam; immò in eadem sede, & loco, in quo Filium suum assidere, dictum est: ergo idem cultus est ei tribuendus. Tum, quia Mater, & Filius ejisdem gaudent privilegiis, ut constat ex 1. Princeps legibus, ff. de legibus: Princeps legibus subditus non est: Augusta vero, licet sit subdita, tamen eadem privilegia illi concedit, quæ ipse habet: ergo. Respondet D. Th. laud. ad 1. quod Matri Regis non debetur aequalis honor, qui debetur Regi; debetur tamen ei quidam honor consimilis, ratione cuiusdam excellentie. Unde prædicti textus, dum eadem privilegia concedunt Beatæ Mariæ, ac Filio suo, intelligendi sunt de identitate, quæ coincidunt cum similitudine, non vero cum identitate rigorosa.

29 Objic. 2. Coniunctior est Christo Mater ejus, quam crux, in qua peperit; sed ex conjunctione, & contactu Crucis adepta est crux grande privilegium, scilicet, ut ei exhibetur cultus Latriæ: ergo posteriori titulo Maria. Concessa majori, dist. min. ut exhibetur cruci cultus Latriæ ratione sui; nego: ratione Christi, in ea qui peperit, con-

cedo min. & nego consequent. Est disparitas: nam crux ex se non est capax venerationis, ideo omnis, quæ ipsi exhibetur, aliundè venit, & per respectum ad eum, qui eam testigit, exhibetur. Maria vero capax est, quæ in se, & per se recipiat cultum; ne vero, creatura cum sit, coquetur in cultu cum suo Creatore, subtrahitur ab ea cultus Latriæ, qui datur cruci: & tamen honoratior, quam haec, est Virgo Maria; quia major excellentia est adorari adoratione Hyperdulie ratione sui, quam adoratione Latriæ ratione alterius.

30 Circa quæsumus tertium super excellentia Virginis Mariæ, si linguis hominum loquar, & Angelorum, in ea laudanda nihil sum. Sed de me quid mirum, si supereminens Anselmus lib. de excel. Virg. c. 1. sic aiebat: Supereminenter omni, quod preter Deum-hominem creatum est, excellentiam Beatae Matris Dei quomodo cumque, & saltē lippenti oculo cordis contemplari anhelans, horreo, & valde timeo. Haec supereminens Doctor; quid tantillus haec rescribens? Et si Cœlicolæ mirantur eam gratiarum deliciis affluentem; quæ est ista, quæ ascendit; quid terricolæ in ejus laudem proferemus? Solus Deus, inquit S. Amadeus, Homil. 1. cui soli secunda est, eam dignus poterit encomiis honorare, qui ad tantam dignitatem humilem, & parvulam sublimavit, qua majorem ipsa Dei omnipotentia creare non potest. Merito dicit, quod solus Deus potest encomiare; quia, inquit D. Th. 1. p. q. 25. ar. 6. Beata Virgo, ex hoc quod est Mater Dei, habet

quandam infinitatem ex bono infinito, quod est Deus: ergo solus Deus, qui est infinitus, poterit dignè superexaltare Matrem, quæ quodammodo infinita est.

31 Confirmat D. Bern. Sen. à N. Liberio laudat. tom. 8. p. 2. pag. 869. hanc sublimitatem asserens tantam esse, ut soli Deo cognoscenda reservetur. Et ideo Ansel. laud. c. 3. ineffabilis est, inquit, & suspenda omni seculo hujus mulieris gratia, & exaltatio. Et Alb. Mag. de laud. Virg. l. 3. c. 10. tu suppregressa es universos Sanctos. Immò universos Angelos, ita ut ex Apostolo (ad Hebr. 1.v.4.) liceat nobis illud usurpare: tanto Angelis melior effecta est, quanto differentiis pra illis, nomen hereditavit Matris Dei, cui Angeli famulantur. Et quidem cui ex Angelis dixit aliquando Deus, Mater mea, vel Pater meus es tu? Hic solummodo titulus Matris Dei satis sit nobis pro omnibus supponere; itaque fileant omnes in conspectu ejus: ut enim ait S. Petrus Damian. serm. 3. de Nativ. Mariæ: *Hoc unum de Maria dicere, quod Mater Dei est, superat omnia, quæ ab Angelo, vel homine dici possunt.* Idem ait S. Epiphan. orat. de laud. Deiparæ: *Solo Deo excepto, cunctis superior existi; cui pradicanda nec hominum, nec Angelorum lingua sufficit.*

32 Veniamus demùm ad quæsumitum quartum, & de potestate, & Materna vi, ut nos homines protegat, lapso erigat, stantes teneat, iustos perficiat, & omnes salvet, aliquid, vel tantillum referamus. Sed quid nos? Non nos peccatores, sed Sanctos de Sancta Sanctorum loquen-

tes humiliter audiamus. S. Damian. nup. laud. vocat Mariam, *Mediatricem Cœli, & terra.* Et quidem mediatrixem, quasi inter Cœlum interpolatam, & terram, ut iram Dei in nos descendere impedit; nostra verò oratio, & supplicatio in manibus medicatrixis in conspectu Dei iacunctor ascendet, & ascendens exaudietur pro suæ Matris reverentia. Exaudiatur quidem; quia non eam exaudire, quasi impossibilem retur S. Anselm. à N. Liber. laud. tom. 8. p. 2. disp. 4. controv. 9. n. 131. ibi: *Sicut, ò Beataissima Virgo! omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat; ita omnis ad te conversus, & ad te respectus, impossibile est, ut pereat.*


33 Idem asserit Alb. Magn. lib. 2. de laud. Virg. c. 1. n. 19. *Si ipsa est advocata nostra, & praincipiè coram Filio suo, cui pectus ostendit, & ubera, non potest ullo modo (quasi dicat, impossibile est) esse repulsa, ubi concurrunt, & perorant omni lingua disertius hac clementia monumenta, & charitatis insignia.* Adsit huc D. Pet. Dam. hanc rem corroborans Serm. 44. qui est 1. de Nativ. ibi: *Nihil tibi impossibile (Beata Virgo) cui possibile est desperatos in spem Beatitudinis relevare.* Quomodo illa potestas tua potentie potest obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illum aureum humanae reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, Dominus, non amilla. Nec minus exaltat hoc favendi nobis potentissimum, & secundissimum studium S. German. Patriarcha Constantinopol. à laud. Liber. laud. ait enim: *Tu ve-*

eo Maternam vim apud Deum obtines: eis qui supra modum peccant, supra modum veniam conficis. Nec enim fieri potest, non exaudiaris; quoniam tibi ad omnia, & per omnia, & in omnibus Deus tamquam vere, & Immaculata Matri obedit.

34 Quid inde? Sanctus Bernardus in Sermone de Nativitate eduit consequentiam, & reducit ad primum horum encomiorum productionem in hunc modum: *Totis ergo medullis cordium, totis precordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Nec dubius dixerim exaudiatur & ipsa pro reverentia sua. Exaudiens utique Ma-

trem Filius, & exaudiens Filium Pater. Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia, haec tota ratio spei mea.

Ave igitur concludit Chrysost. & nos cum eo, Ave igitur, Mater, Cœlum, Puella, Virgo, Tronus, Ecclesia nostra decus, gloria, & firmamentum: assidue pro nobis precare Jesum Filium tuum, ut per te misericordiam invenire in die Judicii, & qua deposita sunt his, qui diligunt Deum, consequi possimus: gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, simul & Spiritui Sancto, gloria, & honor, & imperium, nunc, & semper, in secula seculorum. Amen.



TRACTATUS XII.

D E A N G E L I S.

DE Regina Angelorum , antequam de Angelis, parat, ageremus , quod & fecimus. Si autem ad agendum de Virg. Maria , quæ quid sapit infinitum , ut potè Mater Infiniti , divinum quasi, & infinitum opus erat lumen , & auxilium: ad agendum de natura Angelica , Angelico quòd opus sit , quis neget, intellectu ? Opus utique est ; sed ne illud desperemus adest nobis Angelicus Dr. qui i. p. à q. 50. usque ad 64. de Angelicis Intelligentiis Angelica intelligentia agit longum, & peraltum argumentum , cuius vestigia , si fideliter pre-mamus , feliciter pelagus tantum pervademus. Sed ne intanti operis negotio tumultuariè procedamus , illud in tres disputationes claritatis ergo dissecabimus , quarum sit

D I S P U T A T I O P R I M A

DE ANGELI S U B S T A N T I A.

Primum locum, primum, quod in Angelo invenitur , par est , ut præripiat , idèò de substantia ejus , quæ omnibus prædicatis posteris substat tamquam fundamentum , & præfertur tamquam substantaculum, primum instituimus sermonem , cui jam ex nunc dicamus

DU BI U M I.
AN ANGELI DENTUR , SINTQUE
in corpori?

ANgelus Grecè , Latinè
Nuntius nomen est offici-

cii , non naturæ, inquit Magn. Greg. Homil. 34. in Evang. ex illo ad Hebr. 1. Qui facit Angelos suos Spiritus: Ubi D. Ambr. ait: Quare nomen naturæ? Spiritus. Nomen officii? Angelus. Spiri-

Spiritus enim est , ed quodd est; Angelus verò , ed quodd agit. Et si semper spiritus sit , non tamen Angelus : Et ratio est , quia non semper agit nuntiationem. Unde non solum quos communiter Angelos dicimus , hoc nomine exprimuntur , sed & quilibet Dei minister , qui nobis , à Deo missus , aliquid nunciare ignotum devenerit , ut Joah. Baptista , imò & ipse Christus Jesus à Patre missus , Angelus per Malach. 3. 1. expressè nuncupatur : *Ecce ego mitto Angelum meum , & preparabit viam , ait de Baptista , & statim (de Christo inquit) veniet ad templum suum Dominator , quem vos queritis , & Angelus testamenti , quem vos vultis.* In præsenti tractatu non de Angelis , qui nuncii , vel ut nuncii sunt , sed de ipsis qui spiritus , & ut spiritus sunt , nobis sermo erit. Pro quo

2 Nota , corpus tripliciter sumi posse : 1. pro tertia specie quantitatis : 2. pro materia , quæ pars est , & quidem corporea , compositi substancialis : 3 pro hoc ex materia , & forma corporeis confitato. Similiter incorporeum sub tria cadit acceptance : 1. pro eo , quod caret extensione quantitativa : 2. pro eo , quod caret physica materia : 3. pro eo , quod ex ea , & forma non componitur. Titulus dubii de tria querit incorporeitate , an Angelis conveniat ? Sed priùs , an existant , sequens examinabit

CONCLUSIO PRIMA:

3 **V**erè dantur Angelì in rerum natura , idque fi-

des docet , passim in Scripturis nominando eos , ut Angelum Christum confortantem , Angelum Mariæ annuntiantem , & Angelum Thobiae comitantem. Horum nomina , quantum ad duos ultimos , ex sacro textu constat fuisse , primum Gabriel , secundum Raphael dictos. De Angelo verò Christum in Horti agone roborante , ait , fuisse , Venerabilis , & illuminata Virgo Maria de Agreda 2. p. lib. 6. c. 12. n. 1216. Archangelum Michaeli. Præter hæc tria nomina , vel alia , si quæ sint , quæ in sacra legantur scriptura cave , ne & alia apochripha admisseris proferenda , ut non obviā iveris Decreto S. Tribunalis Fidei eorum usum , vel etiam invocationem proscribenti. Horum vero , vel aliorum , quæ suppresso nomine , vel anonymos refert sacra pagina existentia :

4 Prob. 2. ratione , imò & convincitur ad sensum ex pluribus portentis , atque mirabilibus effectibus , qui ab aliqua causa præter incorpoream substanciali sunt impossibilis , qui fiant , ut constat ex Magorum operibus tempore præcipue Moysis , & Pharaonis in Ægypto patratis , & in Energumenis passim experimur , linguam , quam numquam noverant , audi entibus , & in ea colloquentibus , occulta secreta palam evulgantibus , motibus se velocissimis agentibus , & à conspectu astantium repente se substrahentibus abscessu ; sed hæc omnia à corporali creatura fieri nequeunt , & ex illis plura nec à Deo , quippe quæ sèpè contra Deum , vel blasphemam

phema , vel minus ejus supremam auctoritatem sunt decentia : ergo à substantiis incorporeis , sive bonis velut Angelis , sive malis , veluti Dæmonibus necessariò patrabuntur.

5 Dices 1. Hæc , & alia , quæ possunt adduci portenta mirabilia posse forsan ab animabus patrari separatis : ergo non opus est recursu ad substantias incorporeas Angelicas. Respondet D. Thom. 1. p. q. 117. art. 4. ex Phil. in lib. de Anim. negando ant. quia animæ , separatae à proprio corpore , incapaces sunt quæ alia corpora localiter movere possint , quod opus erat , ut prædictos producerent effectus : cuius signum est , quod nec membrum mortuum in proprio suo corpore possunt , quantumvis id velint , & procurent , vivificare , nec movere , imò nec corpus suum , post egressum ab eo , possunt agitare : quantò minus extraneum ?

6 Dices 2. D. Augustinus lib. de qualit. anim. c. 34. ait : *Quod est melius omni anima, id Deum dicimus.* Si autem darentur Angeli , hi etiam essent meliores omni anima , & non solum Deus : ergo signum est non dari. Respondet sibi ipse Aug. lib. 1. retract. atque se retractans à dicta auctoritate per hæc verba : *magis diu debuit, quod omni spiritu melius est, id Deum dicimus:* ergo dantur spiritus , qui minus quam Deus , & magis quam anima sunt , & hos vocamus Angelos.

7 Hanc perspicuam veritatem etiam Ethnici Philosophi obtinuerunt: nam Divinus Plato in Apolog. pro Socrat. ad Athen. ait :

Unumquemque mortuorum ab eo Dæmonem (id est Angelo) qui viventem sortitus fuerat, in quemdam locum de industria duci. Et Arist. Discipulus Platonis , Philosophorumque Magister in lib. de Secret. Secret. ajebat ad Alexandrum , quem regebat : *An nefis, quod duo sunt spiritus, unus ad dexteram, aliis ad sinistram custodientes, & scientes opera tua, & referentes factori tuo quidquid feceris?* Hoc solum in veritate debet te , ò Alexander ! retrahere ab omni in honesto opere. Ubi non solum innuitur Angelos dari , verum & in hominum custodiam destinari. Et consultò forsan ait : *duo sunt spiritus:* erat enim Rex , id ipsum , quod SS. DD. nostri docent , duos scilicet Angelos comitari Reges , & Prælatos , unum pro officio rectè obeundo , alium pro persona solertè custodienda.

8 Ratione demum probat existentiam Angelorum Angelus humanus D. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. quæ ad hanc formam reducitur: Universum hoc Deus creavit valde bonum , & perfectum : ergo oportet (imò necesse est , inquit laud. D. Th.) ponere alias creaturas incorporeas , quæ Angeli dicuntur. Ant. constat ex illo Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Conseq. prob. Universum valde perfectum valde simile factori suo debet esse (causa enim valde perfectè operans , valde similem sibi effectum emittit , ut patet in igne , qui perfectè operans ignem , imperfectè verò agens , solummodo calorem producit) ast non esset Universum valde simile Deo , si inter creatas res visibiles

non esset aliqua invisibilis completa (qualis non est anima) operansque solum per intellectum, & voluntatem, sicut solus Deus: ergo necesse fuit illam creare, & hanc vocamus Angelum.

9 Confirmatur 1. Tot gradus debent dari in hoc magno mundo dispersi, quot conjuncti in mundo parvo (Microcosmos dicto) nempè homine, inveniuntur; sed in mundo humano parvo tres gradus, scilicet vivendi, sentiendi, & intelligendi, cum D. Greg. Homil. 29. in Evang. numeramus: audi illum: *Omnis creature nomine signatur homo: habet enim commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis:* ergo iidem disjuncti in Universo existunt orbe. Major patet: quia alias nec Universum major, nec homo minor dicarentur mundus. Minor est D. Gregorii, & conseq. recte infertur. ¶ Confirm. 2. Gradus ex his tribus perfectissimus est intellectualis: ergo in hoc consistere debet perfectissima, quantum fas est, creaturæ imitatio Creatoris; atqui non sic illum imitabitur, si in aliqua creatura non separetur hic gradus à duobus inferioribus. Prob. hæc min.: intellectivum adjunctum animali sensitivo, vel viventi corporali non operatur purè spiritualiter, nec præcissè per intellectum, & voluntatem, quæ sunt potentiae purè spirituales: ergo nec imitatur Deum sic spiritualiter operantem per eas: ergo ut Deum imitetur, debet à corporeitate etiam rationali denudari, qualiter natura denudatur Angelica: er-

go datur hæc. Sed

10 Dices: Ex hoc sequitur, quod & gradus sentiendi debeat reperiri separatus à gradu vivendi in aliqua creatura, quod tamen falsum est: ergo & quod gradus intelligendi debet reperiri in aliqua sejunctim à gradu sentiendi. Nega sequelam, & paritatem: quia gradus vitalis, seu vivendi est genericus respectu sensitivi, & intellectivi, qui sunt species ejus: genus autem nequit à suis speciebus separari; potest verò species ab specie: Cùmque sensitivum, & intellectivum sint species vitæ, poterit utique hic ultimus separari à sensitivo, uti fit in Angelis.

CONCLUSIO SECUNDA.

11 Angelus est incorporeus excludens omnem corporeitatem, tum quantitatивam, tum ex materia, & forma spirituali compactam, tum materialem physicam. Trimembris est conclusio, cuius primum membrum facile probatur: quia quantitas, ejusque extensio materialis est proprietas corporis ex materia, & forma corporis dimanans; sed Angelus nec materia constat, nec forma corporali, ut statim ostendamus: ergo nec habet quantitatem corporalem, nec corporeitatem quantitativam. Sed

12 Dices cum Saducæis oppositum sentientibus: Angeli mali torquentur in gehenna ab igne corporeo, quantitativo, & extenso; sed spiritus nequit ab ullo corpore pati: ergo signum est, ipsos esse quantitativos, & corporeos. Dist. maj. tor-

torquentur ab igne per modum cauſe principalis, nego; instrumentalis, conc. maj: & distincta ſimiliter min. nego conseq. Licet corpus nequeat agere principaliter in ſpiritum, non tamen repugnat ad id, ut instrumentum Dei, affumi, & elevari.

13 Probatur secundum membrum ſtabilitæ conclusionis ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 1. à nobis tr. 3. disp. 1. n. 2. laud. Immaterialitas, ut ibi dicimus, eſt radix intellectualitatis: ergo quod eſt intellectuale, ſecundūm eam rationem eſt immateriale; atqui Angelus ſecundūm totum quod eſt, quid ſpirituale eſt, ut vidimus conclusione antec: ergo totum eſt immateriale: ergo non conſtat materia. ¶ Et conſimatur 1. Operari ſequitur ad eſſe; ſed operatio Angelii omnino immaterialis eſt, ſcilicet, intelligere, & velle ſine dependentia, nec miniftratione ſenſuum ipſi defervientium: ergo & ejus eſte omnino immateriale eſt. ¶ Conſimatur 2. Angelus nequit agere niſi per formam purè intelligibilem; hęc autem nequit recipi in materia: nam hęc valde limitata, illa verò valde ampla repräsentans naturas universales eſt: ergo vel non operatur Angelus, vel omnino immaterialis eſt.

14 Obs. 1. Operatio intellectiva Angelicalis attingit objectum materiale, v. g. homines in particula-ri: ergo non eſt purè immaterialis: Dist. ant. attingit objectum materiale ſub ratione materiali, & limitata, nego: ſub ratione universalis, ſubdiſt. attingit illud primariò, nego; ſecundariò, conc. ant. & nego

conseq. Intellectio Angelica nedūm attingit primariò rationem communem in objectis, verū & ſecundariò rationes ſingulares, materialesque ſub ratione generali. Nec hinc inferas intellectionem ejus eſſe quaſi humanam: hęc enim ita cognoscit naturam universalem abstractam à ſingulare, & materiali, ut hanc nedūm ſecundariò, verū & in confuso eam attingit; non ſic Angelica, quę ſic noſcit naturam universalem, ut licet ſecundariò, clarę tamē, & diſertę attingit ſingularem, ut ſuo loco infrā dicemus.

15 Obs. 2. Homo eſt intellectivus, & tamen habet materiam: ergo non opponitur naturae intellectivae Angelicæ eſſe materiale. Dist. ant. homo eſt intellectivus cum conceruentia ad materiam, conc; finē illa nego ant. & conseq. Homo taliter intelligit, qualiter eſt: & cū ſuum eſte ſit ex parte materiale, ita intelligit, ut & ſenſus materialis illi miniftrret species, quibus intelligat, & in objecto, quod intelligit, conceruat etiam materiam, à qua na-tura intellecta abſtrahitur, ut intelligatur; quia verò ad Angelii cognitionem, nec opus eſt ministerio ſenſuum, nec ſuum objectum eſt na-tura à ſingularibus abstracta, nihil redoleat materiale, per quod non ſit omnino spirituale.

16 Obs. 3. cum Avicen. in lib. Fontis vita: Ens ſubſtantiale dividitur in actum purum, ſcili-ct Deum, & puram potentiam, ſcili-ct materiam primam: ergo omnia reliqua entia media debent de utroque extremo aliiquid habere: ergo An-

geli, qui nec sunt Deus, nec materia, habebunt ab ista aliquid materiale. Transmissio anteced. nego conseq.: non enim omne, quod mediat inter duo extrema, habet aliquid ab utroque, sed sat est, quod neutrum sit illorum, ut patet in actu indiferenti (quem saltim quoad speciem admittimus) quique mediat inter bonum, & malum, & tamen non dicimus habere aliquid de utroque, sed solum, quod neutrum sit. Sic in praesenti Angelus nec est actus per essentiam, scilicet Deus, nec est pura potentia, scilicet materia, hoc autem sat est, ut mediet, quod neutrum sit. Quod tamen non tollit, quod alia media, v. g. mixta physica, sic medient, ut de utroque aliquid participant extremo.

17 Tertium denique membrum conclusionis, scilicet Angelum non componi ex materia spirituali, prob. ex D. Thom. I. p. q. 50. art. 2. ubi omnem compositionem, ex qua cumque sit materia, ab Angelo semovet. Quod & docet D. Dionis. c. 2. de divin. nomin. ubi Angelos appellat *intellectuales substantias ab omni materia immunes*. Unde ait D. Thom. opus. 15. c. 18. hanc fuisse Dionisi sententiam, quod Angelii, scilicet, sunt *immateriales, & simplices substantiae*.

18 Prob. ratione: Natura utecumque intellectiva, ut est humana, potest attingere rationes universales, & abstractas, cum aliqua tamen concernentia ad materiam, à qua abstracthantur: ergo natura adæquatè intellectiva, qualis est Angelica, nullum habebit principium, vel mate-

riam eam limitantem ad earum attingentiam. Jam sic; sed materia, etiam spiritualis, limitat naturam, ne recipiat species adæquatè immateriales, & universales, ut naturas sic universaliter cognoscat (est enim materia spiritualis pura potentia, sicut corporalis, principiumque individuationis, sicut ista) ergo ableganda est à natura Angelica materia spiritualis.

19 Obs. 1. pro D. Bonav. Richar. & Alensi oppositum tenentibus, Aristotelem 8. Meth. ibi: *Si qua substantia est sine materia, statim est ens, & unum: & non est ei alia causa, ut sit ens, & unum:* Si autem non est ejus aliqua causa, erit Deus, qui verè est absque materia: ergo non Angelus. Dist. auctor. cum D. Thom. art. 1. de spirit. creat. ad 5. non est ei aliqua causa formalis, conc; agens, nego maj. & dist. min. si non est aliqua causa nec agens, nec formalis, conc; præcissè formalis, nego min. & conseq. Quamvis Angelus careat causa formali actuante materiam, quæ non est, non ideo caret causa efficienti, quæ in ipso efficiat id, quod est: est enim creatura, & quod causam creatricem recognoscere debeat, constans est.

20 Obs. 2. D. Aug. exponent lib. in suo 12. confes. c. 20. illud: *In principio crevit Deus Cælum, & Terram*, ubi ait: Deum fecisse informem materiam omnis creaturæ spiritualis, & corporalis: ergo datur materia spiritualis, & quidem non in alio, quam in Angelo. Respondebat D. Thom. ibidem art. 4. sic: *Informitas substantiae spiritualis est se-*

sundūm quodd nondūm est conversa ad Verbum (hoc est ad Deum) à quo illuminatur, quod pertinet ad potentiam intelligibilem. Vel ut Capreol. in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. ait: informitas hæc solūm innuit aliquid materiale coincidens cum potentiali, quod non repugnat Angeli essentiæ, subjectivæ, & materialiter se habentis ad actum existentiæ, vel etiam subsistentiæ.

21 Obs. 3. Boetium in Comment. Prædicam. ubi ex mente Philosophi ait, quodd substantia, quæ est prædicamentum, est composita ex materia, & forma; sed substantia Angelica directè ponitur in prædicamento substantiæ: ergo constat materia. Resp. ex D. Thom. ibidem à 23. dist. maj. composita ex materia, & forma, ut excludatur materia sola, vel sola forma, conc; ut excludatur substantia Angelica, nego maj. conc. min. & nego conseq. Quod vult Boetius est, ne in prædicamento colocetur, quod nequit esse species completa, scilicet materia sola, vel sola forma; non verò excludit naturam Angelicam, quæ licet simplex sit, est tamen species completa, & adæquata in suo genere.

22 Obs. 4. illud tritum axioma: *Actus, & potentia sunt sub eodem genere*, hoc est substantiæ, vel accidentis, materialis, vel spiritualis; sed forma materialis, quæ est actus, petit potentiam materialem, scilicet materiam: ergo forma spiritualis, scilicet Angelica, petet potentiam, seu materiam immaterialē. Dist. maj. actus, & potentia

sunt sub eodem genere, si dantur, conc; si non dantur, nego maj. conc. min. & nego cons. Axioma solūm tenet in illo genere, quod sub se respicit actum, & potentiam, ut in composito physico; minime verò in Angelo, ubi genus Angelicum non respicit materiam, & formam, sed solummodo formam sine materia spiritualem, per quam contrahatur.

23 Obs. 5. Angelus constat ex genere, & differentia; sed genus sumitur à materia, sicut differentia à forma: ergo constat materia. Concessa maj. dist. min. genus sumitur à materia physica, & formalī præcisè, nego; ab hac, vel à materia methaphysica, seu æquivalenti, conc. min. & nego conseq. sub dist. data. Quod facit materia physica respectu corporis, quantum ad radicandum hujus gradum genericum, facit in spiritu ratio essentiæ, prout hæ quid est potentiale ad actum subsistentiæ, sub qua ratione æquivalet materia physica; non tamen est rigorosè materia de qua loquimur, scilicet potentia pura.

COROLLARIA.

24 **E**X dictis infer primò, Angelum nequire habere corpora naturaliter sibi unita. Sic expressè D. Thom. 1. p. q. 51. art. 1. nam hoc esset habere se per modum formæ illius, esseque comprehendit, quod resistit naturæ completæ, qualis est Angelica. ¶ Potest tamen assumere sibi corpus, vel corpora, ut in illis corporaliter ve-

rè appareat, ut tenet ipse S. Dr. ibidem art. 2. contra aliquos afferentes, apparitiones ipsorum corporeas esse merè imaginarias, quod, inquit D. Thom. quidquid sit, quòd sit possibile, non tamen semper ita contigit, maximè in apparitione Angelorum Abrahæ, Loth, & Tobiae: nam quod solum imaginatur, in sola est imaginatione, & non videatur indifferenter ab hominibus, sicut contigit in his tribus apparitionibus.

25 Ad hanc verò corporum assumptionem, inquit D. Thom. non sufficit movere corpus, ut movent Angeli Cœlos, nec aliquam ejus partem, ut Dæmones linguam obfessi, sed insuper requiritur, Angelum uniri illi, ut motor mobili, formando aliquid corpus (per virtutem Divinam inquit, D. Thom. 1. p. q. 51. art. 2. ad 2.) repræsentans in figura, & accidentibus exterioribus suam, vel personam Dei, vel etiam alicujus hominis, quam manifestare intendit. Hanc tamen virtutem Divinam aliqui intelligunt eam esse, quam ab initio suæ creationis Deus illi communicavit, nisi apparitio transcendat ordinem naturalem, & attingat supernaturem ob ejus supernas circumstantias. ¶ Undè omnes apparitiones, quæ in veteri legenduntur Testamento, afferit D. Th. q. 6. de potent. art. 3. cum D. Aug. lib. de Trinit. c. 11. factæ fuerunt per Angelos, etiam illæ quæ repræsentabant Deum loquentem: ut quandò Gen. c. 18. dicit ad Jacob: *Ego sum Deus Abraham: nam ipsem et Jacob c. 31. ait: Dixit Angelus Dei*

ad me: Ego sum Deus Bethel.

26 Inquires tandem, quas operationes possint Angeli elicere in corpore assumpto: vel melius quas non possint? Resp. non posse operationes sensitivas, quia carent vita sensitiva: possunt tamen illis validè similes elicere, ut moveri localter, loqui, comedere, non tamen vitaliter, sed applicando activa passivis, ut hæc ab illis moventibus moveantur. ¶ Undè nec possunt generare viventia, illa scilicet, quæ ad sui productionem indigent semine viventis: possunt tamen illa producere, quæ sine semine, sed ex putrefactione alicujus materiæ, vel applicatione unius ad aliam, experientia nos docet generari: Et sic credimus produxisse Dæmones animalia vera, illa scilicet, de quibus ait D. Thom. 1. p. q. 114. art. 4. quòd Magi Pharaonis per virtutem Demonum veros serpentes, & ranas fecerunt.

DUBIUM II.

AN DIVINITUS POSSINT DARI PLURES Angelii ejusdem speciei solo numero distincti?

27 **A**ngelorum numerus assertit D. Thom. 1. p. q. 50. art. 3. superat numerum omnium specierum materialium. Eum sequuntur communiter Thomistæ, hac ducti ex ipso ratione ibidem: Et 2. contra Gent. c. 92. Res create è plures sunt, quòd perfectiores: ergo Angelii, qui longè sunt perfectiores rebus materialibus,

longè & eas in numero excedent. Ant. prob. tum, quia maxima perfectio hujus Universi sic expostulat. Tum, quia id in Cœlis demonstratur, qui maximo excessu superant tum magnitudinem hujus Universi, ut perspicuum est, tum numerum specierum sublunarium, si verum est, quod inquit N. Complut. abrev. in de Cœlo disp. 2. qq. 3. & 5. ubi non solum Cœlos à Cœlis, & hos ab Astris, vel Stellis tenent cum D. Thom. specificè distingui, sed & omnes Stellas esse species distinctas inter se. Quis eas numeret? Tu solus Dominus, de quo Psaltes ait, Psalm. 8. *Lunam & Stellas, que tu fundasti.* Et Psalm. 146. *Quis numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nominat vocat.* Sed

28 Obs. 1. Incredibile videtur, quod numerus Angelorum superet numerum granorum seminum, vel maris arenarum multitudinem: ergo non est admitendum. Resp. dist. ant. impossibile est, quod superet numerum specificum, seu specierum granorum seminum, nego: numerum numericum, transeat ant. & nego conseq. Resolutionem præsentem non ad excessum numericum extenderis rerum materialium, sed illa de specifico loqui intelligenda est, quatenus, scilicet, plures sunt species Angelorum, quam omnes species rerum materialium: si enim comparatio sit super excessum in numero numericè distinctorum Angelorum, negandum est suppositum: quia non sunt duo Angeli numero distincti, sed omnes sunt ita specificè diversi intra genus Angelicum, sicut ho-

mo, Leo, equus, asinus, & mus intra genus animalis. Quod autem grani seminales, & arenæ maris plures sint numero intra eamdem speciem, non infert in eis perfectionem specificam majorem, quam si unum esset solum individuum: quia sola perfectio specifica per se intenditur à natura, ut inquit D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. ad 4. Mille autem, imò millia millium individuorum intra eamdem speciem non adaugent perfectionem essentialiem.

29 Obs. 2. Elephas, & Phœnix perfectiora sunt animalia formicis, muscis, culicibus, & pulicibus; & tamen sunt istis minora numero: ergo major numerus rerum non pensandus est ex majori rerum altitudine; ruit ergo ratio conclusionis. ¶ Obs. 3. Viventia perfectiora sunt corporibus Cœlestibus; & tamen sunt minora magnitudine. Similiter Luna perfectior; & tamen minor est terra. Planetæ perfectiores, & tamen minores sunt magnitudine Cœlis. Aurum, & gemmæ præciosiora ferro, & lapide, & tamen pauciora, & minora sunt illis in quantitate: ergo corruit ratio conclusio-
nis. Ad omnia hæc, & similia respondetur, rationem D. Thom. tenere, quando natura particularis alicujus rei oppositum non postulat, & aliundè non impeditur major perfectio Universi. In exemplis autem adductis idèo minora excedunt majora in numero, & magnitudine, quia in finem ad quem Deus illa creavit, & in majorem Orbis pulchritudinem, sic oportet fieri. Qua ex-
cau-

causa unio hypostatica , quæ omnibus præfertur exemplis , unica est: quia una sat erat in finem , ad quem Deus fecit eam , medellam scilicet totius generis humani.

30 Prob. 2. eadem suppositio: Quodlibet genus , quælibet species (imò & quolibet individuum naturæ humanæ) habent suum tutelarem Angelum : & ultra eos , & quis dubitet , quæm plures esse , & innumeros assistentes assiduè coram Deo ? ergo vera est resolutio. Antecedens tenent DD. Gregor. Mag. Homil. 34. in Evang. quantum ad genera , Aug. quantum ad species , & D. Hieron. Matth. 18. cum D. Thom. & cunctis Theologis quantum ad individua naturæ humanæ: ergo tenet ant.

31 Supponendum est etiam id, quod titulus dubii innuit , Angelos defactò non esse numero distinctos: & idèo querit , an possint esse divinitus? Ratio congruentialis potest esse: quia sublunaria materialia idèo numero multiplicantur , quia sunt corruptibilia, utque dum unum, vel plura corrumpuntur , aliud , & alia superstant producta , & producenda , sicque conservent speciem, quæ aliundè cum ipsis in nihilum abiret ; sed contrarium fit in Angelis , qui incorruptibles ex natura sua sunt: ergo non opus est , ut numero multiplicentur. Quod idem fit in Orbibus Cœlestibus , & in omnibus ejus partibus , Sole , Luna , & Stellis , quæ omnes specie quidem , non verò distinguuntur numero , nec multiplicantur : quia incorruptibles sunt , & earum indefectibilis spe-

cies. His suppositis , sit

NOSTRA RESOLUTIO:

32 **O**Mnino repugnat , etiam divinitùs , plures dari Angelos numero distinctos , seu ejusdem speciei. Hæc conclusio est communissima inter Thomistas , & exprefissima in eorum Angelico Magistro , qui nedùm id repugnare , verùm nec intelligi , imò nec illud fingi possibile afferit in hac. 1. p. q. 50. art. 4. ubi absolute impossibile id profert. Et q. 75. art. 7. ait: *Non enim potest intelligi , quid aliqua forma separata sit , nisi una unius speciei.* Et in de Spirit. creat. art. 8. inquit: *Impossibile est etiam fingere , quid sint plures Angeli unius speciei.* Et tandem 1. p. q. 41. art. 6. probat , in Deo non posse dari plures Patres & Filios : quia irreceptibiles sunt in materia vel subjecto ; sed hoc idem fit in Angelis , qui materia carent , & subjecto receptivis: ergo idem de his dicendum est.

33 Prob. 2. ratione : Implicat distinctio numerica , ubi repugnat radix illius ; sed in Angelis non est radix talis distinctionis: hæc enim est materia , qua ipsos carere jam probavimus : ergo repugnat inter ipsos numerica distinctio. Undè sicut distinctio formalis specifica oritur à forma , & repugnat fingi casum , in quo materia sine forma distinguetur specificè ab alia , sic forma sine materia , qualis est Angelica , repugnat numero distingui ab alia: quia sicut forma tribuit esse hujus , & non alterius speciei , ita materia dat

dat esse hoc, & non aliud individuum intra eamdem speciem.

34 Prob. 3. Quælibet natura Angelii est forma irreceptibilis in materia: ergo repugnat multiplicari in plura individua. Conseq. prob. ut aliqua natura multiplicetur numero in plura individua, opus est, quod diversimodè ab illis participetur, & limitetur, & non unum totam sibi assumat perfectionem illius; sed hoc nequit verificari, si forma non recipiatur in materia. Hæc minor prob. quia unumquodque limitatur per suum contrarium, & consequenter actus per potentiam, materiam, vel subjectum: ergo si forma Angelica, quæ actus est, non recipitur in materia, quæ potentia est, illimitata permanebit; atqui ut multiplicetur in plura individua, opus est, ut ab his limitatè participetur, ita ut aliud sic, aliud vero sic eam participet: ergo deficiente receptione in materia, & limitatione per illam, nequit numericè multiplicari. Exemplum offert D. Thom. sup. laud. q. 75. in albedine, quæ, si ponatur separata ab omni subjecto, ita ut nec actu, nec potentia illud respiciat ut sui receptivum, non poterit numero multiplicari: ipsa enim continebit omnem rationem, & perfectionem suæ speciei, ob defectum subjecti eam limitantis.

35 Prob. 4. Nam, ut inquit, & sèpè repetit D. Thom. forma irreceptibilis in subjecto est infinita; (non quidem positivè, & in omni linea sicut Deus, sed negativè, & intra suam speciem, hoc est, qua-

tenùs caret subjecto, vel potentia opposita per quam limitetur) sed quod infinitum est intra aliquam speciem, nequit intra eam multiplicari: quia continet omnem illius speciei perfectionem, qua ratione esse Dei nequit esse nisi unum: quia infinitum est in omni linea, omnemque omnium linearum perfectionem continens, ut rectè probat D. Th. i. p. q. 11. art. 3. ergo nec Angelus in sua potest esse nisi unus.

36 Prob. 5. Ex ipso D. Thom. i. p. q. 3. art. 2. ad 3. ubi ait: *Forma quæ non est receptibilis in materia, ex hoc ipso individuatur.* Juxta quam doctrinam in Angelo, qui irreceptibilis est in materia, idem sunt absque distinctione virtuali unitas specifica, & individualis: sumuntur enim ab eadem radice. Quid indè? Sequeretur, quod, si unitas specifica Angelii multiplicaretur numero, etiam sic multiplicaretur unitas numerica (sunt enim idem virtualiter) at quid plus absolum, quam quod unitas numerica multiplicetur, cum ipsa sit ratio ultima, & infinita indivisibilis in alia? Certè, si hoc fieri posset, posset Petrus, v. g. multiplicari in multos Petros: quod quid dictu nequius? Tale ergo erit, si dicamus naturam Angelicam numero posse multiplicari: ergo non est concedendum.

ARGUMENTA.

37 **O**ppositam tuentur sententiam Scotus, & Scotista cum pluribus Jesuitis: & ex nostris Ferrara, & Bañez in præsen-
ti

ti dub. 2. & aliis. Obs. 1. D. Thomam de Spirit. creat. art. 8. ad 4. ibi: *Natura Angelii non prohibetur esse in multis, ex hoc, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo, quod pertinet ad rationem individui: ergo naturae specificae Angelicae ex aliqua ratione multiplicari numero non repugnat.* Exaplico D. Thom. non prohibetur esse in multis secundum rationem speciei pro expresso, conc; pro implicito, nego ant. & conseq. Conceptus speciei ex terminis, seu ex genere suo non explicat posse esse, vel non esse in multis, sed praescindit: Quia tamen species Angelica identificatur virtualiter cum ratione individuali, id ipsum, quod huic convenit, scilicet, non posse multiplicari numero, convenit etiam ipsi ipsa, & pro implicito.

38 Obs. 2. A forma sola potest oriri numerica distinctio, ut patet in animabus separatis, quæ vel sic numericè distinguuntur: ergo sufficit Angelos esse formas substantiales, ut numero multiplicari queant. Dist. ant. à forma sola receptibili in subjecto, conc; irreceptibili, nego ant. & conseq. Quamvis animæ separatae solùm habent rationem formæ, hæc tamen semper respicit corpus, vel materiam, in qua receptibilis est, & hoc sufficit, ut numero distinguantur; at verò Angelicae formæ ejus sunt genii, ut nec sunt, nec fuere, nec esse poterunt unquam receptæ, vel receptibiles in aliqua materia, vel subjecto: ideo nequeunt sic multiplicari. Sed contra, et

39 Obs. 3. Ex his, & con-

Tomo II.

clusione sequitur, quod in Angelis non est distinctio numerica, & consequenter, quod nec sit inter illos individuum aliquod Angelicum, quod est contra D. Thom. sup. laudatum, ponentem in illis rationem individui: ergo non tenet conclusio. Sequela ostenditur: Ideò animæ separatae distinguuntur numero: quia, licet non sint receptæ, sunt tamen receptibiles in materia; sed Angelis nec recipiuntur, nec recipi queant: ergo tenet sequela. Hoc argumentum laborat equivocatione. Non est idem multiplicari numero, ac distinguiri numero: primum verificatur in pluribus individuis ejusdem speciei, ut in animabus separatis relativè ad diversa corpora numero diversa; repugnat verò Angelis ob defectum talis relationis. Ad secundum autem non requiritur multiplicatio, sed sufficit quod hic Angelus, v. g. non sit idem numero cum alio ex defectu identitatis materiae, & in hoc sensu vocamus, & vocat D. Thom. Angelos individua, seu habere rationem individui, quod est propriè esse individua negativè, non verò positivè: quia deest positivum principium individuationis. Ex quo sequitur, quod ipsa ratio specifica cum negatione identitatis materiae est ratio individua, constitensque individuum Angelicum. Sed repli- cabis, et

40 Obs. 4. In Angelis datur principium positivum individuationis: ergo ruit solutio, & conclusio. Ant. prob. ex D. Thom. in 1. dist. 34. q. 1. ibi: *In illis, in quibus aliud est essentia, quam hypostasis, vel*

suppositum (ut in Angelis) oportet, quod sit aliud materiale, per quod natura communis individuetur, & determinetur ad hoc singulare. Et addit: Hypothesis addit supra essentiam, & naturam in creaturis determinationem materie, vel alius, quod loco materie se habet. Jam sic; sed subsistentia aliud positivum est: ergo tenet ant. Dist. hoc ultimum; (per quod patebit & primum) addit determinationem: positivam, nego; negativam, concedo auctoritatem, & dist. subminorem subsistentia est quid positivum secundum primum sui conceptum, conc; secundum ad primum subsequutum, nego min. & conseq. Subsistentia secundum primum conceptum est quid positivum, positivè terminans naturam, habetque rationem actus vel formæ, aut quasi formæ, ideo sub hoc conceptu nequit individuare; habet verò alium conceptum negativum faciendi, scilicet naturam alteri incommunicabilem, & incapacem essendi alteram, & ex hac, tamquam ex radice, sumit vim individuandi saltim negativè, & modo proprio substantiæ spirituali completæ: quia negare aliquam formam esse aliam, est proprium materiæ, & ideo subsistentia, licet non sit materia, loco se habet materiæ.

41 Dices: Solutionem hanc non cohærere cum ea, quam dedimus suprà n. 23. ubi diximus, essentiam habere rationem materiæ, vel quasi materiæ radicativæ generis Angelici, & consequenter individuationis illius: ergo non erit subsistentia. Dist. hoc consequens: non subsistentia formaliter sumpta, transeat;

radicaliter accepta, seu virtualiter in essentia præhabita, nego conseq. Sicut materia prima non utcumque individuat, sed prout præhabet, & connotat quantitatem, quæ ex se individua est, & ideo apta nata, ut materia per respectum ad illam individuet, sic etiam essentiam divinam diximus imitari materiam physicam, non secundum se, sed prout radicat, præhabet, & connotat subsistentiam, quæ ratione suæ incomunicabilitatis apta est, ut ex ipsa habeat essentia undè comodè possit suo modo individuare, hoc est negativè ratione incomunicabilitatis negativæ, quam respicit.

42 Et tamen doctrina hæc (præoccupatur objectio) non extenditur ad essentiam, & subsistentiam divinas, & constituendum divinum individuum, propter disparitatem quam ibidem assignat D. Thom. inter has, & creatas, scilicet, indistinctionem inter divinam essentiam, & ejus subsistentiam, quæ increatis non inventur; & sic ait: *In Deo autem non est natura ejus subsistens* per aliquod, ad quod determinatur, sicut per materiam, sed per se ipsam est subsistens, & ipsum suum esse subsistens est. ¶ Hic poterat instari ex ipso D. Thom. qui i. p. q. 3. art. 3. nec inter essentiam, & subsistentiam Angelicas admittit distinctionem realem, parians in hoc eas cum divinis: quod ipsum repetit 4. contra Gent. c. 55. & alibi: ergo vel doctrina tradita extenditur ad Deum, quod absit, vel non valet pro Angelo. Resp. ex N.N. Comp. abrev. tom. 3. lib. 2. disp. 15. n. 16. Et hic

hic tr. 7. disp. 4. dub. 2. n. 18. Et N. Paul. tr. 16. disp. 4. dub. 2. n. 25. D. Thomam loqui in praedictis locis de subsistentia non formaliter sumpta, sed radicaliter præhabita, qualiter coincidit cum essentia Angelica, & cum nostra solutio ne suprà data. Et quòd ejus sit hæc mens, patet ex his, quæ docet quodlib. 2. q. 4. & 3. p. q. 17. art. 1. ubi solum inter essentiam, & subsistentiam divinas ponit realem identitatem, & consequenter inter Angelicas distinctionem.

43 Solutio hæc fœderatur optimè cum his, quæ docent NN. Compl. abbrev. tom. 1. disp. 5. de genere n. 30. ubi ex D. Thom. opus. 42. c. 4. ajunt, quòd in Angelis genus non sumitur ab essentia, & differentia ab esse, sive existentia: quia essentia distinguitur ab existentia. Ex quo idem sequitur dicendum circa subsistentiam, quæ etiam ab essentia distinguitur. Fœderatur utique: quia in praesenti non asserimus sumi à subsistentia in se, sed ab ipsa in essentia radicata, præhabita, & connotata, & prout sic non distinguitur ab ipsa essentia. Unde tota essentia Angelica est principium (ut ibidem dicitur n. 31.) à quo sumuntur genus, differentia, & individuation, cum hoc tamen discrimine, quòd essentia secundum se, & prout dicit potentiam perfectibilem, radicat genus: prout dicit actum specificum illud perficientem, radicat differentiam: prout demum connotat incomunicabilitatem subsistentiæ est radix individuationis supradictæ. Et quòd subsistentia conduceat ad sic in-

dividuandum, patet ex ejus diffinitione: *Rationalis naturæ individua substantia.*

44 Obs. 5. Unitas specifica, & individualis distinguuntur in Angelo virtualiter: ergo ruit ratio nostra numeri 36. Ant. prob. In natura Divina non distinguuntur hæc duæ unitates: quia est actus purus, & infinita; sed natura Angelica est finita, & potentialis: ergo distinguuntur in illa tales unitates. Resp. neg. ant. cuius probationis maj. dist. non distinguuntur in natura divina, quia est actus purus, & infinita præcessè, nego; ob hoc, & quia irreceptibilis est, conc. maj. & dist. min. natura Angeli est finita, sed & irreceptibilis, conc; receptibilis, nego min. & conseq. Est dicere, quòd, ut aliqua natura sit immultiplicabilis numericè, adunetque sine distinctione unitates specificam, & individualem, sat est, si sit irreceptibilis in alio, licet non sit purus actus, vel infinita sicut Deus.

45 Obs. 6. Natura Angelica habet rationem speciei communis individuis pluribus, si vera sunt, quæ asserunt NN. Compl. abbrev. & N. Gavin. in Logica: ergo signum est posse in illa numericè multiplicari. Dist. ant. natura Angelica imperfectè à nobis concepta ad instar corporeæ naturæ, de qua ibi, conc; perfectè intellecta, de qua in praesenti, nego ant. & conseq. Solutio patet ex terminis, & ex his quæ supponimus ex Logica præscita.

46 Obs. 7. Multiplicari speciem in individua est participari ab illis modo distinctio substanciali: ; quis

ergo neget Deo posse naturam Michaelis majori ornare perfectione substantiali? ergo sic ornata constituet distinctum individuum. Resp. conc. maj. neg. minorem: quia essentiæ rerum sunt substantialiter invariabiles, & cùm aliàs sint indivisibles realiter, & de indivisibili dictum sit: *Aut totum, aut nihil*, hinc est, quòd qualemcumque Deus adderet, vel tolleret perfectionem substantialiem à natura specifica Michaelis, jam esset specificè distincta: quia cum non habeat aliquod esse individuale, quod non sit specificum, quidquid tolleretur, vel adderetur, esset species, & tota species; quia indivisibilis est.

47 Obs. 8. Potest Deus postquam creavit naturā atomam Gabrieли, anhilare, & iterū illam creare; sed in hoc casu, licet specie una, distingueretur numero. Prob. hæc ex his, quæ docent NN. Compl. abrev. tom. 3. lib. 2. disp. 14. n. 52. ubi sat, inquiunt, est diversa connotare tempora, ut subjectum accidentis varietur in esse subjecti, & consequenter ut accidentia sint numero distincta: ergo similiter in nostro casu esset quidem distinctus numero Angelus creatus. Resp. concessa maj. neg. min. cuius probacionis antecedens conc; at nego conseq. & parit: quia in Deo nec actio variaretur, vel reiteraretur in tali casu, nec respiceret, aut connotaret variabile tempus, sed per eamdem ipfissimam actionem connotantem æternitatem immutabilem recrearet, quod semel creatum anhilavit: & cùm aliundè nullum esset

subjectum; vel materia distincta, nec indistincta, in qua talis irreceptibilis reciperetur natura, sicut fit in accidentibus: fit indè, quòd longè abest paritas.

48 Obs. 9. Angelum esse incommunicabilem pluribus, est perfectio, vel imperfectio? Si dicamus quòd perfectio; obviam fit nobis natura divina, quæ communicabilis est sine imperfectione. Si dicamus quòd imperfectio, sequitur, quòd naturæ corporeæ perfectiores sint Angelica: quia carent hac imperfectione. Quid ergo? dicatur esse communicabilem, et si non ut Deus est, ut minus verò ad modum naturæ corporalis, quæ pluribus numero communicatur individuis. Resp. esse utrumque respectivè. Si enim conferatur cum natura creata, est perfectio, quatenus caret limitatione, imbibitque totam speciei perfectiōnem, quin nihil relinquat ab alijs participandum individuis; si verò cum natura Divina conferatur, est imperfectio: quia caret perfectione, qua pollet Deus in se communiendo.

49 Cur verò in natura divina sit perfectio communicari, & in creata sit imperfectio? En tibi rationem: quia, si species creata communicatur pluribus, ex hoc ipso ab illis limitatur, ita ut unum sic, aliud verò sic, nullum verò totam illam participet: undè semper imperfectè habetur: quia numquam quantum participabilis est, participatur. Divina verò natura ita à Patre participatur infinitè, & consequenter perfectissimè, ut nihil ejus sit, quod non

non participetur etiam à Filio : ex quo sequitur æquales esse Personas in natura , & perfectione : quia nihil una , quod altera non participet , participat.

DUBIUM III.

*UTRUM ANGELUS SIT EX NATURA
sua incorruptibilis?*

50 **I**n corruptibile ex natura sua non id vocamus, quod absolute non possit desiccare vel per anihilationem , vel desinendo suum esse in alio. Quis enim dubitet , quin possit Deus Angelum in nihil redigere , sicut illum ex nihilo extumulavit ? Intelligimus ergo id , quod in se non habet principium intrinsecum tendens , vel exigens ejus corruptionem saltim indirecte , ut sit in corporeis substantijs , in quibus materia prima , quæ principium est radicale corruptionis , ut ajunt NN. Comp. abr. in Phys. lib. 1. disp. 3. q. 8. per hoc quod alias inhiat habere formas , appetit indirecte desertionem habitæ , ut potè incompossibilis cum illis , & consequenter corruptionem compositi. De hujusmodi corruptione est præfens quæstum , cui respondet hæc

NOSTRA RESOLUTIO:

51 **D**icendum est , Angelos incorruptibles esse ex natura sua. Prob. 1. ex D. Dion. c. 3. de divin. Nomin. ibi : Intellectuales substantia vitam habent indeſicien- tem , ab universa corruptione , morte , & Tomo II.

materia , & generatione mundi existentes. Prob. 2. ratione ex D. Thom. hanc expreſſe tenente sententiam 1. p. q. 50. art. 5. quem , paucis demptis , omnes Theologi sequuntur: Nihil corruptitur , nisi per hoc , quod ejus forma ab ejus materia separatur ; sed Angelus est forma in se ipſa (non in materia) & per se ipsam (non per aliud corruptibile) subsistens : ergo non potest corrupti.

52 Prob. 2. In tantum substantia corporea est corruptibilis , in quantum ejus materia haud contenta unica forma , alias appetit , quæ cum numquam facient ejus appetitum , sed iste in faciari fistat , appetit unius desitionem , ut alias acquirat ; sed Angelus non habet materiam , nec ullum appetitum , quia per suam formam specificam expletatam desiderabilem perfectionem sue speciei , & manet in faciato esse: ergo non est corruptibilis. ¶ Confirmat hoc D. Thom. ibidem , ubi ait , quod esse rei pensatur ex operatione : quia operatio indicat modum esse ipsum ; species autem , & ratio operationis ex objecto comprehenditur ; objectum autem intelligibile , cum sit supra tempus , est sempiternum : unde omnis substantia spiritualis est incorruptibilis secundum suam naturam : quid clarius?

ARGUMENTA CONTRARIA.

53 **O**ppositam tenent sententiam D. Bonav. Scot. Alen. Vazquez , & alii ; non vero dueti momento , quo illam tenuerunt , vel somniarunt nonnulli Hæretici , qui Angelos diversi sexus , masculi scilicet , & fæminei suppo-

fuerunt, ut per eorum congressum, corruptis aliis, alii de novo producerentur, quibus natura semper esset superstes.

54 Obs. 1. Damasc. à D. Th. hic laudatum, & dicentem de Angelo, quod est *substantia intellectualis, gratia, & non natura immortalitatem suscipiens*: ergo non ex natura sua, sed ex voluntate Dei gratiosa indefectibilis est. Explico Damasc. gratia suscipiens, & simul habens immortalitatem, nego; suscipiens præcisè, conc. ant. & nego conseq. Gratiösè quidem suscepit Angelus de gratiola Dei manu suum esse: at quod esse? esse incorruptibile ex natura: habet ergo esse ex natura sua incorruptibile, quod ex gratia suscepit, haud secus, quam substantia corporea ex natura sua habet esse corruptibile, quod ex gratiola Dei libertate accepit. Sic interpretare Sext. Syn. act. 13. & alios similiter loquentes PP.

55 Obs. 2. Apost. 1. ad Thymoth. 6. ibi: *Solus Deus habet immortalitatem*: ergo non habent illam Angeli. Dist. ant. Solus Deus habet à se, conc; ab alio, nego ant. Alter dist. solus Deus habet immortalitatem absolutè, & per nullam potentiam defectibilem, conc; per aliquam, nego ant. & conseq. Testimonium Apostoli debet intelligi, quo in sensu dicitur Marc. 10. *Nemo bonus, nisi unus Deus*: & ad Rom. 16. *Soli sapienti Deo: honor, & gloria*, hoc est, bonitate, & sapientia aliundè non habita. Vel de immortalitate per nullam etiam divinam potentiam defectibilem, quem non

concedimus Angelis.

56 Obs. 3. Omne, quod ex natura sua fit ex nihilo, ex natura sua vertibile est in nihilum, ut sic finis correspondeat principio; sed Angelus ex natura sua factus est ex nihilo: ergo ex natura sua, &c. Resp. ex D. Thom. 1. p. q. 75. art. 6. ad 2. quod nec creari, nec anihilari competit Angelo per potentiam suam passivam, sed per activam Dei (& sic salvatur responsio finis ad principium.) Non quidem creari: quia Angelus antequam esset, non erat possibilis à se, sed à potentia Dei; nec etiam anihilari: quia in se nullam habet potentiam passivam exigentem hoc, sed solum non repugnantiam, ut per activam Dei experiatur illud.

57 Obs. 4. Solus Deus est ens necessarium: si autem Angeli sint incorruptibles, erunt necessarii sicut Deus, quod absit: ergo & conclusio desit. Dist. maj. Solus Deus est necessarius absolutè, conc; ex suppositione, nego maj. & dist. min. erunt Angeli necessarii absolutè, nego: ex suppositione, subdist. respectivè ad potentiam regularem, conc; ad absolutam Dei, nego min. & conseq. Adhuc ex suppositione, quod sint Angeli, deesse possunt de potentia absoluta Dei; Deus verò nec ex suppositione, neque per ullam potest deficere potentiam: quia absolute est necessarius. En disparitatem.



DUBIUM IV.

UTRUM ANGELUS SIT IN LOCO:
& quomodo?

CONCLUSIO:

58 **A**ngelus est in loco, at non propriè, sed impropriè, & abusivè. Audi D. Th. 1. p. q. 52. art. 1. *Dicendum, quod Angelo convenit esse in loco, aequivoce tamen.* Prima pars constat ex pluribus sacræ pag. locis, ubi Dæmones dicuntur fuisse in corporibus per ipsos obsessis, ut Marc. 3. Luc. 8. & Matth. 12. & Apoc. 12. Neque locus inventus est eorum amplius in Calo. Et ex illa collecta: *Angeli tuū Sancti habitent in ea.*

59 Prob. ratione eadem prima pars: nam esse in loco sit per contactum rei locatæ cum locante, media quantitate mutuò ipsis applicatæ; sed, licet in Angelo non sit quantitas molis, est tamen quantitas virtutis ipsis applicabilis: imò & ipsum suppositum est applicabile: ergo erit in loco. Præmissæ veræ sunt, & seq. prob.: nam non alia ratione dicimus Deum esse in loco, & in omni loco, nisi quia ejus virtus applicatur ipsis: & non solum virtus, sed & ipsem Deus immediatione suppositi intimè in ipsis illabitur: ergo si Angelus sic est applicabilis, sic etiam proportione servata erit in loco.

60 Secunda pars, quam tenent Arist. per D. Thom. expositus ibidem, Boetius, Naz. & D. Aug.

8. super Gent. ad litt. c. 20. ubi de Deo idem afferit, eodem ductus fundamento, prob. ratione: nam per esse propriè in loco intelligimus assentiam rei locatæ extrinsecam, commensuratam, contentamque, vel circumscriptam per locum; hæ autem continentia, commensuratio, seu circumscriptio imperfectiones sunt propriæ corporis locati, & valdè alienæ à natura Angelica, quæ nec partes habet, ut circumscribi, & circumvallari possit, nec extrinsecè opus est assistat: est enim spirituallis, quæ per intima transfundi potest viscera corporis locantis: ergo impropriè, abusivè, & aequivoce confertur Angelus cum corpore quantum ad esse in loco. ¶ Ex quo sequitur alia ratio: nam ad esse in loco requiritur contactus proprius rei locatæ cum locante, & ad contactum, quod ultimum unius cum ultimo contingatur alterius; sed in Angelo nec est primum, nec ultimum, nec medium, sed est simul totus, & indivisibilis: ergo.

ARGUMENTA CONTRARIA.

61 **O**bs. 1. contra primam conclusionis partem: Ut Angelus sit in loco, non sufficit quod contingat illum per quantitatatem virtutis, nisi etiam contingat per quantitatem molis: ergo ruit conclusio. Ant. prob. Corpus Christi est in speciebus sacramentalibus immediate immediatione virtutis, effectivè eas conservando; & tamen non est in illis tamquam in loco: ergo non sufficit &c. Major est certa,

& minor D. Thom. 3. p. q. 76. art. 5. ubi expressè assertit, Corpus Christi non esse in speciebus sicut in loco, vel localiter: quod & tenent N.N. Salm. tom. 11. tr. 23. disp. 6. n. 31. ergo vera est minor. Resp. neg. ant. ad cuius probationem dist. maj. est in speciebus immediatione virtutis adstantis ipsis præcissè, nego; adstantis, & unitæ, conc. maj. & min. & nego conseq. Corpus Christi non utcumque est in speciebus, sed illis unitum, & supplingo unionem substantiæ panis & vini cum ipsis, ideoque consecratio dicitur transubstantiatio: Unde esse in speciebus, non est verè locari, sed uniri ad modum substantiæ præcedentis, cum hoc discrimine, quòd illa uniebatur accidentibus tamquam formis inharentibus, Corpus verò Christi tamquam termino pure continenti. Sic prædicti PP. laud.

62 Obs. 2. Angelus, quamvis producat aliquid in tempore, non dicitur esse in tempore: mensuratur enim per ævum: ergo non ideo dicendum est, esse in loco, quia in illo aliquid producat. Dist. ant. non dicitur esse in tempore propriè, conc; abusivè, & æquivocè, nego ant. & conseq. Non recognoscimus inconveniens in eo quòd Angelus sit non univocè, sed æquivocè cum substantia corporea in tempore. Ratio est: quia de Angelis dicitur in Scriptura Sacra aliqua fecisse, vel loquutos fuisse in aliquo tempore, ut Dan. 9. 21. de Gabriele, quòd tetigit illum in tempore sacrificii respertini. Et de ipso, Luc. 1. 11. quod hora incensi apparuit autem illi (id est Zacha-

riæ) Angelus Dñi. stans à dextris altaris incensii. Et v. 26. In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo &c. Sed hæc nequeunt intelligi de esse, loqui, vel apparere in tempore propriè, & commensurativè ad illud: ergo saltim abusivè, & æquivocè.

DUBIUM V.

QUÆNAM SIT ANGELO RATIO FORMALIS EXISTENDI IN LOCO?

63 **S**upponimus, rationem formalis malem, per quam Angelus in loco collocatur connaturaliter, esse quantitatem virtutis: & consequenter modum essendi in illo esse media operatione, eo proportionali modo, quo de Deo tr. 1. disp. 4. n. 7. Philosophati sumus. Ibi vide. Unde tota devolvitur discussienda difficultas circa modum, vel rationem formalem essendi in loco violento; per quem intelligimus in præsenti illum, in quo Angelus est coactus, & à superiore contentus efficacia contra ejus inclinationem, ita ut locus, licet humili, & abjectus, contineat, humiliet, subjiciatque sibi Angelum locatum, licet hic sit superexcelsæ dignitatis, ne alibi extra illum sit, vel operetur: atque id genus est locus, qui Dæmones tenet in inferno ipsos oppressus, & ligans, ne sua perpers, & assidua cogitatio ab illo, licet tetro, & folido solo, umquam abstractatur; cuius contrarium sit in loco connaturali, qui non subjicit Angelum, sed quinimodo Angelus subjicit

et sibi illum, ut quidquid voluerit, operetur in eo. Quo præintellecto, sit

NOSTRA CONCLUSIO.

64 **R**atio proxima, & in actu primo, per quam Angelus est in loco violento, est potentia ejus passiva; in actu vero secundo actualis, & exercita passio, atque cruciatio. Prob. 1. ex Sacra pagina: nam in Epist. Canon. Iudæ dicitur: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum :: vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Et 2. Petri 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni deraictos in tartarum tradidit cruciandos. Et Apoc. 20. Apprehendit Draconem :: & ligavit eum &c. Quibus adde SS. Patrum testimonia, & præcipue D. Thom. qui pluribus in locis hanc attestatur ligationem. Sit unus pro omnibus 4. contra Gent. c. 90. ubi ait: *Substantie incorporeæ patiuntur ab igne corporeo per modum cuiusdam alligationis.* Nunc sic; sed, si Angelus esset in loco violento per potentiam activam, vel operationem, non alligaretur, nec subjiceretur illi, sed quin potius locus subjiceretur Angelo, tamquam passum suo agenti: ergo signum est esse per passionem.

65 Prob. 2. ratione: Id est Angelo ratio essendi in loco violento in actu primo, & secundo, per quod potest proxime, & defactò tangit illum; sed hoc non est ejus potentia activa, & operatio: ergo passiva, & passio. Minor prob: Angelus in loco violento patitur, liga-

tur, & impeditur, ne qua velit libertate possit operari: ergo non hoc operari, sed pati ab hac oppressione est ratio contingendi locum illum.

66 Dices 1. Certum est, quod Dæmones perpetuam, assiduamque habent cogitationem affixam illi tetro, & tetrico tormentorum loco: ergo operantur. Quare ergo haec operatio, licet violenta, non erit ratio essendi illic? Resp. quia illic non operantur operatione transiente producendo aliquid, nec subdendo sibi locum, qui modus est naturalis, quo substantia incorporea est in loco, sed potius mera, amaraque speculatione, hacque violenter elicita, & illuc applicata, media qua, longè à subjiciendo sibi locum, hic illos subjicit, & ligat. Unde sicut ratio essendi in loco naturali est operatio connaturaliter elicita, ita ratio essendi in loco violento est operatio violenta, non in quantum operatio, sed in quantum violenta: sub qua ratione non tam est actio, quam passio, ut inquit Cajet. in præart. 7.

67 Dices 2. Dæmones quandiu sunt apud nos in terra, vel in aere patiuntur ab igne Inferni; & tamen non sunt in illo sicut in loco: ergo passio non est ratio essendi in eo. Resp. dist. cons. passio concretivè ad propinquitatem cum loco est ratio essendi in illo, conc; abstractivè ab illa, nego cons. Non sufficit, Angelum pati, ut dicatur & locari in violento loco: nam ad pati sufficit, quod ignis Inferni ex illa longinqua regione, divina elevatus

tus virtute, operetur in passum adeo distans, illum cōgens, ut numquam à prædicta violenta meditatione ipsius sejungatur; ad locari verò ultrà requiritur applicatio, & approximatio Angeli locati ad locum distantem. Undè tunc Angelus pateretur ab igne Inferni; locaretur verò ubi, divisa permitente voluntate, aliquod malum operaretur.

DUBIUM VI.

**UTRUM ANGELUS POSSIT ESSE IN
puncto velut in loco?**

68 **S**upponendum est, Angelum posse esse in loco divisibili. Sic D. Thom. i. p. q. 52. art. 2. in C. ibi: *Quidam crediderunt, quod Angelus non posset esse, nisi in loco punctuali; sed manifeste decepti sunt.* Et Paulo infrā: *Unde non est necesse, quod determinetur ei unus locus indivisibilis secundum situm: sed vel divisibilis, vel indivisibilis, major, vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus maius, vel minus.* Et sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus. Prosequitur D. Thom. docens, non ex inde sequi Angelum esse in toto Cœlo, quod movet: quia solum applicatur ejus virtus uni parti, puta Orientali, qua mota, omnes circumaguntur uniformiter. Et concludit assignando diversitatem essendi in loco inter Deum, Angelum, & corpus, ita ut hoc sit circumscriptionē commensuratum cum illo; Angelus diffinitivē, quatenus sic est in uno, ut non sit in alio loco;

Deus verò indiffinitè, quia est ubiquè. Quibus potest & aliis modis superaddi, ille nempè, quo Corpus Christi in Eucharistia collocatur, scilicet, sacramentaliter, pro quo vide intelligendo suprà n. 61.

69 Nec obstat, quod Angelus sit indivisibilis formaliter: est enim divisibilis virtualiter, & eminenter per operationem, quam potest distribuere divisibiliter saltim terminativē, ut sit in Deo respectu omnis loci, & in anima respectu corporis. Quod ultrà parificatur in Sole, qui calidus non est formaliter, sed solummodo virtualiter; & tamen producit calorem formalem: & ipse Angelus producit corpora, cum corporeus formaliter non sit, sed solummodo virtualiter.

70 Denique docet D. Thom. ibidem, Angelum non esse, nec posse, ubiquè. Et ratio est: Tum, quia Angelus est in loco ratione operationis suæ; sed, quia hæc est finita, nequit extendi ad omnia operabilia: ergo nec ad omnia occupanda loca excogitabilia. Tum, quia Deus est ubiquè: quia est immensus; sed Angelus non est talis: ergo. ¶ Sed obs. Angelus potest operari in toto Orbe: ergo & esse ubiquè. Resp. negando ant. cum Bañ. & aliis à N.N. Salm. hic laud. quia sic Deus hunc condidit mundum, ut non totus unicæ subderetur creaturae, nec in ratione producti, nec in ratione locati, juxta illud Jerem. 23. *Nunquid non Cælum, & terram ego impleo?* Undè tenendum est Angelos suam virtutem locatricem ita restric tam habere, ut non ubiquè Cœ-

lorum, terrarumque loca omnia
implere possint, sed partem illo-
rum proportionatam virtuti opera-
trici in illis.

ASSERTIO NOSTRA.

71 **D**icendum est, Angelum posse in unico punto collocari tamquam in loco. Ita expressè, D. Thom. suprà n. 68. re-latus: ubi deceptionem vocat sententiam negantium, posse Angelum esse in loco punctuali. Et prob. ratione: quia Angelus est in loco per suam operationem: ergo sicut potest operari in loco divisibili, & sic in illo collocari: poterit etiam in indivisi-bili, sive punctuali collocari: quia potest in illo unicè operari. Sed quid mirum, quòd possit in punto so-lo collocari, qui potest nullibi locorum esse, si ab omni loco substra-heret exercitium operandi? Quòd verò possit, constat ex D. Thom. in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. ad 4. ibi: *Hoc non reputo inconveniens, quid Angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet.* Nec est inconveniens, ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur: ergo si nullibi, quia nullibi ope-ratur, potest esse: in punto quia operatur, locari poterit.

OBJICIUNTUR MOMENTA OPINIO-nis adverse.

72 **O**bs. 1. pro Subt. Doct. quem Scotistæ plures, & alii Sententiaz oppositæ referunt Patronum. Sequitur ex conclusione,

quòd Angelus possit collocare in minori, & minori loco in infinitum (est enim infinitus processus partium minorum, & minorum à loco sibi adæquato usque ad punc-tum) ergo erit virtutis infinitæ ad-impletivæ loci: sicut, si potentia vi-siva posset minus, & minus usque in infinitum visibile attingere, ar-gueretur esse virtutis infinitæ; atqui hoc præter rationem it bona Philosophia: ergo non est admitten-dum. Resp. ex hoc argumento sequi, portiorem unius uncia ponderis esse virtutis infinitæ: quia sub ea est mi-nus, & minus ponderis in infinitum, usque ad punctum: quod ridiculum quis neget? Deindè dicimus, quid minus, & minus non exigit majorem, & majorem vir-tutem operatricem, nisi quandò mi-nus, & minus recedunt magis, & magis ab illa mensura, quæ con-stituit objectum proportionatum po-tentiæ illud attingenti, ut contin-git in visu, qui respicit determi-natam visibilem quantitatem: & hanc naturaliter, & sine libertate sic, vel sic eam videndi, semel ac ipsi subjiciatur. In Angelo verò, qui li-berè implet locum, prout vult in ipso operari, quique circa parvita-tem mensuram non recognoscit im-pletivam, nil addit virtutis im-plere minorem, & minorem locum usque ad punctum. Econtra fieret, si processus de magis transcenderet ad magis.

73 Obs. 2. Sequitur ex con-clusione, quid Angelus possit esse simul in Cœlo, & in terra, con-tra Dam. lib. 2. c. 3. relatū à D. Th.

Thom. 1. p. q. 52. art. 2. dicentemque, quod Angelus, dum sunt in Cælo, non sunt in terra: Et contra Greg. Magn. 1. Mor. c. 2. id ipsum afferentem: ergo non tenet assertio. Sequela ostenditur: & fingamus quadrarium palmum locum esse adæquatum Angelis: hic palmus habet versus latitudinem infinitas lineas, ex quibus potest una unica fieri, atque ita protendi in longitudine, ut Cœlum attingat, simul & terram, quo in casu non erit ille locus, sc in longitudine distentus major, quam erat ante in quadratura constrictus: quia diversa figura non auget, nec minuit quantitatem: ergo, si ante non præteribat sui loci mensuram, nec postea; ergo poterit totam illam lineam occupare, & consequenter in Cœlo, & in terra simul collocari: Resp. negando sequelam, quam non probat argumentum: quia locus adæquatus Angelis non solum limitatur quantum ad implendum palmum quadratum, vel rotundum v. g. sed etiam quantum ad longitudinem, ne fines tantæ, vel tantæ distantia longitudinem versus ab Auctore naturæ assignatos transilire queat.

DUBIUM VII.

*UTRUM UNUS ANGELUS POSSIT ESSE
in pluribus locis: Et plures Angelis
in uno?*

74 **S**upponas 1. Angelum posse collectari simul in pluribus locis inadæquatis, & indistantibus: potest enim solum opera-

ri in duabus partibus extremis, quin operetur in medio. Secundò, non posse naturaliter esse simul in duabus locis adæquatis: Tum, quia aliæ quilibet esset, & non esset adæquatus: Tum, quia nulla potentia extra spheram potest agere suæ activitatis, vel objecti adæquati. ¶ Difficultas est, an possit Angelus esse in duabus locis inadæquatis, inter se distantibus, quin sit in medio? Cui respondet

PRIMA ASSERTIO

75 **A**ffirmative. Hanc tenuit sententiam communiter Thomistæ quibus adhærent nonnulli Scotistæ, & Jesuitæ contra Joan. à S. Thom. Vazquez, & alios; nobis verò fayet D. Thom. 1. p. q. 53. art. 2. ubi afferit, Angelum posse transire motu discreto de extremo ad extremum, quin transeat per medium: Et quare? quia potest operari in primo, & suspensa operatione circa medium, operari in secundo: ergo similiter poterit simul esse in duobus locis inter se dissitis, (dummodo tamen ipsa loca, & distantia inter ea sphæram non exceedant Angelicæ activitatis repletivæ loci) si operans in uno extremo, retrahat operationem à medio, & illam in aliud dirigat extremum. Sed

76 Obs. 1. Angelus nequit esse in locis pluribus, ut pluribus, ut tenet D. Thom. 1. p. q. 52. art. 2. Et in 1. dist. 37. q. 3. art. 2. Sed hoc verificaretur, si in pluribus esset simul, & distantibus: non enim unio

unio illos adunaret, sed disjunctio illos multiplicaret: ergo ruit concl. Resp. conc. maj. neg. min. quia plura loca inadæquata, contentaque intra ambitum loci adæquati Angelii, non plura ut plura, sed plura ut unum, vel in unum ordinata computantur. Nec favet exemplum corporis, quod sicut continuum in se, petit etiam locum continuatum. Angelus vero, licet continuo operetur, non semper dirigit operationem ad loca continuata, sed sàpè ad disjuncta, quæ materialiter sunt plura; erunt tamen formaliter unum, si Angelus illa repleat in unum finem ordinata, vel ut unum locum partialiem saltim constituentia.

77 Obs. 2. Deus nequit esse in locis dissitis, quin medium impleat: Idem intellige de anima, quæ nequit partes extremas corporis sine mediis informare: ergo nec Angelus, &c. Resp. 1. neg. ant. quadam primam partem: quia, si Deus anhilaret spatum medium inter duo loca dissita, verificaretur contrarium. Resp. 2. concessio ant. neg. conseq. & paritatem: quia, cum Deus sit causa universalis omnium, in quibus per intimum intromittitur illapsum, illa debet tangere immediatione virtutis, & suppositi, ut verificetur in illis esse per essentiam, præsentiam, & potentiam, quæ ratio non militat pro Angelis. Exemplum animæ non quadrat: est enim forma corporis, quæ unitur illi naturaliter, & sine libertate essendi hic vel illic: nec hoc fit per operationem, immo nec per propriam locationem, sed per veram, &

naturalem unionem.

78 Obs. 3. Si Angelus esset in locis dissitis, haberet diversas præsentias, quæ, si producant effectus numero distinctos, erunt & ipsæ duo accidentia numero distincta in eodem subiecto, quod repugnat; si verò producant diversos specie effectus, v. g. in uno loco lumen, in alio motum, jam erunt loca plura ut plura, quod non admittere possumus: ergo nec id, quod asserit conclusio. Resp. Angelum in casu conclusionis nec habere diversas præsentias, nec diversas operationes, nec diversos effectus formaliter, nisi ad summum materialiter. Et est ratio; quia operatio, quæ est ratio essendi in loco, una & eadem cum sit, per quamdam extensionem sui ipsius attingit utrumque extreum sive ab initio, sive postquam primum solitariè implevit: & consequenter eadem præsentia, quæ ductum sequitur operationis, penes majorem, vel minorem sui extensionem Angelum præsentat utriusque, vel alteri locorum. Hec autem loca, licet materialiter sint diversa, vel ratione sui, vel ratione diversorum specie, qui producuntur, effectuum, formaliter unum tantum sunt, prout ordinata vel in unum finem per Angelum intentum, vel in unum adæquatum locum constituendum. ¶ Ex quo sequitur (tacita præoccupatur objectio) quod nec propriè potest dici moveri Angelum, dum sistens in loco A, extenditur ad locum B: quia ad motum propriè talem opus est, unus deseratur, ut alter locus acquiratur, quod non fit

fit in casu conclusionis.

ASSERTIO II.

79 **I**mplicat contradictionem duos Angelos esse in eodem loco, unum & eundem numerum effectum producentes, ut causas totales, & principales. Sic D. Th. 1. p. q. 52. art. 3. Et in 1. dist. 37. q. 3. art. 3. Quoad primam partem constat ex his, quae supponimus discussa in Physica, ubi duplice causam totalem, & particularem, sive ejusdem ordinis ad eundem numero effectum producendum non posse concurrere demonstravimus. Secunda pars quoad esse principales non excludit, immo permittit, quod duo Angeli possint, ut instrumenta Dei, concurrere ad eundem numero effectum, quo in casu in uno loco uterque locaretur. Addit conclusio: *eundem numero effectum*: nam, si duo Angeli producant diversos effectus in eodem subjecto compatibilis, non inficias ibimus posse utrumque in eodem loco collocari: quia, cum hoc fiat media operatione, quae compati potest cum alia, & aliis circa idem subjectum, ut & in agentibus experimur corporeis, non est ratio quare, sicut operatio, non etiam simultanea plurium verificetur collocatio. ¶ In hoc autem casu locus ille solum esset materialiter entitativè idem, formaliter enim esset multiplex juxta diversam formaliter operationem, & consequenter juxta distinctam rationem formalem impletivam loci. Sed

80 Dices: Ergo, si idem nume-

ro Angelus produceret successivè diversos specificè effectus in eodem loco materiali, esset successivè in duobus locis formaliter diversis ob diversas formaliter operationes, quod tamen dissonum rationi videtur: ergo & quod duo Angeli per diversas operationes circa idem objectum constituerent in illo diversa loca formaliter. Resp. dist. ant. Esset successivè in diversis locis formaliter, si operationes diversæ rationis essent ordinatae ad unum, nego; si essent disparatae, transeat ant. & nego conseq. Non utcumque diversæ operationes inferunt diversa loca formaliter, sed in quantum inordinatè diriguntur ad implendum locum: & sic se haberent operationes duorum Angelorum, quorum quilibet sine ordine, nec dependentia ab alio operaretur. Unus autem potest successivè procedere utroque modo, vel ordinando in unum operationes, & sic erit unus locus, vel disparatè, & sine ordine illas elicendo, & sic erunt duo loca.

DUBIUM VIII.

VTRUM ANGELUS POSSIT MOVERI
motu continuo, & discreto: Et in
quo uterque motus consistat?

81 **A**ngelos moveri localiter nulli dubium est, maximè fideli, qui credit ex Gen. 28. Angelos ascendentis fuisse, & descendentes: idque ipsum legit plurimis in locis sacris, ubi motus eorum expressè referuntur. Sed qui dmirum, si & animæ separatae ho-

con-

convenire opus est, credamus, qui ex fide scimus animam Christi descendisse ad inferos? Durandus estò admittat motum Angelicum, non verò esse propriè talem, sed quoad aliquem effectum. Et quidem comparativè ad motum corporum, concedemus ipsi hunc Angelorum æquivocè solùm posse dici locum, ut tenet D. Thom. expressè i. p. q. 53. art. 1. Et id ipsum tradit in i. dist. 37. q. 4. art. 1. non verò quòd motus non sit verus in sua linea Angelica.

82 Objicit 1. Durand. D. Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. c. 20. ubi ait, quòd spiritualis creatura solùm per tempora mutatur; corporalis verò per tempora, & loca: ergo Angelus, qui spiritualis est, non moveatur localiter. Sed resp. solùm intendere, quòd spiritualis creatura non moveatur de loco ad locum cum commensuratione ad illa, non verò absolute, & suo modo.

83 Objicit 2. quod motus est actus entis in potentia, prout in potentia; Angelus verò solùm moveri potest per actus intellectus, & voluntatis, qui sunt actus non potentiales, sed perfecti: ergo non adaptatur motus Angelis localis. Dist. ant. Est actus entis in potentia motus corporalis, conc; spiritualis, nego ant. Motus Angelicus consistit in operatione: hæc autem, cùm sit perfecta, non relinquit Angelum in potentia, sed in actu, qui non eget ubi distincto ut termino, sed ipsa operatio est simul, & virtualiter motus, & terminus, fieri, & factum esse Angeli moventis se, & moti.

84 Motum Angelicum, præsciendum est, consistere juxta D. Th. i. p. q. 53. art. 1. in diversis operationibus sive intermissa quiete, seu indesinenter sibi succendentibus, diversaque loca percurrentibus. Sed dices, Angelus movet primum Cœlum successivè, & sine intermissione, tangens, & agens in diversas partes; & tamen ipse immotus est ab uno loco: ergo non tenet hæc præmissa assertio. Dist. maj. agens in diversas formaliter partes, nego; materialiter distinctas præcisè, conc. maj. & min. & nego conseq. Partes Cœli moti in ratione loci omnes sunt idem locus propter æqualem distantiam ad polos mundi, & centrum terræ: Undè, licet materialiter, & entitativè distinguantur, non possunt refundere in operationem, seu motionem Angelicam pluralitatem sufficientem, ut dicatur motus localis. His præmissis, statuitur

NOSTRA CONCLUSIO.

85 **A**ngelus movetur localiter tum continuo, tum motu discreto. Ita expressè D. Thom. i. p. q. 53. art. 1. quem quantum ad motum continuum sequuntur D. Bonav. Scot. Suar. Vazq. & horum socii. Probatio utriusque asserti membra ex declaratione pendet distinctionis inter utrumque motum, quam brevi, & sincerè offerimus, plures mittentes tam circa ejus expositionem reflexiones, quam contra utrumque membrum objectiones, vel potius cavillationes: quæ, si

si tractatus consulamus phisicos de loco, tempore, & motu, interminabiles se offerent, ita ut multum capere volentes, nullum inter nebula objicibilia nugamenta, præterquam pupillam mentis quasare, nauseamque studentibus præbere, quæstum reportabimus.

86 Est ergo motus continuus Angelicus nihil aliud, quam plures (vel una virtualiter multiplex) operations, sive quiete aliquod divisibile spatium per partes transcurrentes. Quod si totus locus instantiæ relinquitur, & sine ulla intermissione alias acquiratur totaliter, hunc motum Angelicum discretum vocamus: distinguiturque à continuo in eo, quod hic non relinquit totum locum simul, sed per partes, ita ut simul sit partim in termino à quo, & partim in ad quem; discretus verò haud sic, sed ut in instanti A est totus in termino à quo, & totus in instanti B in termino ad quem, ita ut neutrum per partes acquirat, vel relinquat locum, sed ambo in suo respectivè instanti.

87 Prob. jam conclusio quoad primam partem: Angelus potest esse in loco divisibili, & ibi per operationem voluntariam. Quis ergo eum prohibeat, ne, cum sit in spatio palmari cum alio palmari continuato, hunc paulatim, seu per partes occupet, relinquens tantundem de primo palmo, quantum de secundo acquirit successivè? Operatio enim, per quam movetur, libera est: ergo poterit, si libuerit, retrahere se ab operando in primo, & exercere se in secundo: & simi-

liter poterit se retrahere à partibus primi, & exercere se in partibus secundi; sed aliàs potest has operationes operari sine intermissione: ergo, cùm in hoc consistat motus continuus, sequitur assertum nostrum esse verum. ¶ Et en tibi secundam conclusionis partem jam probatam. Cùm enim sit Angelus àquè liber in relinquendo partem unius, & partem alterius assumendo, quam in relinquendo totum unum in instanti, & totum aliud immediatè in instanti assumendo, in quo consistit motus discretus, differtè sequitur exercitium hujus ex alterius exercitio jam probato. Ceterum difficultas hujus dubii non tam est in probando assertionem, quam in solvendo.

ARGUMENTA.

88 **O** Bf. i. contra primam partem: Ad motum continuum requiruntur partes ex parte ipsius motus localis, sicut illas habet locus per quem transit; sed Angelus, ejusque operatio indivisibilis est: ergo nequit moveri continuo. Dist. maj. requiruntur partes formales, nego; virtuales, conc. maj. & dist. min. Angelus est indivisibilis formaliter, conc; virtualiter, nego min. & conseq. Sicut Angelus, non obstante quod est formaliter indivisibilis, collocatur in loco divisibili: quia habet virtutem operandi in pluribus partibus, sic etiam propter eamdem rationem est mobilis divisibiliter, virtualiter quidem ex parte sui, & formaliter ex parte partium, quas transcurrit.

Obs.

89 Obs. 2. Si Angelus moveatur continuè, vel esset per unam, vel per plures operationes; neutrum dici potest: ergo nec quòd sic continuè moveatur. Minor quoad primam partem suadetur, scilicet, quòd non unica operatione: quia motus continuus explicatur per diversas continuatas operationes, sive contactus, & per correspondentiam ad tempus continuum, quod insumitur in transcurso: ergo tenet minor quoad primam partem. Quoad secundam nunc ostenditur: quia plures operationes nequeunt constituerre unum continuatum motum, nisi medio aliquo termino communi, in quo se se uniant; sed hic non est assignabilis in Angelo, qui tamen in esse, quam in operari unumquid indivisibile est: ergo non movetur per diversas operationes.

90 Resp. admittendo dilemma quoad utramque partem, & quòd motus continuus Angelicus fieri potest per unam, vel per plures operationes. Per unam quidem: quia una cum sit formaliter, si continuetur operans in pluribus, quas transcurrit partibus, erit multiplex virtualiter, quatenus operatur in pluribus, vel plures in pluribus partibus producit effectus; & hinc oritur, quòd, licet unica sit, possit tamen correspondere temporis nostro successivo, ita ut tota divisibilitas formalis sit in loco, & tempore, in quibus Angelus movetur, quin ex parte hujus opus sit alia, quam divisibilitate virtuali: per quod patet ad primam. Quantum ad secundam, dicimus, quòd, licet ad mo-

tum rei corporeæ per corporeum locum opus sit totidem partibus motus, quot constat locus, unitis etiam aliquo termino communi, eò quòd locatum commensuratur, & circumscribitur à loco; at in motu Angelico hoc opus non est: quia solum æquivocè comparatur ad corporeum: sufficit ergo ad Angelicum, quòd immediatè ad unam amissam, sequatur sine quiete alia admissa pars ex parte loci. Et hoc adhuc dato, quòd tales operationes essent specificè distinctæ in esse rei: quia in ratione contactuum omnes adunarentur formaliter, ut unum formaliter constituerent motum.

91 Obs. 3. Motum continuum per hoc distinguimus à discreto, quòd hic instantaneè, & non per partes deserit totalem unum locum, ut alium totalem in instanti acquirat; motus vero continuum deserit per partes locum à quo, & itidem per partes occupat locum ad quem. Ponamus ergo, quòd Angelus locetur in puncto indivisibili, à quo nequit moveri per partes: potest verò continuatè acquirere per partes alium locum. En tibi motum continuum Angelicum, quia sine quiete sit: & tamen locus à quo per partes non relinquitur: ergo falsa nititur explicatione discretio nostra inter utrumque motum supra data: & consequenter nostra assertio, quæ motum continuum admittit in Angelo ob continuationem sine quiete operationum. Resp. quòd in hoc casu duplex daretur motus, alias discretus, ille scilicet, quo transiret Angelus à puncto derelicto ad

primum, quod occuparet in sequenti loco, in quo, si prosequeretur se movens per partes, jam esset alius motus, scilicet continuus. Sed contra, et

92 Obs. 4. contra secundam conclusionis partem admitentem motum in Angelo discretum: Non est motus ille discretus, qui sine ulla intermissione continuatur; sed in praedicto, & in omni casu, in quo relinquit locum totalem in instanti, & aliud totale immediatè, & indesinenter acquirit, sine intermissione continuatur operatio: ergo non erit in Angelo motus discretus à nobis explicatus. Resp. quod nos hic loquimur de motu Angelico per comparationem ad corporeum: Et cum ad hunc, ut sit continuus, requiratur, quod per partes deseratur locus à quo, & per partes acquiratur locus ad quem: Et in motu Angelico sèpè his modis desit acquirendi, & deserendi per partes, ut probatum est in casu dicto, vocamus motum discretum hunc se movendi modum, non quia cesset à se movendo Angelus, sed quia non imitatur, in relinquendo terminum à quo, modum motus corpori continui, ad cuius instar, licet àequivocè, Angelicum concipimus motum continuum.

93 Obs. 5. Angelus non movetur motu discreto, dum adhuc est in termino à quo, nec etiam dum jam est in termino ad quem, ut est evidens; alias nec in aliqua via intermedia, quam supponimus non esse: ergo non datur in Angelo talis motus. Dist. maj. non est in ter-

minis à quo, nec ad quem sumptis secundum se, conc. maj; sumptis relativè ad alterutrum. nego maj. conc. min. & nego conseq. In terminis à quo, & ad quem consideratis in esse quieto, & sine respectu ad se, non movetur Angelus juxta D. Thom. in 1. dist. 37. q. 4. art. 1. ad 3. ubi loquens de motu discreto Angelii sic ait: *Nec in A movetur, nec in B movetur, licet A & B sint partes ejus.* Movetur verò in illis sumptis in esse in quieto, hoc est uno in relinquere, alio in adquirere; vel ut inquit Cajet. hic art. 3. in uno, ut tendente potentialiter ad aliud, ut terminantem actualiter: & sub hoc mutuo respectu cum successione immediata unius post alterum sunt praedicti termini locus, in quo Angelus movetur discretè, ut discretè dixit D. Thom. nuper cit. Successio horum, quod est esse in A, (id est termino à quo) & esse in B (id est in termino ad quem) motus ejus vocatur.

94 Obs. 6. Motus discretus Angelicus datur, si hic in instanti A indivisibilis sit in toto termino à quo, & in instanti B immediatè sequenti, & indivisibili sit in termino ad quem, hoc est sine transcurso paulatino, sive per partes loci, nec temporis; sed hoc repugnat. Probatur hæc: quia ad instans A, in quo est in termino à quo, non sequitur aliud instans, sed pars temporis: ergo in termino ad quem non ponitur in instanti: ergo consumit aliquod tempus: ergo non acquirit illum simul, sed per partes: ergo continuè: ergo non discretè: ergo numquam sic movetur Angelus.

Resp.

95 Resp. concessa maj. negando min. cuius probationis antecedens dist. Ad instans temporale non sequitur instans, conc; ad instans Angelicum, nego ant. & conseq. Explicatur: Nec esse Angelicum, nec ejus operatio, nec ejus ævum componitur ex partibus: omnia enim hæc indivisibilia sunt; talia verò, ut, licet indivisibilia, æquivalenter, & virtualiter sint divisibilia: æquivalent enim rebus divisibilibus corporeis, & temporalibus. Unde post instans Angelicum, in quo occupat locum à quo, non sequitur pars ævi sui (nam habere partes rebus solùm convenit corporeis) sed aliud instans Angelicum, quod, licet sit indivisible, æquivalet virtualiter parti temporis nostri. Et dicitur aliud instans, non quia ævum Angelicum constet ex multis instantibus Angelicis: hoc enim jam esset habere partes, sed quia ejus ævum, quod indivisible est, connotans nunc locum à quo, & instans nostri temporis, in quo erat in illo, dicitur unum Angelicum instans; connotans verò locum ad quem, & partem nostri temporis, in quo illum acquirit, dicitur aliud instans.

DUBIUM IX.

*UTRUM ANGELUS POSSIT TRANSIRE
de extremo ad extremum, quin
transeat per medium?*

96 **M**edium est duplex, aliud dicitur aliquotum seu determinatum, non participans, seu non communicans, ut si inter duos palmos extremos assignemus, seu de-

terminemus alium palmum medium; qui, quia nihil de illis participat, dicitur non participans, nec communicans. Aliud est medium indeterminatum, alio nomine proportionale, alio communicans, seu participans, ut si in duobus palmis continuatis ponamus palmum participantem medium palmum de quolibet extremo, qua de causa medium dicitur participans. Discernuntur hæc duo media per hoc, quod, cum medium communicans sit pars, & pars utriusque extremi, & hæc partes sint proportionales seu indeterminatae, solùm dicitur medium in potentia, usque dum effectivè assignetur, vel separetur ab illis: Quia verò medium non communicans jam est determinatum, separatumque saltim signanter ab extremis, dicitur tale actu. Ex quo sequitur aliud discrimen, quod, scilicet, medium communicans est infinitum in potentia: quia qualicumque assignato, potest in alia, & alia usque in infinitum dividi media. Econtra medium determinatum, v. g. palmus, nequit in alios dividiri palmos. Et licet pro medio communicante posuimus palmum, hoc ad explicationem faciliorē usi sumus nomine: quia revera, nec est palmus, nec aliquid actu determinatum, sed in potentia, ut, si dividatur, sit palmus, vel aliquod determinatum spatium.

97 Tres sunt circa præsentem difficultatem sententiae, duæ extremae, altera media. Hæc affirmat, & negat, cum distinctione, quod, si medium est communicans, potest quidem Angelus transire præter illud

de extremo ad extremum ; si verò non participans , non potest nisi per illud transire. Sic Scot. in 2. dist. 2. quæst. 12. cum omnibus suis assertiis. Prima ex sententiis extremis absolutè negat talem transitum : Hanc tenent D. Bonav. Suar. & communiter PP. Societatis. Secunda absolutè affirmat , defenditque illum ex D. Thom. 1. p. q. 53. art. 2. Cajet. ibi , & pañsim Thomistæ : quibus adhærent Vazq. & aliqui ex consociis. ¶ Omnes tamen intelligunt titulum dubii de motu Angelico discreto : nam , si continuus est , & successivus , ex se jam patet , quòd transilire nequit Angelus , relinquendo medium aliquid impertransitum. His præscitis , sit

NOSTRA CONCLUSIO:

98 **D**icendum est , Angelum posse transfire de extremo ad extremum , quin transeat per medium , sive hoc sit , sive non sit participans de extremis. Sic expressè D. Thom. 1. p. q. 53. art. 2. ibi : *Hoc autem , scilicet , moveri de extremo ad extremum , & non per medium , potest convenire Angelo.* Et in 1. dist. 37. q. 4. art. 2. ibi : *Dico enim , quòd Angelus potest transfire de loco in locum , ita quòd transeat omnia media : & potest esse , quòd transeat de loco ad locum , si- ne hoc , quòd sit in aliquo mediorum.*

99 Prob. 1. ratione : Angelus est in loco per operationem liberè applicatam illi : ergo potest huic , vel illi , & similiter huic , & non illi illam applicare , & consequenter moveri de loco in locum sine medio.

Prob. consequentia : Tum , quia potest substrahere se ab omni loco , & esse nullibi : ergo poterit etiam substrahere se à medio , & non ab extremis. Tum , quia ideo corpus non potest sic moveri , quia commensuratur cum loco , & ad hunc præ alio locum definitur & ligatur ; sed Angelus non sic ligatur , nec subditur à loco , sed potius ipsum ipse subdit , respiciens illum , ut passum , in quo operatur : ergo potest moveri inter extrema præter medium. Major est certa , minor expressa D. Thom. laud. in 1. dist. 37. q. 4. art. 2. et consequentia tenet. ¶ Parificatur hoc exemplo Corporis Christi , quod , quia in speciebus est Eucharistiæ elevato modo , & non ligato ad eas , potest esse in extremis , quin sit in medio : ergo idem de Angelo propter similem elevationem , & independentiam à loco dicendum erit.

100 Prob. 2. Motus localis Angelicus consistit in intelligere , & velle , quæ sunt operationes formaliter immanentes , & virtualiter transientes ; sed Angelus intelligens unum locum extremum , potest se move re ad intelligendum aliud extremum , non cogitando de medio : ergo potest etiam se movere de extremo ad extremum , salvo medio. Quod oritur , ex eò quòd intellectio Angelica est adeò efficax , & virtuosa , ut faciat suam essentiam , & substantiam præsentem cuicunque loco , cui cogitando dirigatur ; ex cuius defectu efficacitatis solet non concedi animæ separatae se movere posse , imò nec esse in loco ratio ne

ne suæ precisè cogitationis, & vocationis, sed ratione suæ substantiæ ab Auctore naturæ, vel Angelis hic, vel illic collocatae, vel etiam motæ.

101 Prob. 3. Angelus potest transire de extremo ad extremum, impertransito medio communicante: ergo etiam impertransito non communicante. Ant. conceditur à Scotistis, & nihilominus prob.: quia inter quælibet loca mediant infinita communicantia, in alia communicantia divisibilia sive fine: Unde, si posset omnes, nulla dempta parte, tangere, transiret illas designando, & quasi dinumerando, quod non est virtuti limitatæ concedendum: ergo tenet ant. Conseq. prob: Ideò juxta adversarios non potest Angelus transire, impertransito medio non communicante: quia ordo naturæ exposcit prius partes proximiores tangere, quam remotiores; sed haec æquè urget ratio in transitu per medium communicans, & tamen datur sive tactu medii: ergo etiam ille verificari potest, intacto medio.

ARGUMENTA CONTRARIA.

102 **O**bs. 1. Ordo naturæ præfixus est, ut non prius attingat extremum, quam pervadat medium; ex contraria autem sequitur positione hic inversus ordo, & resultat ultra, quod Angelus possit per motum discretum in instanti in quamcumque, vel infinitam se transponere distantiam: quia medium, quod poterat obstat, quasi nihil esset, interponitur; sed hoc longè

abit à finita Angeli virtute: ergo ruit, ex qua sequitur, conclusio.

103 Resp. dist. maj. Ordo naturæ præfixus est &c. loquendo de corpore per locum transmeante, conc: de spiritu transeunte, subdist. motu continuo, transeat, discreto, nego maj. & primam minoris partem. Secundani verò dist. resultat quod Angelus &c. ad quamcumque distantiam, intra sphæram suæ activitatis contentam, conc; extra illam, nego min. Dist. demum probationem imbibitam: medium quasi nihil est, ne passum Angelo transeunti disputet intra clausuram suæ activitatis, conc; extra, vel ultra illam, nego imbibitam, minorem etiam consequutam, & conseq. Solutio patet ex terminis distinctionis, cui proinde quidquam addere superest.

104 Obs. 2. Ita essentialis est ordo inter partes loci, sicut inter partes temporis; sed istæ taliter ordinantur inter se, ut pars præterita nequeat esse talis sine transitu per medium inter ipsam & futuram, hoc est, per præsentem: ergo nec partes extremi loci acquiri possunt sive priori acquisitione partis mediae. Rebutatur objectio: Partes temporis sic ordinantur, ut pars præterita nequeat dari sive transitu per medium, seu præsentem adhuc de plenitudine potestatis divinæ: ergo adhuc de plenitudine hujus nequit Angelus transire ad extremum sine medio: nequam, vel apud adversarios, consequentia. Dicimus ergo, disparem esse rationem in partibus temporis ac loci: illæ enim essentialiter sic ordinantur, ut nec Deus possit fa-

cere, ut præterita sit, quæ præsens non fuerit; partes verò loci, licet ex parte sui ordinentur una prior altera, hanc autem tangere præ alia, pendet ex libera Angeli applicatione suæ intellectionis huic præ alia, vel huic extremæ, & non alteri mediæ suam essentiam, & substantiam præsentantis.

105 Obs. 3. In Angelo verificatur hoc quod est moveri; sed id non verificatur, dum est in termino à quo: quia in instanti in quo movetur, non est in illo, nec verificatur, dum est in termino ad quem: tunc enim jam verificatur mutatum esse: ergo debet pertransfiri medium, in quo moveri verificetur. Resp. D. Thom. 1. p. q. 53. art. 2. ad 3. quod in motu continuo mutatum esse non est pars moveri, sed terminus, Unde oportet, quod moveri sit ante mutatum esse: & ideo oportet quod talis motus sit per medium. Sed in motu non continuo mutatum esse est pars, sicut unitas est pars numeri. Unde successio diversorum locorum etiam sine medio constituit talem motum. Vide supra n. 93. simile cum simili solutione argumentum, & appositè solutum.

106 Obs. 4. Si Angelus moveretur ab extremo ad extrellum sive medii transitu, etiam sic opus posset moveri, ut si Angelus portaret secum lapidem; hoc autem fieri nequit: ergo nec &c. Resp. quod tunc Angelus non per se, sed per accidens, & ratione lapidis moveretur, non autem discreto, sed continuo motu.



DUBIUM X.

UTRUM MOTUS ANGELI TAM CONTINUUS, quam discretus fieri possit in instanti?

107 PRO intelligentia nota discrimen inter motum de quo loquimur, & simplicem mutationem, quod ille petit fieri inter duos positivos terminos, ut inter locum A., & locum B.; hæc verò non sic, sed sat est acquisitio termini, sive eo quod relinquit alium terminum, ut si Angelus nulibi esset, vel adhuc non existeret: in instanti primo, in quo esset in loco, verificaretur mutatio simplex, & quidem sive dupli positivo termino: quia solum transiret de non esse in loco ad esse in loco. Et propterea hæc mutatio in instanti fit juxta DD. omnes: inter quos disidium solum est circa motum, sive discretum, sive continuum.

NOSTRA RESOLUTIO.

108 Angelus nequit ullo modo motu in instanti. Sic expressè D. Thom. 1. p. q. 53. art. 3. per hæc verb., quæ simul ratio, & auctoritas erunt probativa conclusionis: *In omni mutatione est prius, & posterius; sed prius, & posterius motus numeratur secundum tempus;* ergo omnis motus est in tempore, etiam motus Angelis, cum in eo sit prius, & posterius. Hæc ait in sed contra. Et in Respons. hæc addit: *De ratione enim quietis est, quod quiescens non aliter se habet.*

habeat nunc , & prius. Et ideo in quolibet nunc temporis quiescens est in eodem, & in primo , & in medio , & in ultimo. Sed de ratione motus est, quod id , quod movetur, aliter se habeat nunc & prius :: unde relinquitur , quod motus Angelii sit in tempore. In continuo quidem tempore, si sit motus ejus continuus ; in non continuo autem , si motus sit non continuus. Utroque enim modo contingit esse motum Angelii, ut dictum est: ergo omnis utriusque speciei motus Angelicus petit, ut fiat in tempore : ergo non fiat est instans unicum. Omnes quacumque superaddas ad hæc mirifica & Angelica verba probationes , in id ipsum tandem quod ait D. Thom. incidere , si attentè consideres , videbis , & ideo ab illarum supersedemus expositione , & extensio.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

109 **S** Ubtulis Dr. in 2. dist.

2. q. 12. cum aliis sentit nostræ contrarium assertioni, ut minus , si loca sint proxima, inter quæ motus datur. Obs. 1. Tam esse Angelicum, quam ejus operari, & moveri sunt indivisibilia : ergo nequit Angelus operari , quod est moveri , in tempore , quod est divisibile. Nec valet dicere , quod ejus operatio motiva est divisibilis virtualiter, vel eminenter: hoc enim erit ævum Angelicum cum aeternitate Dei comparare : ergo non tenet solutio. Resp. sustinendo hanc, assignandoque manifestum inter utramque durationem discrimen. Divina enim ita æquivalet , & amplectitur omne tempus , ut non ex-

pectet hujus productionem in tempore , ut illius existentia sit physice præsens aeternitati ; Duratio vero Angelica non sic: præstolatur enim positionem rei in esse, seu temporis nostri productionem , & tunc eadem invariata manens , connotans productionem hanc , coexistit temporis , quod in movendo se imitatur : quia, cum connotare nunc unius loci tempus , & nunc non hoc, sed aliud connotare non possit esse simul; (est enim contradic̄tio) sequitur, quod divisim , hoc est, in divisis nunc , & nunc temporis fiat , & consequenter sit motus , vel mutatio.

110 Obs. 2. In eodem nunc, seu instanti , in quo Angelus definit esse in loco A, est in loco B: (quia alibi debet esse) ergo non consumit in se movendo , saltim discreto motu , tempus. Resp. negando ant. & ad probationem imbibitam dicimus, quod in illo instanti , in quo non est in loco A , nullibi est quieto modo ; modo vero inquieto, seu in transitu est in loco B; quia est in via ad hunc. Itaque illud instans, in quo definit esse in loco A, non est instans essendi , sed non essendi in illo loco , & transeundi ad alium: & in hoc consistit motus , in definere esse hic nunc , & esse illic in sequenti nunc , vide suprà n. 93.

111 Obs. 3. Mutatio instantanea , v. g. generatio substancialis quamvis sit transitus , fit in instanti : ergo etiam motus Angelicus. Nega conseq. quia mutatio instantanea non affert duos positivos terminos , qui diversam exigant stantiam , sed unum positivum ; hunc-

que compatibilem cum ipsa mutatione : quia mutatio instantanea substantialis nihil est aliud , quām fieri formæ substantialis : Et fieri formæ quis dubitet esse compatibile cum forma , non quidem cum forma in facto esse , sed cum illa infieri ? Contrarium fit in motu , de quo loquimur , propter duplēm in dupli loco stantiam positivam.

112 Obs. 4. Illuminatio est motus , & fit instantaneè . Item corpus gloriosum movetur in instanti ; Corpus etiam quodlibet per vacuum , si detur , movebitur , & non in tempore : quia nihil est , quod ipsum retardet fieri in instanti : ergo jure potiori Spiritus Angelicus . Primum exemplum negamus cum D. Thom. 1. p. q. 53. art. 3. in corp. & ad 2. ubi docet , illuminationem non esse motum , sed mutationem instantaneam (de qua non loquimur) : non enim pergit lux à Sole per aërem ad terram , sed statim ac terræ ille præsentatur , sine ulla mora illuminatur terra per solam præsentiam Solis illuminantis ad solum illuminandum . Secundum , & tertium nos itidem negamus exempla : quia nec Corpus gloriosum , nec aliud quodlibet corpus per vacuum moventur in instanti . Quamvis enim nihil sit , quod ipsis retardet , ut de loco ad locum moveantur , sufficit verò duos esse terminos , alium amissum , admissum alium , ut tempus in motione insūmatur , & non sit in instanti .

DISPUTATIO II.

DE INTELLECTU ANGELICO.

O Perari sequitur ad esse : Ideò cum substantiam , & existentiam Angelicas , quæ ad ordinem pertinent essendi , jam pro capsula nostra agere tentaverimus : de potentiis ejus , quæ ordinem respiciunt operandi , par etiam est agamus , & primò de prima potentia naturæ intellectualis , quæ intellectus est , sit

DUBIUM I.

AD QUÆ COGNOSCENDA GERAT
munus speciei substantia Angelī
cognoscētis?

1 **S** Upponendum est contra communem Scotistarum , & Jesuitarum sententiam , cum communi Thomistarum calculo , intellectum Angeli realiter ab ejus distingui natura , ex qua dimanat : & potiori titulo sic etiam distingui ab intellectu Angelico ejus intellectionem , si nolumus hanc cum divina æquiparare , vel confundere intellectione : solius enim Dei est identificare primam rationem essendi cum ultima actualitate operandi . Hoc statuto , sit

NOSTRA PRIMA CONCLUSIO.

2 **A** Ngelus se ipsum cognoscit per suam substantiam expositam ejus intellectui per modum speciei . Sic D. Thom. 1. p. q.

56. art. 1. ibi: Unde sequitur, quid per suam formam, quae est sua substantia (Angelus) se ipsum intelligat. S. Doct. sequuntur omnes Thomistæ, Suarez, & alii innumeri. ¶ Prob. ratione: substantia Angeli habet quidquid requiritur, ut munus gerat speciei in sui cognitionem: ergo Angelus per eam se cognoscit. Ant. prob. ad munus speciei, hec sint, est opus: ut res sit actu intelligibilis: ut proportionata cum potentia: utque cum ea uniatitur; quæ tres conditiones adamus in substantia Angeli videsis: est enim omnino immaterialis: ergo omnino intelligibilis. Est proportionata cum potentia: hæc enim est proprietas ab essentia Angeli dimanans, eumdem immaterialitatis gradum observans. Et tandem est magis unita cum potentia, quam quælibet species forinsecus adveniens, quippe quæ omnino inseparabilis ab ea: ergo habet quidquid requiritur &c. Ex qua ipsa ratione probavimus tract. 2. disp. 2. dub. 1. essentiam divinam per se ipsam exercere munus speciei in visione beatifica.

3 Obs. cum Vazq. Licet essentia Angelica sit actu intelligibilis, & proportionata cum potentia, non tamen sufficienter unita: est enim in esse naturali sit inseparabiliter unita cum suo intellectu, non vero in esse intelligibili. Ethoc probatur: sequeretur enim idem esse causam, & effectum in eodem genere causæ formalis: intellectus siquidem recipetur, ut forma naturalis, in essentia, aliundè essentia, ut species, esset in intellectu, ut forma intelligi-

bilis: ergo idem intellectus esset in eodem genere causæ formalis causa, & effectus. Resp. quod ipsum se solvit argumentum, distinguens inter causam formalem naturalem, & formalem intelligibilem: causa enim formalis non est species infima, sed ultra in diversas formales divisibilis, ut patet in casu argumenti, & in existentia, & essentia, quarum quælibet respectu alterius trius habet rationem formæ: existentia quidem per modum actus ultimi terminantis, & quasi informantis essentiam: hæc autem existentiam trahit ad hanc præ alia specie per modum formæ intrinsecè specificantis. Dic ergo intellectum esse causam, & effectum in diverso genere intra lineam causæ formalis, quod non est inconveniens.

SIT NOSTRA SECUNDA RESOLUTIO.

¶ **S**ubstantia Angeli non unitur per se ipsam suo intellectui per modum verbi sui ipsius, sed potius indiget verbo distincto, & se producto. Hanc tuentur sententiam contra Cajet. 1. p. q. 27. art. 1. communiter Thomistæ, & cum eis N.N. Compl. abrev. in de Anima, & N.N. Salm. tract. 2. disp. 2. n. 248. Prob. 1. ex D. Thom. 4. contra Gent. c. 11. ubi postquam concedit substantiæ Angeli obire munus speciei impressæ, deinde munus speciei expressæ, seu verbi ipsi denegat per hæc verba: *Per se cognoscit se ipsum.* Nondum tamen ad ultimum perfectionem vita ipsorum peringet: quia, licet intentio intellecta sit in eis omnino in-

trinseca; non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia: quia non est in eis idem intelligere, & esse. Ex quibus sic

5 Prob. 2. ratione: Substantia, quæ in aliqua linea identificat secum à prima radice usque ad ultimam actualitatem, est infinita; sed, si Angelus per se ipsum esset verbum sui ipsius, identificaret primam radicem in linea intelligibili cum ultima illius actualitate. Hæc minor probatur: prima radix in hac linea est esse actu intelligibilem, quam substantiam Angeli identificare sibi suprà ostendimus; ultima verò actualitas est esse actu, & ultimè intellectam (in quo consistit ratio verbi) ergo, si hanc etiam sibi identificat, profectò prima radix cum ultima idem erit actualitate, quod solius Dei est proprium: ergo erit infinita Angelii substantia, quod absit. ¶ Ob oppositam rationem essentia divina in visione beata nedùm per se ipsam species impressa, verum & expressa, seu verbum est illius. Sed

6 Obs. Quodlibet objectum identificatur cum specie, & verbo, & hoc quidem est conjungere primam sui intelligibilitatem radicalem cum esse actu intellectum, quod est in hac linea ultima actualitas: sed hoc non arguit infinitatem in illo: ruit ergo fundamentum assertionis. Dist. maj. identificatur cum specie, & objecto mediis tribus entitatibus, quibus adhæret esse intelligibile, conc; absolutè, & simpliciter, nego maj; minorem, concedo, & conseq. nego. Identitas inter objectum, speciem, & verbum solùm est in esse intelligibili, & mediis tribus entita-

tibus distinctis: si autem substantia Angeli per se ipsam esset species, & verbum, hoc haberet per suam, & unicam entitatem, quæ à se ipsa non distinguitur. Ex quo sequetur, unam indistinctam entitatem esse objectum, speciem, & verbum: & non solùm in esse intelligibili, sed & in naturali identificari primam radicem cum ultima actualitate, quod solius Dei proprium est.

TERTIA NOSTRA RESOLUTIO.

7 **A**ngelus neque per suam substantiam, neque per speciem superadditam creatam cognoscit Deum quidditativè; cognoscit verò eum abstractivè, & naturaliter, non verò quidditativè per se ipsum priùs cognitum, vel etiam ut speciem secundariò Deum representantem. Prima pars constat ex his quæ statuimus tr. 2. disp. 2. dub. 5. n. 37. & 38. Audi D. Thom. ibi laud. *Dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri. Quæ ultrà sic ostenditur: Species representans Deum quidditativè debet esse ejusdem cum eo immaterialitatis; at hoc repugnat creaturæ: ergo nec substantia Angelii, nec species superaddita creata deservire queunt ad Deum quidditativè cognoscendum.*

8 Scotus cum pluribus PP. Jesuitis tenet contrarium, componitque cognitionem Dei abstractivam cum quidditativa, hancque appropriat Angelo, cui negat quidditativam, quæ sit intuitiva. Sed hæc doc-

doctrina à via declinat veritatis: quia cognitio abstractiva, si quidem distinguitur essentialiter ab intuitiva, sed solum accidentaliter, quatenus intuitiva connotat rem ut existentem, abstractiva vero ab existentia abstractarentem, quod in ordine ad cognitionem quidditativam rei extra genus est notitia: ergo, si semel conceditur Angelo cognitio quidditativa abstractiva Dei, etiam intuitiva dari debet. Antecedens intellige loquendo de cognitione terminata ad creaturas: quanto potiori titulo si de Deo loquamur, cujus existentia est ipsa sua essentia? Ex quo sequitur, quod vel non cognoscitur essentia Dei quidditativè, vel debet simul cognosci ejus existentia, quia sunt idem: si autem existentia cognoscitur, habemus intuitivam Dei cognitionem, quam per speciem creatam longè sit admittere.

9 Secunda conclusionis pars probatur ex D. Thom. I. p. q. 56. art. 3. ibi: *Ipsa natura Angelica est quoddam speculum, divinam similitudinem representans; sed non stat, quod similitudo alicujus inspicatur, quin & id, quod representant, aliqualiter cognoscatur: ergo, si substantia Angelica est similis Deo, illa cognita, in cognitionem veniet Angelus ipsius Dei; atqui non intuitivam, & quidditativam, ut supponitur: ergo saltim abstractivam, imperfectam, & naturalem.*

10 Objicit D. Thom. I. p. q. 56. art. 3. sic: *Deus infinitè distat ab intellectu Angeli; sed in infinitum distantia non possunt attingi: ergo videtur, quod*

Angelus per suam naturalia non posse Deum cognoscere: ergo nec per suam essentiam prius cognitam. Respondet ipse D. Thom. hoc solum probare non posse ipsum comprehendere, non vero, quod utcumque, & imperfectè non possit illum attingere. Verum est, addit, quod Deus, & Angelus infinitè distant: at etiam est certum, quod cognitio, qua Angelus Deum cognoscit, distat infinitè à cognitione, qua Deus se ipsum videt. Porro Deus non distat infinitè in ratione attingibilis utcumque ab intellectu Angelico, sed in ratione attingibilis comprehensivè.

QUARTA NOSTRA RESOLUTIO.

11 **A**ngelus non cognoscit clarè, & distinctè objecta sibi extrinseca per suam substantiam, sed indiget speciebus superadditis. Secunda pars patet, si prima demonstretur I. ex D. Thom. eam afferente I. p. q. 55. art. I. ibi: *Solum Deus cognoscit omnia per suam essentiam; Angelus autem per suam substantiam non potest omnia cognoscere, sed oportet intellectum ejus aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas.*

12 Prob. ratione 2. Ut Angelus per suam essentiam cognosceret alia à se, ea, opus erat, contineret in esse entitativo, vel intelligibili; ast hoc falsum est: ergo & quod per suam essentiam alia à se cognoscet. Major patet: quia intellectus nihil cognoscit, nisi in quantum res intellecta est intra intellectum, (quod vel naturaliter, vel intelligibiliter debet esse,) Minor quoad esse entita-

332. *Tract. XII. de Angelis. Disp. II. Dub. I.*

tivum est certa: constat enim Angelus genere, & differentia terminis, ne ultra eos ad alia esse, vel continere se extendat. Quoad secundam probatur: quia natura Angeli non est instituta ad repræsentandum alia à se, sed ad essendum in se: ergo non potest ea continere in esse repræsentativo, vel intelligibili: ergo tenet minor. Sed

13 Obs. Ens in tota sua latitudine est objectum intellectus Angelici; sed Angelus per suam essentiam comprehendit suum intellectum: ergo cognoscet etiam omne ens naturale per suum attingibilem intellectum: sicut comprehensa Dei Omnipotentia, omnia, quæ sub ea cadunt respecta, possibilia cognoscuntur. Concessis majori, & minori, nego conseq. & paritatem ex divina desumptam Omnipotentia: hæc enim est causa possibilium adæquata; intellectus vero secus: non enim per se solum potest omnia naturalia cognoscere, nisi adjutus speciebus, quæ ea repræsentent. Porro, nisi causa cognoscatur adæquata, non cognoscuntur in ea contenta.

DUBIUM II.

VTRUM ANGELUS (VEL ETIAM SUBSTANTIA MATERIALIS) COGNOSCANTUR AB ALIO ANGELO PER HOC QUOD UTRIQUE UNIATUR CUM ANGELO COGNOSCENTE PER MODUM SPECIEI ?

14 N Egativè respondetur quoad utramque partem cum D. Thom. ejusque Dis-

cipulis contra aliquos Scotistas, & Jesuitas affirmantes quoad primam, contra quos prob. nostra concl. ex N. Angel. Præceptore i. p. q. 56. art. 2. in corp. ubi postquam docet, quod Angelus in se ipso se ipsum cognoscit, ita scilicet, quod in natura sua speciei subsisteret, & per eam se intelligeret, ait: Aliazum vero rerum tam spiritualium, quam corporalium rationes (id est species) sunt ei impressæ secundum esse intellectuale tantum: ergo unus Angelus alterius intellectui non unitur secundum esse naturale gerens munus speciei, per quam intelligatur, sed per speciem distinctam à se immissam & impressam. Idem docet 2. contra Gent. c. 98. ubi ait: Impassibile igitur videtur, quod una (substantia separata) videatur ab altera per essentiam: hoc est, per suam essentiam unitam per modum speciei.

15 Prob. 2. Si Angelii substantia unita intellectui alterius munus obiret speciei, ut ab isto intelligeretur, non solum uniretur intelligibiliter, verum & entitativè (omnis quippe species intelligibilis fundatur in aliquo esse, vel modo entitativo ipsam comitante) sed nullimodo potest substantia unius Angeli uniri entitativè alterius intellectui. Hæc minor prob. Non in primis per informationem: quia hoc est proprium formæ partialis; substantia vero Angeli est per se subsistens. Non per inhaßionem: hæc enim propria est accidentium. Non per identitatem: quia hic sunt duas entitates realiter distinctæ. Neque per unionem puri termini: hæc enim unicè sub-

subsistentiæ, & existentiæ propria est. Nec denique per intimum illapsum: hic enim soli Deo convenit. Unde D. Fulg. de fide ad Petrum C. 3. loquens de Angelis dixit: *In eis singulis naturalis terminus, quo à se invicem discernuntur: quia nullus in alio est.* Idemque docent B. Bern. serm. 5. in cant. & D. Thom. pluribus in locis hinc à N. Paul. laud. sed præcipue 3. p. q. 64. art. 1. ibi: *Solus Deus operatur (per modum causæ principalis intellige) interiorem effectum sacramenti: quia solus Deus illabitur anima &c. ergo, cùm nulla sit alia præter uniones assignatas, sequitur quod nullimodè &c.*

16 Quod autem substantia materialis nequeat uniri Angelico intellectui, exercens munus speciei, ut ab ipso intelligatur (quæ est secunda conclusionis pars) facilius ostenditur: tum ex D. Thom. 1. p. q. 57. art. 1. in C. dicente: *Sicut Deus per suam essentiam materialia cognoscit, ita Angeli ea cognoscunt per hoc, quod sunt in eis per suas intelligibiles species: ergo non per hoc quod sunt in eorum intellectu per se ipsa munus speciei obeuntia.* Tum, quia inter intellectum, & speciem in eo connaturaliter receptam requiritur convenientia in eodem immaterialitatis gradu. Sic D. Thom. mox laud. ibi: *Omne quod est in aliquo, est in eo per modum ejus, in quo est; atqui nulla datur inter substantiam materiale, & intellectum Angelicum: quia hic à materia physica abstrahit, non illa: ergo nequit hæc cum illo intelligibiliter uniri, ut ille hanc valeat cognoscere.*

ARGUMENTA CONTRA RIMAM partem.

17 **N**ulla extat specialis opera posita sententia, nec objectio contra secundam partem conclusionis; contra primam vero obs. 1. Essentia Angeli est ita immaterialis, ut & sit actu intelligibilis: ergo potest sic uniri, & ab alio intelligi. Consequentia patet: nam hac ex causa quælibet species intelligibilis potest uniri intellectui, & deservire intellectioni. ¶ Et urget difficultas: quia essentia Angeli magis actualis, & immaterialis est, quam species accidentalis: ergo si hæc potest sic uniri, poterit etiam essentia Angeli. ¶ Et quidem magis proportionatur essentia unius Angeli cum alterius intellectu, quam cum isto essentia divina; & tamen ista sic unitur, ut intelligatur: ergo etiam illa.

18 Ad argum. resp. dist. ant. Ut & sit actu intelligibilis per suum intellectum, conc; per alienum, nego ant. & conseq. cuius probatio solum vera est, de specie accidentali: quæ quia talis potest inhærere entitativè intellectui, & sic uniri sufficienter, ut influat in intellectionem. Unde non obest, quod essentia Angeli sit magis actualis & immaterialis, si tamen non potest uniri entitativè intellectui. Per quod constat ad urgentiam, & simul ad paritatem essentiæ divinæ, quæ, licet sit magis impropportionata, potest tamen (quod non potest Angelica) uniri per intimum illapsum in quemcumque creatum intellectum, ut

ut ab hoc intelligatur. Sed replicabis, et.

19 Obs. 2. Non requiritur essentiam Angeli sic intimari in alterius Angeli intellectum, ut per ipsum illabatur: ergo sine intimo illapsu potest uniri sufficienter, ut intelligatur. Ant. patet, tum in specie accidentalí, quæ non sic illabitur, ut intromittatur tangens terminos illius usque ad existentiam: Tum in ipsa essentia divina, quæ ratione speciei non sic illabitur: ergo nec opus est hujusmodi illapsus in nostro casu. Resp. ad argum. verum esse non requiri præcissè dictum illapsum, sed vel hunc, vel aliquam ex dictis unionem, quarum, quia species accidentalis, habet inhæsivam, & essentia divina saltim in ratione essentiæ (quæ non distinguitur à ratione speciei) habet illapsivam, Angelica vero nec intelligibiliter, nec entitativè sumpta habet aliquam ex illis: ideo nequit sic intellectui alterius praesentari, ut possit ab isto sufficienter capi.

DUBIUM III.

*UTRUM SPECIES, PER QUAS ANGELUS intelligit, sint à Deo acceptæ; an-
ve à rebus desumptæ?*

CONCLUSIO PRIMA:

20 Angelus non desumit species à rebus materialibus, ut has cognoscat. Est communis contra Scotistas, expressaque in D. Thom. 2. contra Gent. c. 96. art. 1. ibi: *Ex premissis ostendi*

*poteſt, quid substantiæ separata non acci-
piunt intellectivam cognitionem ex sensibili-
bus. Idem tenet 1. p. q. 56. art.
2. consonatque capiti 28. Ezech.
ubi dicitur de Angelo: *Tu signaculum
similitudinis, plenus sapientia::: in die qua
conditus es;* sed à prima die qua con-
ditus es, non cognovit cuncta sen-
sibilia per species ab his emissas:
quia nondūm existebant: si autem
ea postea successivè cognovit, ne-
quit afferi fuisse ab initio plen-
um sapientia: ergo fuit plenum
illa, quatenus à principio habuit
(non accepit) rerum omnium sen-
sibilium infusas species, & notitiam.
¶ Favet etiam D. Dion. c. 7. de
divin. Nomin. ibi: *Angeli non congre-
gant divinam cognitionem à rebus sensibili-
bus.* D. etiam Aug. lib. 2. sup. Gen.
ad litt. c. 8. ubi afferit, res priùs
fuisse creatas à Deo in mente An-
gelorum, quām in proprio genere:
ergo male potuerunt immittere sui
speciem, & notitiam in Angelorum
intellectum.*

21 Ratione idem probatur de-
sumpta ex D. Thom. 1. p. q. 55.
art. 2. Angelus est omnino absolu-
tus, & independens, sicut in fieri,
& esse, etiam in operari à corpore:
ergo non eget ad sensibilia conver-
sione, undē species sumat, ut intel-
ligat. Sicut econtra: quia anima nos-
tra dependet in fieri à corpore, quod
informet, & in operari à conver-
sione ad phantasmatá, quæ materia-
lia sunt, non potest pro hoc statu
operari, quin species ebita à re-
bus sensibilibus, undē operetur. Sed
22 Obs. 1. Licet Angelus non
absumat species à rebus sensibilibus
mi-

ministerio sensuum , poterit tamen eas suscipere ad modum animæ separatae , quæ etiam sine tali ministerio eas ex rebus recipit intelligentis. Hæc objectio falso nititur fundamento : nam, ut inquit D. Thom. i. p. q. 89. per totam , sed præcipue art. i. ad 3. & art. 3. in resp. anima nostra separata non intelligit per species ebibitas ex rebus , sed per influentiam divini lumenis receptas. Sed replicabis , et

23 Obs. 2. Ut minus negari nequit intellectui Angelico ea virtus , & efficacia , quæ intellectui humano agenti unito corpori conceditur ; sed hic species materiales sic depurat , & spiritualizat , ut possint intellectui , qui spiritualis est , deseruire ad intelligendum : ergo id ipsum poterit Angelicus. Resp. negando paritatem : intellectus enim humanus ejus est naturæ , ut , licet sit spiritualis , concernat materiam corporis , in qua recipitur , exigitque ministracionem sensuum externorum & internorum , qui materiales etiam sunt : idèoque ejus objectum talis est genii , ut etiam spiritualizatum semper connotet materiam , undè exigit , ut detur proportio inter potentiam , & objectum ; at verò intellectus Angelicus omnino spiritualis est sive illa materia concernentia ; si autem ab objectis sensibilibus sumeret species , numquam sic depurarentur , ut non matricem , undè exierunt , aliquomodo concernent : quo sic stante , numquām quadrarent , nec se æquarent potentiae intelligenti , & idèo ineptæ forent , ut illis uteretur Angelus mo-

do sibi convenienti : ergo non sunt admittendæ.

24 Obs. 3. Angelus non habet species rerum singularium per infusionem : nam per hanc species , quas recipit , sunt universales ; sed alias ei non est deneganda cognitio singularium sensibilium : ergo habebit illam per species ab ipsis sensibili bus receptam. Ad hoc , & alia id genus argumenta patebit ex infra dubio 4. dicendis.

CONCLUSIO SECUNDA.

25 **A**ngelus non cognoscit objecta immaterialia per species ab ipsis acceptas , vel extractas. Sic contra Scotum in 2. dist. 3. q. 11. ejusque Discipulos D. Thom. cum suis i. p. q. 55. art. 2. ibi : *Unicuique spiritualium creaturam à Verbo Dei impressæ sunt omnes rationes rerum omnium tamen corporalium , quam spiritualium.* Et expressius id docet q. 8. de Verit. art. 7. ibi : *Unus Angelus alios cognosit per similitudines eorum in intellectu ejus existens :* non quidem abstractas , aut impressas ab alio Angelo , vel aliquomodo acquisitas , sed à creatione divinitus impressas. *Sicut & res materiales per hujusmodi similitudines cognosit.* Quid expressius ?

26 Prob. ratione congruentiali , & quidem solertiissima , ipsis S. Doct. in 1. parte laud. Nam ordo , quem inter corporeas res observamus , congruit , ut & inter spirituales suo modo custodiatur , ut per ea , quæ visibilia sunt , etiam invisibilia conspiciantur (docente sic Apostolo) atqui , corporalia celestia ,

tia , quæ superiora , & excellentiora sunt in quantum corpora , hoc fit , quod à principio sui habent totam perpetuò habendam perfectionem , nec ista augetur , nec minuitur ; cuius contrarium in inferioribus corporibus experimur sublunaribus : ergo facta comparatione inter substantias spirituales , animas , scilicet , & Angelos , expedit , ut hi , quippe Superiores , à principio suæ conditionis habeant totam suam perfectionem in ratione intelligendi , scilicet , species omnium , quæ in æternum erunt cognituri (nisi Deus aliquandò hanc legem dispensem per plenitudine suæ potestatis) ad differentiam animarum , quæ imperfectiones sunt : & ideo non ab initio sui , sed decursu temporis , & ministerio sensuum in hac parte perficiuntur .

27 Prob. 2. Si Angelus unus alium cognosceret per speciem non infusam ab initio , non esset assignabilis causa producens speciem acquisitam : ergo non est hoc dicendum. Ant. prob. non enim Angelus cognoscendus esset causa : quia hic , si esset inferior cognoscere , superior subderetur , & dependeret ab inferiori producturo , & præstitulo speciem , ut eum cognosceret superior , quod hunc non decet. Non Angelus cognoscens : sequeretur enim , quod huic , etiam inferior , si esset , cognosceret superiorem , iste vellet nollet , imò hujus secretas cognitiones atque intentiones , quod non admittimus. Non denique uterque cognoscens , & cognoscendus ob defectum unionis , vel intimi illapsus necessariò ad hoc negotium requisiti:

ergo non esset assignabilis causa talis speciei acquisitæ : ergo non datur nisi infusa.

ARGUMENTA CONTRA HANC SECUNDAM conclusionem.

28 Obs. 1. D. Thom. q. de

O Anima art. 18. ad 13. Ubi animæ , inquit , separatae infunduntur species per Angelos , ut intelligere valeat : ergo poterit etiam unus Angelus superior infundere illas inferiori. Dist. vel explicabo D. Thom. per Angelos illas principaliter producentes , nego ; eas ministrantes , seu deferentes , quas Deus principaliter producit , conc. ant. & nego concedoque conseq. sub eadem distinctione. Sic respondemus ducti ex eo , quod Angelus Doctor indiferenter loquitur de speciebus , quas Angeli animæ communicant , sive naturales sint , sive supernaturales : & indubium est , quod supernaturales non valent principaliter producere , sed ut summum ministrare.

29 Obs. 2. Objectum sensibile habet virtutem productivam speciei sui in sensu : ergo etiam objectum spirituale in Angelico intellectu : sicut enim primum est sensibile in actu , ita secundum est intelligibile in actu. Si autem negetur ant. vide D. Thom. q. 5. de Pot. art. 8. dicentem objectum sensibile ex participatione substantiarum separatarum immittere speciem in sensum , vel intellectum : ergo si Angeli communicant virtutem specierum productivam , & ipsi habebunt illam ad producendum speciem sui , quæ ip-

tos repræsentet, & ipsa media intelligantur ab aliis Angelis.

30 Resp. ad argum. Concesso antec. in sensu à D. Thom. expreso, negando conseq. & paritatem desumptam ex objecto sensibili ad objectum spirituale: quæ stat in eo, quod objectum sensibile habet virtutem productivam talium specierum ex natura, & sympathia talis objecti cum potentia nuda speciebus à principio, quas ideo successivè, & tractu temporis ab objectis emendat; objectum verò spirituale, cognitum ut tale, respicit potentiam à principio imbutam, & sufficienter speciebus refectionem, & ideo natum est sine potentia producendi illas; quas jam supponit in potentia ab initio præfixas. Et licet sit utrumque actu sensibile, & intelligibile, hoc intellige distributione accomoda: sensibile quidem per species à se immisfas ad potentiam; spirituale per species in potentia à Deo præfixas.

COROLLARIA QUÆDAM.

31 Ex dictis infer I. Angelum non habere intellectum agentem, & passibilem: deest enim ipsi causa habendi illos, scilicet, abstractio specierum ex objectis per agentem, & receptio illarum per patientem, sive passibilem, quippe illis à principio jam refectionem. Vide D. Thom. 2. contra Gent. cap. 96. et 1. p. q. 54. att. 4. id ipsum confirmantem.

32 Infer 2. Angelum non posse esse in anima nostra, vel in alio Angelo ut in loco. Ratio est, quia

Tomo II.

Angelus est in loco per operationem; sed Angelus, naturaliter loquendo, nequit operari nec in Anima nostra, nec in Angelo: ergo, &c. ¶ Sed contra: nam Tob. 8. dicitur, quod Raphael religavit Dæmonium in deserto: ergo habet Angelus activitatem alter in alterum. Facile ad hoc resp. argum. si dicatur, religasse quidem non ut causa principalis, sed ut Dei merum instrumentum.

33 Infer 3. Illuminationem, & locutionem, qua alter alterum illuminat Angelum, vel ad eum loquitur, non consistere in hoc quod Angelus illuminans aut alloquens producat in altero lumen, vel aliquid aliud efficiat, ut tradit D. Thom. quantum ad illuminationem 1. p. q. 106. art. 1. ibi: *Unus Angelus non illuminat alium, tradendo ei lumen, &c.* Et quantum ad locutionem q. 9. de Verit. art. 4. & 5. ibi: *Dicendum, quod Angelus loquens nihil facit in Angelo, cui loquitur.* Consistit ergo locutio in eo, quod Angelus loquens id, quod intus & secretè concipit, vultque alteri notificare, dirigat ex animo, ut in notitiam hujus perveniat, quod sit per quamdam reciprocam sympathiam, ut loquens per directionem audiat: Angelus autem, cui alloquitur, qui alias lumen habet, & speciem ut illud intelligat, connotans dictam directionem statim ipse, & non aliis, cui non terminatur, audiat. Illuminatio verò addit supra locutionem quoddam magisterium extrinsecum, medio quo veritatem à Deo derivatam communicat, quasi docens, Angelus superior inferiori,

Y

ut

ut tradit D. Thom. i. p. q. 106. art. 1. Unde infertur, omnem illuminationem esse locutionem, non tamen è contra: namque Angelus inferior loquitur superiori, quem tamen non illuminat; superior verò & loquitur, & illuminat inferiorem.

INQUIRIES

34 Utrum species Angelicæ fluant ab eius natura tamquam veræ passiones? Negativè respondetur cum Gonet. N.N. Salm. hic disp. 5. dub. 4. et aliis tam ex nostratisbus quam extraneis contra Cajet. Bañez, & alios. Prob. 1. ex D. Thom. qui i. p. q. 89. art. 1. ad 3. sic ait: *Anima separata non intelligit per species innatas, sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut & aliæ separatae substantie.* Et art. 3. in corp. addit. *Anima separata intelligit per species, quas recipit ex influentia divini luminis, sicut & Angeli:* ergo juxta D. Thom. Angelus non habet species congenitas, vel ad ipsum per di manationem consequetas, sicut nec eas habet anima, sed per actionem Dei distinctam productas, ipsique impressas.

35 Ratione probatur: quia quælibet essentia habet determinatam exigentiam ad has habendas præ aliis proprietates; sed Angelus non habet exigentiam, ut ipsi hæ præ aliis species infundantur. Prob. hæc minor ex D. Thom. proximè laud. Si Deus, inquit, instituisset facere plures Angelos, plures species intelligibiles mentibus Angelicis impressisset. En apprimè sententiam nostram per ipsum

confirmatam. Sed & intende locutionis modum: *impressisset* inquit, quasi supponens naturam creatam, & in ea eas species, quas ipse liberè voluerit, non eas, quas ipsa exegrit, imprimens, hoc est, has præ illis ipsi condonans: Si autem essent naturæ hæ præ aliis debite, ut quid Deus illas per distinctam impressivam actionem ipsas applicaret, cùm posset per eamdem creaticem actionem, qua naturam, & ipsas creare? quod reapse accedit in intellectu, & voluntate Angelicis: quia sunt veræ proprietates. Et maximè, quia non sunt multiplicanda entitates (nec actiones) *Sine necessitate*, inquit trita, & communis Physicorum parœmia.

36 Obs. D. Thom. qui i. p. q. 55. Angelicas species vocat *formas illis connaturales*; sed hoc est proprium proprietatum: ergo tales sunt species eorum. Similiter loquitur q. 64. art. 1. loquendo de cognitione Dæmonum. Et q. 54. art. 4. loquendo de scientia Angelica. Resp. D. Th. vocare species *formas connaturales*: tum, quia Angelus illas à principio habet suæ creationis. Tum quia habet naturalem potentiam passivam ad eas recipiendas, non verò has præ illis, sed quas Deus illi liberè largiatur.

DUBIUM IV.

UTRUM SPECIES ANGELI SINT UNIVERSALES IN REPRESENTANDO?

37 **N** Egat Scotista cum suo Subt. Dre. in 2. dist. 3. q. 10. §. *Ista opinio*: Et dist. 9.

q. 2. s. *Contra ista.* Affirmat vero Thomista cum suo Angel. Mag. I.
p. q. 55. art. 2. Cum quibus sit

NOSTRA CONCLUSIO.

Species Angelicæ sunt universales in repræsentando, proindèque unica specie cognoscuntur clare, & distinctè plures naturæ, sive genere, sive specie, sive numero distinctæ. Prob. I. auctorit. D. Dion. c. 7. de divin. nom. ibi: *In hoc animæ nostræ inferioribus sunt Angelis*, quod nos per plura signa, illi per pauciora, &c. Et D. Thom. qui præter ea, quæ docet q. 55. cit. hæc ait: q. 57. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod Angelii cognoscunt singularia per formas universales, quæ tamen sunt similitudines rerum, & quantum ad principia universalia, & quantum ad individuationis principia.* Nil clarius, nec nostræ secundius conclusioni.

38 Prob. 2. ratione: namque Angeli mediant inter naturam Divinam, & humanam in essendo sic, ut nec ad illam exaltentur attingendam, nec ad istam deprimantur sibi coquandam, ergo opörtet, quod sic medient etiam in operando, ut nec intelligant per unicam universaliſſimam speciem omnia increata, & creata, possibilia, & existentia repræsentantem, sicut Deus, nec per species adeò limitatas, ut singulæ pro singulis objectis singulares assignentur species, sicut homo: ut sic æqua detur Angelorum mediatio inter supremam, & infimam naturas intellectuales in essendo, ac in operando: & verificetur, quod ope-

rari sequitur ad esse.

39 Prob. 3. Species Angelicæ non sunt ab objectis desumptæ, ut probatum manet dub. præced. sed à Deo acceptæ; & per divinas species exemplatæ; sed species sic derivatæ, & exemplatæ non verè exemplabunt suum prototypon, nisi speciem divinam quoquomodo in repræsentando generaliter imitentur, sicut & ipsa divina species generalis est: ergo tales erunt & Angelicæ.

40 Prob. 4. Nam ea, inquit axioma ex D. Dion. desumptum, *qua in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt unita;* sed species Angelicæ superioris sunt ordinis humanis: ergo, si plures sunt ad intelligendum inter homines species necessariae, pauciores sufficient ad intelligendum apud Angelos. Unde & in homine id ipsum experimur, in quo potentia intellectiva per unicam speciem attingit naturam, quæ plura continent sub se cognoscibilia, extenditque se ad singularia saltim confusè cognoscenda: quia suprema est hominis potentia; sensuum verò species externorum, quia hi sunt hominis potentia infima, ad unum tantum singulare se extendunt attingendum singulæ earum; quia verò sensus interni mediant inter potentias supremam intellectivam, & infimam sensitivam, nec operantur speciebus naturas universales repræsentantibus, sicut intellectus, nec contrahuntur ut unum præcisè singulare repræsentent: nam per speciem unius particularis coloris extenditur phantasia ad plures colores similes illi internè figurandos.

41 Respondent Scotistæ sufficere ad prædictam mediationem inter naturas divinam, & humanam, quòd Angelus cognoscat res singulares per species singulares, in quo distinguitur à Deo, non autem imperfectè, & obscurè sicut homo, sed clariùs, & intensius sicut Angelus. Sed hoc facilè devellatur effugium: nam sicut intellectus Angelicus distinguitur specificè ab humano ex hoc quòd ortum dicit à natura specie distincta, sic species deservientes intellectui Angelico debent specificè distingui ab humano deservientibus: sequuntur enim species genium intellectus, sicut iste genium essentia à qua dimanat: & sicut hæc medio operatur intellectu, sic iste mediis operatur speciebus: ergo si species specie distinguuntur, sic distinguuntur etiam elicitæ ab ipsis cognitiones; atqui cognitio una non distinguuntur species ab alia per hoc, quòd sit clarior, vel intensior, ut appareat in Beatis, quorum omnium sunt visiones in claritate inæquales; & tamen sunt unigenæ in specie: ergo vanum est effugium ad majorem in cognoscendo claritatem, ut discrecio fiat inter species deservientes Angelico intellectui, & eas quibus utitur humanus intellectus. Sed audiamus jam

SCOTISTARUM ARGUMENTA.

42 **O** Bf. i. Species se habent ad objectum, sicut mensuratum ad mensuram, ab eoque sumunt suam unitatem: ergo pro pluribus objectis plures, & non

unica precissè, species debent assignari. Dist. ant. quoad secundam partem; species sumit suam unitatem ab objecto, in eo quòd est unum formaliter, sumpto, conc., in eo quòd est plura materialiter, nego ant. & conseq. Quamvis plura sint materialiter objecta singularia, quæ Angelus per unicam attingit speciem, omnia verò illa adunantur in aliqua ratione superiori, & communi, à qua suam sumit species universalis unitatem.

43 Dices: ergo Angelus solum illam cognoscet rationem communem, à qua sumit unitatem, non verò particularia sub illa contenta: quod ne credideris de tantæ cognitionis perfectione. Dist. conf. solum illam cognoscet primariò, non verò particularia, conc.: secundariò, non verò particularia, nego conseq.

Contra dices, & inquiris: species illa universalis quomodo repræsentat particularia secundaria? num formaliter, continensque prædicata illorum formaliter? num verò virtualiter, quatenus connectitur cum illis, atque ipsa infert? Si dicas quòd formaliter, sequitur quòd una eademque species simul in se continet formaliter, & in esse intentionali plurium objectorum realiter, imò & specie distinctorum prædicta, quod incredibile videtur. Si virtualiter, contra: quia species humana repræsentat virtualiter inferiora animalis, & tamen non dicitur universalis: ergo ut Angelica sit talis, non sufficit, quòd virtualiter tantum repræsentet inferiora.

Utra-

Utraque dilemmatis pars divisim sumpta admitti licet, & defendi cum N. Paulo hic, & tract. 6. disp. 3. n. 109. & cum N. N. Salm. hic disp. 3. n. 129. Si formaliter respondere praeligas, intellige formaliter non primariò, sed secundariò. Nec ex hoc sequitur, quod species contineat formaliter prædicata omnium inferiorum: nam hoc solum est proprium speciei repræsentantis formaliter primariò, & hoc in sensu intelligas, quæ diximus tract. 2. disp. 2. dub. 2. n. 11. Quod & patet in essentia divina, quæ formaliter repræsentat attributa & relationes; quia verò formaliter secundariò, & non primariò, non continet illa intentionaliter formaliter in se, ne dicantur ipsa habere rationem speciei.

¶ Si verò respondeas virtualiter, non idè Angelica species erit, quasi humana abstracta à singularibus: hæc enim solum repræsentat hæc confusè, obscurè, & quasi in potentia ut illis applicetur; species verò Angelica clarè, & dissertè: repræsentat enim naturam universalem non solum primariò, sed ut est actu diffusam, & distributam per sua singularia: ob quam rationem, & insimul ob connexionem cum illis, cui additur eminentialis Angelicus discursus, potest Angelica cognitio perfectè, quæ humana non nisi confusè, cognoscere ex vi speciei abstractæ à singularibus.

44 Obs. 2. Ex dictis sequitur, quod species Angelica sit quasi infinita in repræsentando: cùm, si universalis est, contrahibilis etiam sit per infinitas species, vel etiam

individua, per quæ syncathegorematicè disfundi potest, quod dici non licet: ergo nec quod asserit conclusio. Ant. prob. quia omnes naturæ, & individua in tali genere, vel specie contenta participant æquè rationem communem per speciem generalem repræsentatam: ergo vel omnes, quæ sunt infinitæ, vel nulla repræsentari debent. Resp. neg. sequelam: nam species Angelica non ita est generalis, ut repræsentet naturam, v. g. animalis, cum omni generalitate possibili, sed cum limitata, & contracta ad has, vel illas, & non ad omnes species: ad hæc vel illa, & non ad omnia individua: ita quidem, ut licet ratio quæ sit natura animalis in omni sua amplitudine; at verò ratio subqua accingitur ad illa solum singulare, per quæ actu, & non solum in potentia, Deo sic disponente, difunditur, & distribuitur. ¶ Potest etiam dici, non ex hoc quod repræsentet illa species infinita syncathegorematicè singulare sequi infinitatem absolutam: quia omnia illa continentur sub determinato genere, quod numquā transgredientur, neque superabunt: sicut anima non dicitur simpliciter infinita in perfectione ex hoc quod infinitas species superet inferiores: omnes enim istæ numquā transgrediuntur perfectionem animæ, quæ finita est.

COROLLARIVM.

45 EX dictis infer, species, quæ Angeli superiores sunt, & ipsas immaterialiores esse,

& universaliores. Sic contra Scotistas, & nonulos Thomistas cæteri Discipuli D. Thomæ, qui 1. p. q. 55. art. 3. expreſſè hanc tenet ſententiam dicens: *Sic igitur, quād Angelus fuerit superior, t.m̄d per pauciores species universalitatem intelligibilium apprehendere poterit: & idem oportet, quid ejus formæ ſint universaliores, quaſi ad plura ſe extendentes uniuersaque eorum.* Et in 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. ait: *Dicendum eſt, quid secundūm Theologos, & Philosophos oportet ponere formas ſuperiorum Angelorum eſſe magis universales.*

46 Ratione probatur: quia Deus qui infinitè perfectus, immaterialis, & intellectivus eſt, per unicam, & universalissimam repræſentat ſpeciem omnia, quæ ſunt cognoscibilia: ergo quid magis ad iſum accedant Angelii in perfectione excellentes, plus etiam erunt in operando intelligentes: ergo per plūs perfectas ſpecies iſos affidentes; atqui ſpecies, quid universaliores, ſunt etiam perfectiores ut in plurimum, & ex ſe patet: tenet ergo aſſertio noſtra. Diximus ut in plurimum propter rationem particularem, quæ militat in Christo: Pro quo vide N. Paul. tr. de Scient. Chr. diſp. 4. dub. 3. & hic tr. 9. diſp. 4. dub. 2. à n. 13.

DUBIUM V.

*AN ANGELUS INFERIOR COMPREHEN-
dat ſuperiorem?*

47 **C**omprehensio eſt juxta D. Aug. Epist. 112. in qua res ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. De ea ait D. Th.

q. 20. de verit. art. 5. Tunc unaquæque res comprehenditur, quando ejus definitio ſatur, Ex quibus verbis falli quidem videntur, qui, ad comprehensionem opus eſſe, ajunt, omnimoda æqualitate inter modum cognoscens, & modum rei cognitæ, cum hanc conditionem non exprimant DD. Aug. & Thom. in suis testimoniis: Unde hic excessus non obſtabit, quominus inferior comprehendat Angelum ſuperiorum.

48 Supponimus, Angelum ſuperiorum hac ſtricta comprehensione comprehendere ſe, & inferiorem: quia ejus intellectualitas adæquat ſuam intelligibilitatem, & ſuperat quam habet Angelus inferior. Nec loquimur in praesenti de comprehensione Angeli quantum ad ea, quæ in ipſo attingunt ordinem ſupernaturem, vel ſupernaturem exigunt cognitionem, ut ſunt futura, & ſecreta cordium, ſed quantum ad ea, quæ non ſuperant captum naturalem. ¶ Circa quam difficultatem ex omni Schola diſſentaneè notabis AA. diſcurrentes. Ex noſtra negant Caget. Ferre, God. Gon. Bajon. in ſuis manuſcrip. & alii. Negant etiam ex Jefuitica, & Scotica Suar. & alii. Aſſirmant verò ex Societate Molina, Vazq. & Rip. Ex Scot. Delgadillo cum pluribus. Ex noſtra tandem Sot. Bañ. & N.N. Salm. in praesenti diſp. 6. dub. 3. Cum quibus ſit

NOSTRA CONCLUSIO

49 **A**ngelus inferior comprehendit ſuperiorem. Audi D. Thom. 2. contra Gent.

c. 98. *Intellectus Angelī habet virtutem comprehendendi omnes species, & differentias eius. Quæ verba non de cognitione precissè quidditativa intelligenda veniunt, sed de comprehensiva: nam per hanc probat illam. Si autem essent eadem, idem per idem probaret S. Dr. quod credi nequit.*

50 Prob. ratione: Angelus inferior habet virtutem naturalem ad cognoscendum omnia prædicata tam formalia, quam virtualia, quæ in superiore reperiuntur: ergo potest illum naturaliter comprehendere: ergo & factò illum comprehendit. Prima consequentia patet ex his quæ ex Sanctorum Aug. & D. Thomæ hausimus doctrina. Secunda verò ex eo quod, si naturaliter potest comprehendere, naturaliter appetet haud minori satisfieri, quam comprehensiva cognitione. Ant. prob. quia omnia tam formalia, quam virtualia prædicata in Angelo reperta superiori non transcendunt objectum Angelici intellectus, sed quinimò ipsi sunt proportionatum juxta D. Thom. I. p. q. 55. art. 2. ubi expressè ait, quod potentia intellectiva Angelorum ad omnia se extendit naturalia cognoscenda, in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturaliter cognoscere possunt: ergo tenet ant. Quod ultrà prob. ex ipso q. 84. art. 7. ubi ait, quod sicut Angelus est proprium objectum intellectus Angelici, ita quidditas materialis est nostri intellectus; atqui quidditas materialis est objectum accommodatum intellectui nostro: ergo etiam An-

gelica intellectui Angelico.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

51 O Bf. 1. Ad comprehensionem ea opus est intellectione, quæ terminos rei comprehensæ circumscribat, (hoc quod in circumscriptione describitur locali, in qua partes locantes locatas ut minus coequare debent) sed intellectus Angelii inferioris non sic circumscribit terminos superioris ab ipso intelligendi. Hæc minor probatur: Angelus superior perfectior est, consequenterque immaterialior, & tandem intelligibilior inferiori: ergo excedit intelligibilitas illius intellectualitatem istius: ergo non coequantur: ergo nequit intellectualitas inferior intelligibilitatem superiorum circumscribere. Hæc ultima patet conseq. ab exemplo circumscriptionis localis, in qua, si corpus locabile amplius sit corpore locante, hoc non poterit illud in se comprehendere, seu circumscribere.

52 Hoc est præcipium adversariorum momentum & asylum, sed non adeò inexpugnabile castrum, sicut ipsis à semetipsis figuratur & despingitur. Ad illud resp. concessa major. negando min. cuius probationis ant. dist. est perfectior, immaterialior, & intelligibilior materialiter, & quoad entitatem, conc; formaliter, & quoad gradum intelligibilitatis, nego ant. & in eodem sensu illatas consequentias. Fatiemur quidem majorem perfectionem in Angelo superiori, imò majorem immaterialitatem, & consequenter majorem in-

tellibilitatem, hanc sumptam pro majori recessu à materia physica. A majori dicimus, non verò extra, vel supra illum: omnes enim Angeli ab usque infimo ad usque supremum in eundem intrant gradum abstractionis à Physica materia, in quo stat formalis intelligibilitas (de materiali se habente, quòd hæc in perfectiori, vel imperfectiori fundetur entitate) ita ut nec Angelus supremus accedat ad illam immaterialitatem, quæ propria est actus purissimi, & divini, quæque ab omni materia physica, & potentia metaphysica abstrahit, neque infimus ad illam descendat, quæ materiam physicam concernat. Hæc autem identitas, seu æqualitas gradus sufficit, ut inferior Angelus fines circumscribat superioris per intellectionem, de materiali se habente majori, vel minori perfectione. Id ipsum quod notabis in superficie concava corporis locantis, & convexa locati, quæ, si æquales sint in correspondentia partium ad partes, poterit una circunscribi ab alia, de materiali se habente, quòd una sit altera perfectior, v. g. quòd comprehendens lutea, & aurea sit comprehensa.

53 Obs. 2. Tom. 1. tr. 2. disp. 4. dub. 1. n. 4. diximus ex D. Thom. Deum à creatura non posse comprehendendi: quia, licet hæc omnia tam formalia, quæ virtualia videat Dei prædicata, non tamen tam perfectè, sicut sunt cognoscibilia; sed juxta à nobis præmissa in limine questionis modus cognoscendi Angeli inferioris non adæquat modum superioris cogniti: ergo hic non cog-

noscitur ab illo tam perfectè, quam cognoscibilis est: ergo nec comprehenditur: vel assignetur in quo stat hic excessus inter modos cognoscendi, & cogniti Angelorum.

Resp. dist. causalem majoris: quia non tam perfectè perfectione de materiali petita, nego; de formalis exacta, conc. causalem, & dist. min. non adæquat modum de materiali se habentem ad comprehensionem, conc; de formalis requisitum, nego min. & conseq. Ratio, quare Beatus nequit comprehendere Deum, non nititur in eo præcisè, quòd non illum cognoscat omni excoigitibili claritate utcumque, & de materiali se habente, sed omni claritate correspondenti gradui immaterialitatis, in quo Deus est, & in hoc consistit æqualitas, & proportio formalis requisita ad comprehensionem: Cùmque Angelus inferior, licet superiorem non cognoscat ea claritate, qua iste se ipsum, cognoscat verò ex una parte omnia ejus prædicata formalia, atque virtualia, & ex alia ea perfectione, & modo, qui correspondet gradui ejusdem immaterialitatis, in quo uterque collocatur, hinc est, quòd adeat sufficiens coaptatio, ut Angelus inferior comprehendere possit superiorem.

54 Obs. 3. Juxta D. Thom. 1. p. q. 106. art. 1. ad 2. Unus Angelus non illuminat alium tradendo è lumen naturæ, gratia, & gloria, sed confortando lumen naturale ipsius, & manifestando ei veritatem de his, qua pertinent ad statum nature, gratia, & gloria. Ecce Angelum illuminatum, & instructum de aliqua naturali verita-

te : ergo fallit conclusio asserens, quod, quia Angelus superior est ens naturale, potest comprehendendi ab inferiore, cum & haec veritas naturalis sit, quae tamen ab Angelo non cognoscitur inferiori, nisi a superiori edoceatur. Explico D. Thom. quoad ultimam ejus partem: manifestando veritatem circa naturalia, quae ad universi pertinent ordinem, & complementum, nego; circa futura libera, & possibilia naturalia, quae non petunt causas ad ordinem pertinentes universi, conc. ant. & dist. conf. fallit conclusio loquendo de Angelo, prout est ens naturale pertinens ad ordinem hujus universi, nego; prout loquens est secreta cordis, libera contingentia, & possibilia fieri liberè, qualiter non pertinet ad ordinem universi, conc. conseq. quia horum cognitio vel est supernaturalis, de qua non loquimur in praesenti, ut suprà prænotavimus, vel nequit haberi nisi per liberam locutionem Angeli illuminantis: quae libera illuminatio, nec veritas illuminata non cadit sub ratione entis naturalis, de quo hic loquimur, & dubio fusiùs explicabimus sequenti: quia non subest ordini causarum naturalium, sed immediatè subditur Deo. Cum vero Angelus secundum sua naturalia, & non libera nec secreta, non subterfugiat hunc ordinem causarum naturalium, continebitur quidem sub ente, de quo nobis sermo est, & itidem ab inferiori comprehendetur.

55 Obs. 4. Per species Angelis inferioris non possunt comprehendendi species Angelis superioris, di-

cente D. Thom. q. 16. de Malo art. 8. *species intelligibiles superioris intellectus sunt universiores, & ideo non possunt comprehendendi per species intelligibiles inferioris intellectus:* ergo neque ipse Angelus superior poterit comprehendendi: non enim substantia Angeli minus est intelligibilis, & immaterialis, quam ejus formæ accidentales ipsi deservientes, quales sunt species.

Resp. ad argum. Concessio ant. neg. conseq. ad cuius imbibitam probationem dicimus, quod non posse comprehendendi species Angeli superioris per inferioris species non ex eo oriri, quod istae minus sint intellectuales, quam illæ intelligibiles formaliter, nec ex eo quod universaliores superioris in diverso pro formali gradu collocentur immaterialitatis, sed ex eo quod ad comprehensio- nem requiritur, quod unico haustu (ut sic dicamus) vel unico actu hauriat intellectus notitiam rei comprehensæ. Si enim pluribus illam assequatur, neutrum per se solum erit comprehensio, & hoc intendit D. Thom. in verbis suis, quod, scilicet, nec species inferiores, nec actus earum possunt capere comprehensivè superiores, si illæ sumantur singulatim: quia species superiores, pauciores licet sint, multiplici numero inferiorum comparantur, quarum quilibet capiet quidem superiorem quoad aliqua, non quoad omnia objecta per ipsam representata: undè opus est, ut, si illam quoad omnia vult attingere, pluribus utatur actibus, quorum nullus est comprehensivus: quia aliquid relinquit in-

intactum contra rationem comprehensionis. Cùm verò Angelus superior unico cognoscatur inferioris actu, nihil relinquente intactum, ideo inferior sic illum attingens, sic etiam illum comprehendit.

DUBIUM VI.

AN ANGELUS NATURALITER POSSIT cognoscere futura libera, & secreta cordium?

56 PER secreta cordium intellige nedum actus liberos voluntatis creatæ, sed & actus intellectus, & appetitus sensitivi, qui ex libera pendent voluntate illos elicentis. De his dubium procedit; nullum autem est, quin, si actus sint necessarii, ut amor quo Angelus se ipsum, vel Deum ut Auctorem naturalem amat, possit illos alius Angelus cognoscere: & idem dicimus, si, licet sint liberi, dirigantur ab illos eliciente, ut ab altero percipiantur Angelo.

PRIMA ET CATHOLICA CONCLUSIO.

57 Angelus non potest vi-
ribus naturæ cognoscere futura libera. Hanc conclusio-
nem ut de fide, vel fidei proximam sequuntur nedum Catholici,
verum & Hæretici, paucis exceptis Philosophis, qui Astrologicis nitentes falsimoniis, oppositum tenuere. Prob. ex sacra pag. nam Isai 41.
v. 23. dicitur: *Annuntiate quæ futura sunt in futurum, & sciemus, quia dii es- tis vos.* Et c. 46. v. 10. Nec est similiis mei: *Annuntians ab exordio novissimum, & ab initio qua nescium facta*

sunt. In eamdem conspirant veritatem plura SS. PP. testimonia. ¶ Prob. 2. ratione: deficit medium, in quo Angelus talia futura libera cognoscat: ergo non illa cognoscit. Ant. prob. non in se ipsis, cùm, si futura, nullam habent existentiam; sed nec in causa libera creata: hæc enim est indifferens, ut illos eliciat, vel producat: ergo non est medium.

ARGUMENTA CONTRA PRIMAM Conclusionem.

58 O Bf. 1. Angeli noscunt, quos movent orbes, & ex illis futura libera: ruit ergo conclusio. Ant. prob. 1. ex illo Gen. 1. Fiant luminaria.... ut sint in signa. & exponit Origines: *In signa futuri liberi.* 2. ex illo Job. 37. *Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua;* sed hæc Angelos non prætereunt signa: ergo &c. 3. Ex quodam lib. qui inscribitur *Narratio Joseph,* magni apud multos habitio Catholicos, ut refert Sixtus Senen. in quo traditur hæc Jacob filiis suis sculpsisse verba: *Legite in tabulis Cœli quæcumque eventura sunt vobis, & filiis vestris:* ergo in illis legent, noverint que Intelligentiæ motrices, scilicet Angeli, libera futura. Sed hæc, & alia parvi sunt momenti: vel enim intelliguntur de effectibus naturalibus per causas indicatis naturales, vel de cognitione solummodo conjecturali non utique certa. Si verò contrarium nostræ conclusioni suadere intendant expositio Origenis, & liber Joseph, illa ut erronea, hic ut apocriphus tenendi sunt.

Obs.

59 Obs. 2. D. Thomam 2. 2. q. 95. art. 5. laudantem Astrologiæ partem, quæ dicitur *divinatoria*, seu *judiciorum iuxta*; sed hæc pars Astrologiæ dirigitur ad prædicendos etiam liberos eventus: ergo per hanc scientiam poterunt illos præfigere Angeli. Resp. D. Thom. contrahere in prædicto loco laudem Astrologiæ ad effectus naturales, expressèque dampnare extensionem ad effectus libere contingentes: quasi ex tunc prævidens horum cognitionis proscriptiō nem à Sixto V. in suo motu incipienti: *Cæli, & terra creator Deus, indicatam.*

60 Obs. 3. Angelus habet ab initio species omnium futurorum: ergo potest ab initio, & semper illa cognoscere. Ant. probatur: Angelus habet species omnium rerum, quas, dum existant cognoscet; sed hæc sunt futura, & futura libera: ergo ab initio, &c. Dist. ant. habet ab initio species futurorum circa quid eorum, conc; circa quod illorum, nego ant. & conseq. Et probationis maj. dist. habet species repræsentantes res signatè sumptas, conc: exercitè, subd. dum actu existunt, conc; antecedenter, nego maj. & concessa min. nego conseq. Est dicere, quid cognoscit quidem Angelus ab initio res, quæ futuræ sunt, quid sint, quod est cognoscere essentiam signatè sumptam; non verò cognoscit quod erunt, (quod est cognoscere essentiam exercitè existentem, vel extitaram) usque dum actu per productionem jam existant.

61 Dices: ergo quando actu

species Angelicæ repræsentent res ut productas jam, & existentes, mutabuntur, vel opus erit ad distinctas recurrere species pro earum existentiæ cognitione, quod reprobatur D. Thom. quodlib. 7. art. 3. ad 2. et q. 16. de Malo art. 7. ad 13. Resp. neg. conseq. nam prædictæ species semper, & ab initio repræsentant, quantum est ex se & in actu primo res exercitè existentes, & solùm expectant illarum productionem, ut, hanc connotantes, illas & in actu secundo repræsentent, & hoc absque ulla sui immutatione, tota hac se tenente ex parte rei producendæ. Haud secūs quām relatio filiationis ad primum filium ex se habet quantum requiritur, ut Patrem referat ad alios extituros; actu verò non refert, usque dum connotet eorum generationem, qua verificata, absque ulla sui intrinseca mutatione, perque solam eorum connotationem existentiæ, refert in actu secundo, ad quos solùm in actu primo priùs referebat.

62 Obs. 4. Angelus scit nullas habere species, nisi earum rerum, quæ aliquandò erunt: ergo ex illis habitis inferet evidenter, & cognoscet futuros liberos eventus: ergo ruit conclusio. Ad hoc, quod magnificat Ferre, argumentum (quippè suum) facile fit satis negando ant.: habet enim Angelus alias species rerum possibilium, quæ non sunt extituaræ, dummodò contineantur in virtute causarum ad hoc Universum pertinentium: quo sic stante quis est qui Angelum notificet, quæ præ aliis extituaræ sint? nemo quidem ergo

ergo non eas cognoscet.

CONCLUSIO SECUNDA.

63 **A**ngelus non habet virtutem naturalem ad cognoscenda secreta cordium naturalia. Huic savent sententiæ passim plura Scripturæ testimonia, ut illud Paralip. 6. v. 3. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* Et illud Jerem. 17. *Primum est cor omnium & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Et exponit Hieronymus: *Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* Illud etiam Apost. 1. ad Corinth. 2. *Quis enim hominum sit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* erg. &c.

64 Ratione prob. 2. D. Thomæ, qui 1. p. q. 57. art. 4. expressè ait: *Angeli non cognoscunt secreta cordium.* Sic ergo probatur: Actus liberi creati, & omnino occulti soli Deo, illos, que eliciendi subduntur immediatè: ergo nemo præter Deum, & eliciendem valet eos acie suæ mentis penetrare, licet sit Angelica. Ant. probatur: si enim eos alius præter eliciendem penetraret, hujus etiam scientiæ scrutinio panderentur, habetque libertatem, vellet nollet auctor eorum, illos scrutandi, quod est proprium Dominorum, ut patet in domus Domino, cui ut tali abditiores illius latebras, & angulos liberè explorare licet, & risari: ergo sicut absconsum est rationi, & juri possessoris domus, quod alias, qui non sit ipse, vel Dominus omnium, qui est Deus, suæ domus abscondita latibula rimetur, ita erit

præter omne jus naturale, atque rationem, quod alias præter Deum, & Auctorem, seu possessorem suorum secretorum, valeat hæc reservare atque dignoscere: ergo soli Deo, & Auctori eorum subditur eorum notitia.

65 Prob. 3. ex D. Thom. qui 1. p. q. 56. art. 2. ad 4. ait: *Unde ejusdem rationis est, quod Deus adderet aliquam creaturam Universo, ac aliquam speciem intelligibilem Angelo.* Ex quibus verbis planè sequitur, non aliorum habere Angelum species naturales, quam eorum quæ pertinent ad Universum actu vel potentia. Nunc sic; sed secreta cordium non pertinent ad illud: ergo horum non habet species, & consequenter neque cognitionem. Minor probatur subsumpta (priùs advertendo, Deum non esse partem hujus Universi, sed supra illud: hoc enim est ens creatum, Deus autem increatus, & illius creator est. Porro sic illud creavit, & concatenavit, ut omnes causæ particulares à suis universalibus pendeant; si autem aliqua non sic subjaceat causis universalibus creatis, sed immediate Deo subjiciatur, hæc non pertinebit ad ordinem hujus Universi, sed quinid ab ejus ordine salit) jam sic; sed tales sunt actus liberi, & occulti voluntatis creatæ, ut à nulla pendeant causa creata Universali, sed ab humana particulari, cuius libertas soli Deo subditur: (quia nec Angelus, nec Dæmon possunt impedire, ne quæ velit operetur) ergo non pertinent ad ordinem Universi, & consequenter nec ad cognitionem Angelorum.

ARGUMENTA CONTRA HANC SECUNDAM conclusionem.

66 **S**ubt. Dr. cum omnibus suis Discipulis, Gabriele, Duran. & aliis contrariam nostræ tenent sententiam, pro qua obs. 1. Angelus habet species etiam circa actus liberos, & secretos voluntatis creatæ: potest ergo illos cognoscere. Ant. prob. tales actus, si ex parte elicientis illos dirigantur, ut ab alio intelligentur Angelo, reapse ab hoc intelligentur; sed non per novam specierum infusionem, si quidem ab initio habuit omnes, quas semper habiturus erat: ergo per species naturales ab initio infusas. Resp. dist. ant. habet species materialiter, & entitativè tales, conc; formaliter connotativè, nego ant. & conseq. Ad probat. concessa maj. dist. min. non per novam infusionem entitativè sumptam, conc; connotativè acceptam, neg. min. & conseq. sub eadem dist. Ab initio habet Angelus species omnium cordis secretorum, species quidem entitativè acceptas, non verò formaliter tales, usque dum connotent directionem illorum ex parte habentis illa, ut ab altero intelligentur: sic enim, & haud secùs, pertinent aliquomodo ad ordinem Universi, saltim negative, in quantùm non solum subduntur Creatori, sed & creature illi, cui, ut intelligentur, expoununtur.

67 Obs. 2. Plura sunt, quæ à Deo tantùm, & immediate producuntur, ut sunt Cœli, Angeli, &

anima rationalis, & consequenter nec aliis causis generalibus creatis subjiciuntur; & tamen à quolibet intelliguntur Angelo naturaliter: ergo ratio ultima, in qua nostra nititur conclusio, infirmatur. Resp. quod omnes naturæ sive corporales, sive spirituales ad hoc pertinent Universum constituendum, etiam si à Deo immediate producantur, dummodo aliquem ordinem superioris, & inferioris servent inter se, illumque servare in argumento naturas nominatas, manifestè constat: nam in primis anima, seu homo per ipsam constitutus subjicit sibi omnia hujus mundi membra sublunaria juxta illud Psalm. 8. *Quid est homo, quid memor es ejus? :: Omnis subiectus sub pedibus ejus.* Rursus anima in quantum pars corporis subditur influentiæ Cœlorum: nam *Sol & homo,* inquit Philosophus, *generant hominem.* Cœli etiam agitantur per intelligentias motrices, seu Angelos. Ex his insimi dependent à mediis, & medii à supremis, ut illuminentur (quod docet D. Thom. 1. p. q. 106. art. 4.) & tandem supremus dicit ordinem superioris ad suos inferiores: Unde omnes suo modo ordinate constituant Universum: ergo licet à Deo immediate producantur, non ideo partes esse desinunt hujus Universi, & consequenter ab Angelo cognosci debent. Secreta verò cordium sine ullo ordine inter se subjiciuntur immediate Deo, & eorum auctori: quare non sunt partes Universi, & ideo ab omni vel Angelico absconduntur intuitu.

68 Obs. 3. Secreta cordium sunt objectum proportionatum intellectui Angelico: neque enim supernatura-
lia sunt, nec sub latitudine entis naturalis contineri desinunt: ergo pos-
sunt per ipsum naturaliter cognosci. Resp. negando ant. Aliud enim est,
quod ab Angelo absolute cognosci possint, & hoc quidem concedimus:
potest enim de potentia Dei irregu-
lari ad illorum attingentiam elevari,
sed hoc solum probat, quod secreta sint objectum extensivum intel-
lectus Angelici, sicut de Deo tr. 2.
diximus, & de objectis supernatu-
ralibus conseruantur omnes; aliud ve-
ro, quod sine inversione ordinis
operandi naturalis talia secreta dig-
noscantur, & hoc quidem negamus:
quia non sunt objectum intensivum,
seu proportionatum intellectus crea-
ti, quod, ut dictum manet, solum
est ens naturale ad ordinem perti-
nens Universi. Unde, licet non opus
sit lumine superno pro intelligentia
secretorum, requiritur vero directio
eorum possessoris, quae directio
non est in voluntate Angeli ea in-
tellecturi, sed Angeli intelligendi.

69 Obs. 4. Actus sensitivi hu-
mani tam interni, quam externi pen-
dunt a libero arbitrio illos elicien-
tis; & tamen ab Angelo dignoscun-
tur: ergo non quia secreta dicta li-
bera sint, & ab ordine Universi in-
dependentia, non ab Angelo penetra-
ri poterunt. Ad hoc argum. respe-
ctu D. Thom. i. p. q. 57. art. 4.
ad 3. quod Angeli possunt cognoscere
quod est in appetitu, & apprehensione
phantastica (multo melius in externa
parte) brutorum animalium, & etiam

hominum secundum quod in eis quandoque
appetitus sensitivus procedit in actum, se-
quens aliquam impressionem corporalem,
sicut in bratis semper est. Non tamen
oportet, quod Angeli cognoscant motum
appetitus sensitivi, & apprehensionem phan-
tantasticam hominis, secundum quod movetur
a voluntate, & ratione: quia etiam in-
ferior pars animae participat aliqualiter ra-
tionem. Nec tamen sequitur, quod Ange-
lus cognoscat id, quod est in cogita-
tione & voluntate: quia voluntas ratio-
nal is hominis (inquit superius in corp.)
soli Deo subiecta, & ipse solus in eam
operari potest &c. Unde in forma dis-
tinguenda est major argumenti: &
concessa ea de actibus sensitivis, vel
externis motis per impressionem cor-
poralem, neganda est de eis, si per
voluntatem regulerint rationalem.

DUBIUM VII.

UTRUM ANGELUS POSSIT CERTO NA-
TURALITER COGNOSCERE EFFECTUS SUPERA-
TURALES, & MYSTERIA GRATIAE?

70 **R**Aymundus Lulius tenuit
Angelum omnia, nul-
lo dempto, mysteria gratiae posse vi-
ribus cognoscere naturae: quam ta-
men sententiam a Greg. XI. pro-
scriptam esse ferunt. Schola Scotica
cum suo subt. Magistro in 4. dist.
10. q. 8. non omnia, sed aliqua
mysteria concedit ipsi naturaliter nos-
cenda. Quid nos cum D. Thom.
Mag. Sent. & communi Scholastico-
rum plebe, dicat sequens



NOSTRA RESOLUTIO:

AUDIAMUS SCOTISTAS.

71 **A**ngelus nequit natura-
liter aliquod myste-
rium gratiæ certò cognoscere. Au-
diatur i. D. Thom. i. p. q. 57.
art. 5. Si enim unus, inquit, Ange-
lus non potest cognoscere cogitationes alte-
rius ex voluntate ejus dependentes, mul-
tò minus potest cognoscere ea, quæ ex so-
la Dei voluntate dependent; atqui Auc-
tor mysteriorum gratiæ sola Dei est
voluntas, & potentia: ergo nullus
præter Deum, vel ejus auxilio fre-
tus, poterit ea naturaliter cognos-
cere.

72 Prob. 2. ratione: Nam ea,
quæ non pertinent ad ordinem Uni-
versi, nequeunt ab Angelo, ut se-
penumerò jam diximus, cognosci;
atqui mysteria gratiæ non pertinent
ad ordinem Universi, imò sunt ex-
tra, & supra totum rerum natura-
lem ordinem, & ideo dicuntur su-
pernaturalia: ergo nequeunt per An-
gelum cognosci.

73 Prob. 3. alia communissima
ratione: Mysteria gratiæ sunt ob-
jectum improportionatum intellectui
Angelico: ergo nequit hic ea cog-
noscere. Ant. prob. objectum pro-
portionatum alicui potentia debet esse
ejusdem ordinis cum ea (undè nulla
potentia corporeæ potest attingere ob-
jectum spirituale, ut vel Scotistæ no-
bis concedunt: quia sunt diversi or-
dinis) sed talia sunt intellectus An-
gelicus & mysteria gratiæ, ille, scilicet,
naturalis, hæc autem super-
naturalia: ergo hæc ab illo nequeunt
naturaliter cognosci.

74 **O**bs. 1. Plura sunt, quæ
dependent unicè, &
immediatè à voluntate Dei, ut An-
geli, anima, & Cœli, quæ tamen An-
gelus naturaliter cognoscit: ergo fal-
so incumbit momento nostra resolu-
tio. Resp. neg. ant. & ad exem-
pla dicimus, quòd talis sunt natu-
ræ Angelii, anima, & Cœli, ut
connectantur cum Universo, & in-
ter se; cum illo quidem, ut illius
partes; inter se: quia anima in qua-
tùm pars corporis dependet ab in-
fluentia Cœlorum, hi autem à mo-
tione Angelorum, & ex ipsis de-
mum unus ab alterius illuminatione
usque ad supremum. Ex quo se-
quuntur, quòd, licet à Deo immediatè
creentur, creantur verò cum dicta
connexione, & ordinatione, ut con-
stituant Universum, & ideo sunt
partes illius ab Angelo cognoscibi-
les; cujus contrarium fit in myste-
riis fidei, quæ non connexionem,
sed excellentiam dicunt super Uni-
versum.

75 Obs. 2. Angelus naturaliter
cognoscit, Corpus Christi esse in Eu-
charistia: est enim omne humanum
corpus ens naturale ad ordinem per-
tinens Universi; sed modus, quo
est, est supernaturale mysterium:
ergo cognoscit hoc, & consequen-
ter alia. Respondet D. Thom. 3.
p. q. 76. art. 7. ubi loquens de
hoc mysterio cognoscendo, sic ait:
Sed neque etiam intellectus Angelicus se-
cundum sua naturalia sufficit ad hoc in-
tuendum. Undè Demones non possunt vi-
dere

dere per intellectum Christum in hoc sacramento, nisi per fidem, cui non voluntarie assentiunt, sed ad eam evidentia signorum convincuntur. Nihilominus tamen aliqui ex nostris probabiliter admittunt, posse quidem Corpus Christi naturaliter ab Angelo cognosci quoad ejus substantiam, quæ naturalis est, non verò quoad modum, qui super naturam est. Melius autem est dicendum, quod nec quoad substantiam: quia Corpus Christi prout ibi non est pars Universi, nec ordinem dicit ad illius partes.

76 Obs. 3. Angelus naturaliter cognoscit dotes corporis gloriose; sed hæ sunt supernaturales: ergo cognoscit naturaliter aliquod supernaturale: ergo omnia. Major prius (& posterius minor) probatur: videt enim naturaliter Corpus cum alio penetrari, quod est effectus; cognito autem effectu, cognoscitur & causa: ergo &c. Minor etiam ex D. Thom. in 3. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 4. ubi sic ait: *Claritas hujus vite, scilicet naturalis, non est proportionabilis claritati Patriæ, sed alterius generis existens.* Idem tradit aliis in locis à NN. Salm. tr. 9. disp. 3. n. 40. laudatis: ergo tenet minor, & consequenter consequentia.

77 Resp. concedendo Angelos cognoscere dotes Corporis gloriose: nam & visui corporeo concedit videre gloriosam claritatem D. Thom. in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. quæstiunc. 2. ad 1. (quod adducitur in suplem. 3. p. loco supr. relato ad 1.) per hæc verba: *Dicendum, quod gloria claritas erit alterius generis, quam claritas naturæ quantum ad speciei causam,*

sed non quantum ad speciem. Unde sicut claritas naturæ ratione speciei sua est proportionata visui, ita claritas gloria. Si ergo visus corporeus videre potest gloriosam dotem, quantò magis Angelus eam cognoscere? Negamus vero, quod hæc, & aliæ dotes sint supernaturales, ut hæc D. Thomæ indicant verba: ajunt enim, quod solum sunt *alterius generis* (hoc est ordinis) quantum ad speciem illas causantis, non quantum ad suam propriam. Et sub hoc sensu interpretandus est D. Thom. in prima auctoritate: vel dicendum est, esse quidem dotes supernaturales, ut etiam repetit D. Thom. in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. quæstiun. 2. & in suplem. ad 3. p. q. 85. art. 1. non verò simpliciter, eaque supernaturalitate, quæ propria est gratiæ & gloriæ, scilicet supra omnem naturam creatam, & creabilem, sed secundum quid, talique, ut procedat à causa supernaturali, ut resurrectio mortui, sitque præcessè supra naturam corporis humani, non verò supra omnem: sed de hoc iterum tr. de Beat. disp. 2. dub. 7. Sed adhuc

78 Dices: *Dos gloria est proprietas visionis beatæ; cognita autem proprietate, vel effectu, cognosci etiam debet causa, vel essentia:* nam relativa sunt simul natura & cognitione, si rectè assignentur: ergo, si dotem Angelus, & gloriam poterit naturaliter cognoscere. Permissa majori (posset enim haud temerè dici dotem esse accidens commune: quia claritatem, & subtilitatem sæpè Deus communicavit corporibus

bus non gloriose) dist. min. cognita proprietate (vel effectu) cognoscitur essentia, vel causa, si sint ejusdem ordinis, conc; si diversi, nego min. & conseq. En exemplum: Potentia visiva est proprietas animæ, & tamen illa cognita, non hæc cognoscitur: quia sunt diversi ordinis, scilicet intellectivi, & sensitivi. Axioma imbibitum se ipsum solvit per ly si recte assignentur; in præsenti verò recte nequeunt assignari ob defectum correlativi unius cogniti impossibilis, quippe superioris ordinis. Pro horum vide intelligentia NN. Complut. abrev. in de Relat. q. 6. n. 37.

79 Obs. 4. Angelus Dæmon cognoscit naturaliter suum peccatum habituale; (est enim quid naturale, & effectus peccati actualis, quod etiam est quid naturale) sed peccatum habituale est privatio gratiæ, & privatio nequit cognosci sine forma, qua privat: ergo cognoscet Angelus illam, qua peccatum privat, scilicet gratiam supernaturalem. Resp. negando ant. imò nec posse cognoscere peccatum actuale concedimus, nisi media revelatione, & Fide supernaturali: licet enim neutrum sit entitativè naturale, est tamen utrumque aversivè supernaturale. Undè, sit summum potest illud cognoscere, ut oppositum virtuti naturali. Ex defectu verò hujus cognitionis ne inferas, peccata infidelium hominum non esse mortifera, nec meritoria pena æterna: quia peccando contra finem naturalem delinquunt appetitivè, & virtualiter contra finem supernaturalem, ad quod sufficit

cognitio virtualis, & implicita illius.

80 Obs. 5. Angelus cognoscit plura miracula, v. g. Resurrectionem, visus restitutionem, &c. Quis hoc neget? ergo cognoscit causam, quæ supernaturalis debet esse: ergo ruit concl. Resp. juxta communissimum placitum Auctorum concedendo Angelum non solùm cognoscere aliqua miracula, v. g. nominata, verum & eorum auctorem, & tamen per hoc nihil supernaturale in hoc, nec in illis cognoscere: quia hæc non dicuntur miracula, quia sunt supra omnem naturam, sed quia sunt præter naturam, & contra communem illius cursum in operando: Majus enim opus est creare Angelos, ad quod nulla creatura, nec instrumentaliter, concurrere potest, quam restituere visum cæco, ad quod potest uti Deus creatura, ut instrumento, & tamen primum est opus naturæ non miraculosum, & secundum dicimus miraculum: poterit ergo hujus cognitionem Angelus habere naturaliter. Si verò supponamus, miraculum ejus esse indolis, ut causam petat supernaturalem effectricem, tunc cognoscet quidem illud, si sit naturale, non verò hanc, quia superioris ordinis est. ¶ Posset etiam dici, cognoscere in hoc casu Angelum causam supernaturalem quoad *an est*, hoc est, esse quidem aliquam causam superiorem: non verò quoad *quid est*, hoc est quidditatem hujus causæ.



DUBIUM VIII.

UTRUM ANGELUS POSSIT SIMUL INTELLIGERE PLURA UT PLURA? POSSIT ETIAM OPERARI PER DISCURSUM?

PRIMA RESOLUTIO.

81 **A**ngelus nequit simul cognoscere plura ut plura. Sic D. Thom. 1. p. q. 58. art. 2. ibi: *Ex quo patet, quod multa, secundum quod sunt distincta, non possunt simul intelligi, sed secundum quod uniuertur in uno intelligibili.* Nunc sic; sed plura ut plura intelligimus ea, quae nec in se sunt unum, nec in aliqua specie, vel medio unificantur: ergo Angelus illa sic cognoscere non valet. Et hoc in sensu intelligendus est Sanctus, dum q. 8. de Verit. art. 14. ad 7. ait: *Contingit simul cuncta sicut, non simul multa intelligere.* Id ipsum expressè docet 1. p. q. 85. art. 4.

82 Prob. 2. ratione deduc̄ta ex ipso in præsenti: Angelus nequit cognoscere plura ut plura unica, nec pluribus cognitionibus: ergo nullo modo. Ant. prob. quoad primam partem: nam sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti (inquit laud. D. Thom.) ergo Angelus unica operatione nequit plura ut plura intelligere: est enim hoc terminus totius lineæ intellectivæ. Quoad 2. partem prob. quia ad intelligendum simul multiplici operatione opus erat intellectum uti simul multiplici specie actu & simul operantibus, hoc autem esse possibi-

le negat D. Thom. 1. p. q. 85. cit. per hæc verba: *Impossibile est ergo, quod idem intellectus simul percipiatur diversis speciebus intelligibilibus ad intelligendum diversa in actu: ergo impossibile est etiam, quod multiplici operatione possit intellectus plura, ut talia, simul intelligere: sicut impossibile est (addit ibi D. Thom.) quod idem corpus secundum idem simul coloreatur diversis coloribus, vel figuretur diversis figuris.*

83 Prob. 3. hac brevi ratione: quia intelligere est ultima actualitas in linea intelligibili; sed hæc nequit esse multiplex simul. Prob. hæc minor paragio sumpto ab existentia, & puncto, quæ, quia terminant ultimatè, illa essentiam, hoc lineam, nequeunt simul dari nec duæ existentiæ in una essentia, nec duo ultima puncta in unico linea extremo: ergo nec plures simul ut plures intellectiones in unico intellectu.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

84 **O**ppositam tenent sententiam Suar. Vazq. Molina, & alii, cum quibus. Obs. 1. illam paſſim invocatam ab omnibus parœmiam: *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus:* quæ non inficias it plura simul nosci posse, sed posse supponit, & minorem attentionem ponit: ergo, si hoc nobis, potiori Angelis jure dandum est. Facile fit satis dicendo, quod axioma non loquitur de pluribus simul, sed de pluribus successivè hinc indè ocurrentibus materiis, quarum succeden-

dentes obscurant, & à memoria abi-
re cogunt præcedentes.

85 Obs. 2. Angelus potest si-
mul uti pluribus speciebus, insimul
que habere plures cognitiones: ergo
non tenet ratio D. Thom. n. 82. exposita. Ant. prob. Angelus sem-
per utitur essentia divina per mo-
dum speciei, quæ tamen non impe-
dit, quominus utatur sua substan-
tia, ut se, & aliis speciebus, ut
alia à se, cognoscat; sed aliudè ne-
quit pluribus uti speciebus ad uni-
cam eliciendam cognitionem, ut ex
se liquet: ergo plures elicet, & con-
sequenter plura ut plura cognoscat.
Resp. ad argum. fatendo quidem
posse simul uti Angelum tribus no-
minatis speciebus, non tamen ut
plures sunt, sed per modum unius:
quia, cùm visio beata sit participa-
tio divinæ, nequit non subordinare
sibi omnes cognitiones inferiores, si-
cūt species ejus, scilicet essentia
divina, omnes creatas species Uni-
versi, quæ subordinatae, seu in
unam superiorem ordinatae habent
ex hac unitatem ordinis, sicut Or-
dines Sacri per ordinem ad Pres-
byteratum unum dicuntur Sacramen-
tum Ordinis. Undè non plures ut
plures sunt species, neque cognitiones,
sed plures ut una, vel ad unius insi-
tar unitate ordinis.

86 Obs. 3. Angelus habet plu-
res species disparatas: ergo potest,
simul eis utens, cognoscere objecta
disparata, quæ idem sunt ac plura
ut plura. Ant. est certum, & con-
sequens infertur: quia species sunt
ipsa objecta in esse intelligibili: er-
go, si illæ, & ista erunt disparata. Et

quidem quis dubitet disparata esse
objecta ipsum Angelum, Cœlum,
quod movet, motionem Cœli, &
custodiā hominis: & in Dæmone
cruciatum æternum, & animarum
tentationem? Si autem omnibus
speciebus velit simul uti, quibus
mundum cognoscat universum: quis
inficietur hoc in casu, & plures esse
cognitiones, & plura objecta dispa-
rata? ergo & plura ut plura cog-
nita.

Resp. dist. ant. habet plures spe-
cies disparatas in habitu, seu in pos-
sessione, conc: in actu, seu in usu, sub-
dist. plura materialiter, conc: formaliter,
nego ant. & conseq. Habet qui-
dem Angelus plures species dispa-
ratas: nequit tamen simul eis uti dis-
paratæ, sed ordinatæ, quatenus ea
omnia (aliæ disparata in esse enti-
tativo) à Deo in unum aliquem fi-
nem, veluti in ejus gloriam aut
justitiam, vel etiam ab ipso An-
gelo in aliquem à se intentum or-
dinantur. Et per hunc modum sol-
ves omnia, quæ id genus argumen-
ta objici possunt noltræ conclusi-
oni.

87 Obs. 4. Visus corporalis vi-
det simul plura ut plura: videt
enim simul, & distinctè arbores,
herbas, flores, & fontes, quæ
vigent, & nascuntur ruri: videt
etiam simul multos etherogeneos,
qui fasciculum componunt, flores:
ergo multò magis solertissimus, &
spiritualissimus Angeli mentalis vi-
sus id ipsum poterit erga sua objec-
ta. Resp. 1. ex D. Thom. quodl.
7. art. 2. ad 1. quod visus om-
nia illa per modum videt unius,
quod sufficit, ut unico ea intueatur

actu. Resp. 2. quod, cum sensus sit materialis, & extensus, potest secundum unam partem unum, & secundum aliam & alias, alia, & alia videre objecta. Resp. 3. quod, licet nobis videatur simul omnia videri, ob citissimam aciem oculorum in videndo, sic tamen non esse corrigit ratio philosophica.

SECUNDA CONCLUSIO.

88 **A**ngelus non intelligit discurrendo. Sic omnes

Thomistæ cum D. Thom. 1. p. q. 58. art. 3. Et 1. 2. q. 89. art. 4. ubi sic ait: *Intellectus Angelis, sicut in primo dictum est, non est discursivus, ut scilicet procedat à principiis in conclusiones, seorsim utrumque intelligens, sicut in nobis contingit. Unde oportet, quod quandocumque considerat conclusiones, consideret eas, prout sunt in principiis.*

89 Prob. ratione D. Thom. Ad discursum opus est duplex cognitio, una quarum principia, seu præmissæ, alia conclusiones attingantur; sed Angelus non sic, sed in ipsis principiis unica, & simplici attingit cognitione conclusiones. Hæc minor prob. quia aliter debet operari *Intelligentia, ac rationale*: ergo si *rationale*, quod est homo, duplii attingit illa cognitione: *Intelligentia*, quæ est Angelus (sic enim vocatur) unica attinget ea, vel assignetur in quo stat distinctio, & excessus in modo cognoscendi Intelligentiæ super rationale: nam, si dicatur, quod in clariori, vel intensiori modo cognoscendi, hic etiam verificatur excessus inter rationales, quorum ali-

qui clarius, & intensius, quam ali intelligent objecta.

90 Et quidem debilitas intellectus nostri in causa est, ut, cognito principio, non intelligat intransitive conclusionem, sed percurrente (hoc enim est discurrere) ab una in alteram cognitionem; & per hunc motum discursivum perficitur intellectus noster, qui aliunde in primo cognitionis iœtu in via est, ut in conclusione terminetur. Ex quo sic prob. 2. conclusio alia D. Thomæ ratione: nam ita se habet substantia suprema inter intellectuales creatas, sicut suprema corporea inter inferiores corporales; sed suprema corporea, scilicet Cœlestis, statim à principio, & præcissive à se movendo, habet suam ultimam perfectionem, inferiora vero corpora non sic, sed per varias mutationes, & alterationes perficiuntur: ergo similiter ita debet intelligere substantia suprema intellectualis seu Angelica, ut non per motum discursivum, sed à principio cognitionis totum objectum possideat, & attingat cognoscendum; substantia vero inferior, seu rationalis quasi per partes de una in aliam se mouendo, seu discurrendo illud attingat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA
hanc secundam conclus.

91 **O**ppositum sentiunt absolutè Scot. cum sua Schola, & plures ex Suaristica, quantum hi docent Angelum, si velit, posse uti discursu: imò Suarez, & alii

alii tenent necessariò discurrere circa objecta supernaturalia , futura contingentia , & secreta cordium. Pro quibus obs. 1. D. Thomam , qui 1. p. q. 89. docet , quòd Angelus attingit sua objecta naturalia , sicut anima separata. Et de hac ait 3. p. q. 11. art. 3. ad 3. *Vt collatione , & discursu est connaturale animabus Beatorum , non autem Angelis : ergo &c.* Se ipsam solvit hæc objectio : ait enim D. Thom. *non autem Angelis convenit uti discursu.* Quomodo verò hæc co-hæreat cum prima auctoritate ? Facile quidem , dicendo , quòd paritas in illa tacta consistit non in discurrendo , sed in eo quòd sicut Angelus non convertitur ad phantasma , sic nec anima separata. Hanc verò discurrere tebet ipse D. Thom. ultra locum citat. in 3. dist. 31. q. 2. art. 4. in C. ubi docet , animas damnatas , cùm careant scientia infusa , & solum acquisitam possideant , de necessitate discurrere. Nihilominus probabile est , eas separatas non discurrere. Vide N. Paul. hic circa finem n. 162. & sic longius abit paritas.

92 Obs. 2. Angelus duplici cognitione , una ex alia deveniente , cognoscit hominem esse rationalem , & quia rationalem , esse risibilem , & similiter se ipsum ut effectum , & Deum ut causam : ergo discurrit. Prob. ant. In Angelo datur scientia ; sed scientia est per demonstrationem , demonstratio autem est discursus : ergo tenet ant. Dist. ant. duplici cognitione virtualiter , conc; duplici formaliter , nego ant. & conseq. Ad probat. concessa maj. dist.

Tomo II.

min. scientia est per demonstratio-nem formalem , vel virtualem , conc; formalem precisè , nego min. & conseq. Ad scientiam sat est cognosce-re effectum in causa , & conclusio-nem in principio , quin opus sit du-plici uti intellectione , sed una , quæ æquivalenter est plures , ut patet in divina scientia : per unam quip-pe Deus , & Angelus cognoscunt quidquid homo discurrendo per plu-res.

93 Obs. 3. Voluntas imitatur in operando modum intellectus , ut docet D. Thom. 1. p. q. 64. art. 2. sed voluntas Angelica ex una ope-ratione movetur in aliam , scilicet ex intentione finis in electionem mediiorum , quæ sunt duplex opera-tio realiter distincta : ergo poterit si-militer ex intellectione unius in al-terius moveri discurrendo. Resp. ex Doctrina D. Thom. 1. p. q. 60. art. 2. in. C. esse disparitatem in eo quòd intellectus trahit ad se res , & mediis speciebus impressis universalibus adunat eas in ea uni-versalitate specierum , undè oritur adunatio operationum ; at verò pars appetitiva fertur ad res prout sunt in se & sine hac adunatione , undè ori-tur multiplicitas ipsarum in se , & consequenter operationum in vo-luntate.

94 Obs. 4. Potest Angelus (quis hoc tollet ab ejus libertate ?) uti speciebus pro suo arbitrio inadæqua-tè , ita ut cognoscat principia solum , & deinde cognoscat conclusiones ex prima motus cognitione : ergo sal-tim in hoc discurret casu. Resp. hunc modum imperfectum operan-

di tolli à suo perfecto , & connaturali modo operandi , & conjungendi cognitionem principiorum , in quantum talium , cum cognitione conclusionum prout talium : si autem est naturalis , quis eum tollet ab eo ? Prout talium , inquam , quia , si considerentur non ut principia , nec ut principiata conclusiones , sic non sunt objectum intellectiois scientiae , neque discursivae , de qua loquimur.

95 Obs. 5. Contingit Angelum ex aliquo signo externo certo cognito conjicere internum aliquid sibi occultum , quandò hoc non necessariò cum illo connectitur , ut de Dæmone ferunt conjectasse Incarnationem ; sed tunc datur discursus. Prob. hæc . nam tunc datur una ex alia cognitione proveniens : ergo & discursus. Ant. prob. Unica cognitio nequit esse certa , & conjecturalis : ergo est duplex ; sed alias una ex alia habetur : ergo tenet ant. Resp. unicam tantum esse in proposito casu cognitionem , quæ quatenus cognoscit signum , dicitur certa ; quatenus verò cognoscit connexionem illius cum signato non esse necessariam , dicitur conjecturalis intellectio. Hæc autem intellectio una est , & ut summum duplex virtualiter , & consequenter virtualis solum discursus , quem in Angelo non renuimus dari.

ALIQUA COROLLARIA.

96 **E**X dictis infer 1. Angelum nec circa supernaturalia objecta discurrere valere. Sic D. Thom. q. 8. de verit. art. 15.

ad 2. ubi etiam extendit negationem discursus erga secreta cordium. Ratio est : quia operari sine discursu est perfectio specialis , quam homo ob suam imperfectionem non habet , saltim in hac vita ; sed gratia , vel scientia supernaturalis circa supernatura non privat Angelum sua perfectione , sive hæc ei convenienter , sive connaturaliter , imò illam elevat , & auget : ergo illam Angelus conservat: quia , esto Deus elevet naturam per gratiam , hoc facit juxta modum proprium ipsius , & ideo ait. D. Thom. 2. 2. q. 9. art. 1. ad 1. quod lumen supernaturale non est de se discursivum nisi ratione subjecti : ergo si hoc non est discursivum , nec lumine discurret ornatum : quia non subjectum ratione luminis , sed lumine ratione subjecti (ait D. Thom.) discurret.

97 Infer 2. Angelum circa nulla objecta facere compositionem , vel divisionem formalem. Sic contra Scotistas communiter Thomistæ cum suo Angel. Præcep. 1. p. q. 58. art. 4. & q. 85. art. 5. quem plures sequuntur Jesuitæ. Ratio est : quia facere compositionem , & divisionem est confidere ex subjecto prius cognito , & prædicato postea intellectu artefactum quoddam logicale , quod componitur ex illis partibus , & dividitur in illas ; Angelus autem non sic operatur , quod per partes incipiat , & perficiat istud opus , sed in ipso subjecto sine distincta cognitione , nec divisione cognoscit intransitivè prædicatum , & in prædicato subjectum. Unde dixit D. Thom.

q. 85. cit. quod nullus Angelus operatur simplici apprehensionem, sed omnem ejus operationem esse judicativam: nam statim atque subjectum attingit, cognoscit & ejus praedicata per judicium, affirmando, vel negando, non tamen componendo: quia hoc proprium solius hominis est, qui ob suam in cognoscendo exiguam transcendentiam prius unum, postea aliud cognoscit: & ex illis sic sejunctim apprehensis componit suum artefactum. Sed

98 Obs. Quandò propositio est talis, ut subjectum sit naturale, & praedicatum supernaturale, ut hæc: Petrus est in gratia, vel est gratus Deo, nequit Angelus per unicam procedere operationem: nam cognitione Petri est naturalis, cognitione gratiae est supernaturalis: ergo tunc ut minus facit compositionem ex duabus cognitionibus. Resp. omissis ambagiosis Sumularum anfractibus circa illam quæstionem: Num propositio mentalis sit simplex qualitas: an ve composta ex duabus cognitionibus? quod Angelus unica, hacque supernaturali procedit in talem eliciendam propositionem: nam in illa non prius cognoscit Petrum, quam esse gratum (hoc enim est mensa apprehensio humana, quæ sicut, dum homo conficit propositionem, facit compositionem, sic, dum factam videt per Angelum propositiōnem, in illa sicut ab ipso facta apprehendit etiam compositionem) In ipso ergo nunc, in quo Angelus vult illam proferre propositionem, duo attingit, scilicet Petrum, & gratiam; at vero Petrum non nudè sumptum, sed ut gratum vel in gratia: Petrus

autem in gratia, vel ut gratus cognitionem terminet supernam opus est.

99 Infer 3. quod Angelus per eamdem speciem per quam suam, vel aliorum cognoscit essentiam, cognoscit etiam sua, vel aliorum accidentia. Sic D. Thom. quodl. 7. art. 3. ad 1. ubi loq. de Angelis hæc ait, *Simul cognoscendo hoc pomum, cognoscit quidquid est in pomo illo, & essentialiter, & accidentaliter.* Ratio desumitur à paritate essentiæ divinæ, cuius est participatio species Angelica: ergo sicut essentia divina per unicam rationem speciei, & cognitionem attingit se, & attributa, quæ sunt veluti accidentia sua, quatenus ad ipsam in suo esse primario constitutam subsequuntur: sic Angelus per unicam speciem terminatam ad suam, & aliorum essentiam cognoscere dicendus erit & sua, & aliorum accidentia.

DISPUTATIO III.

DE VOLUNTATE ANGELI.

Sicut nihil volitum (inquit inculcata parsimonia) quin præcognitum, sic voluntas Angelii examinanda non erat, quin ejus præcognosceretur præcursor intellectus: de quo jam cum aliiquid pro captu prægustaverimus humano: de Angelica ejus subsecuta voluntate aliqua intererit dubia excitemus. Sit ergo



DUBIUM I.

*UTRUM ANGELUS INTELLIGAT, ET
amet se, & Deum finem naturalem
omnino necessariò?*

UNICA CONCLUSIO:

1 **A**ngelus necessariò quoad exercitium intelligit se, & Deum: & itidem Deum & se diligit necessariò. Quadrimembris conclusio per membra disjunctivè probatur, & i. quoad primum, scilicet necessariò se cognoscere ex D. Th. q. 8. de Verit. art. 6. ad 7. ibi: *Intellectus Angeli non est in potentia respectu essentia ejus, sed respectu ejus semper est in actu.* Et reddit rationem art. 14. ad 6. *quia mens Angelii intelligit per essentiam, qua semper informatur.*

2 Prob. 2. ratione; Angelus debet esse semper, & sufficienter constitutus in actu primo ad alias qualcumque res cognoscendas naturales: ergo priùs debet esse constitutus per aliquem actum, ut ad alia se moveat noscenda; sed hic aliis non est (vel assignetur) præter actualem, & perpetuam sui cognitionem: ergo &c. Consequentia prima patet: quia ut aliquid se moveat, necesse est assignare in eo partem (aut quasi partem) moventem, & partem motam: nam idem secundum idem movere, & moveri nequit, alias esset in actu, & potentia respectu ejusdem contra D. Thom. infra laud. Unde cum Angelus non possit elicere, & recipere cognitionem aliorum secundum idem, sit

ita, quod jam constitutus in actu primo per cognitionem sui (quæ est connaturalior, & ideo prima) elicit aliorum; hanc verò recipit in se non ut constitutus in actu, sed nudè sumptus. Itaque secundum unam partem, hoc est, ut actu se cognoscens, movet; secundum verò aliam, scilicet, nudè sumptus dicitur moveri. Exemplum est in animali, quod constitutum in actu per motum cordis perennem movet & alia membra, quorum motio recipitur in animali nudè sumpto, ut verificetur nihil secundum idem movere & moveri simul: quod est expressa doctrina D. Thom. i. contra Gent. C. 13. & i. p. q. 2. art. 3. ex Philos. 7. Phys. C. i. ebita, quam sequuntur N.N. Compl. abrev. in Phys. disp. 26. n. 1.

3 Confirmatur: Omnis substantia vivens necessariò debet habere aliquam indesinenter operationem vitæ, respectu cuius semper sit in actu, ad alias vero eliciendas in potentia: id quod est videre in motu cordis, quia indesinenter est in motu actuali, licet non perpetuum animal reliquas eliciat sensationes) ergo pariter de Angelo dicendum erit, semper scilicet esse in actu sui cognitionis, ut in cognitionem erumpat ceterorum.

4 Secundum conclusionis membrum prob. quia Angelus, ut diximus, cognoscit, imò comprehen-dit se ipsum necessariò quoad exercitium: ergo & Deum aliquomodo cognoscit. Conseq. patet: quia cognitione comprehensiva transcendit omnes rei cognitæ formalitates, & habitudines, una quarum est in An-gelo

gelo creaturæ ad suum Creatorem ultimum finem naturalem: ergo & hunc necessariò quoad exercitium cognoscit.

5 Tertium conclusionis membrum probatur: Angelus cognoscit se necessariò quoad exercitium: ergo semper necessariò amat se: quia operatio voluntatis ex quadam cum intellectu sympathia debet illum sequi, & imitari. Audi D. Thom. q. 16. de Malo art. 2. ad 6. *Quantum ad hoc*, inquit, *operatio ejus (Angelici) immutabilis est, quod semper intelligitur.* Et similiter considerandum est circa voluntatem, cuius operatio proportionatur operationi intellectus.

6 Confirmatur: quia si Angelus semper se noscit, semper se vult noscere: ergo semper amat se; hoc enim est se amare, velle sibi aliquam perfectionem: & quidem actuare se per intellectuam perfectionem: ergo ita est. Maximè tenet ratio nostra: quia in talis exercitiū indesinenti permanentia, nulla afficitur Angelus molestia, non fastidio, non aliquo fatiscit labore, cùm nec opus sit conversione ad phantasmata; ut contingit apud nos, nec ex parte objecti aliqua apparet, ut amorem suspendat, ratio mali.

7 Quartum probatur conclusioonis membrum, scilicet, Angelum necessitari ad Deum semper diligendum ut Auctorem naturalem: Et 1. quia sic colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 60. art. 5. Secundò: quia Angelus semper, & necessariò se ipsum diligit: ergo & Deum. Probatur conseq. quia pars magis amat

bonum totius, quam ejus proprium; sed Deus habet rationem boni per modum totius continentis omne bonum, & Angelus comparatur per modum partialis, & particularis bonitatis: ergo magis amat Deum Angelus, quam se: ergo, si se ipsum semper, semper, & necessariò amat Deum.

8 Obs. 1. contra primum, & secundum conclusionis membrum: Contra rationem est virtutis finitæ, & limitatæ, qualis est Angelica, semper esse in actu considerationis actualis: omnis quippe virtus limitata est etiam potentialis, separabilisque ab actu suo secundo, ad distinctionem virtutis divinæ, & infinitæ: ergo Angelus non necessitatur amare semper se, & Deum. Resp. contra rationem virtutis limitatæ non esse, semper esse in actu, & inseparabiliter ab eo: nam etiam visio, & fruitio Dei creatarum sunt finitæ, & non ab actu vacant aliquandiu: est ergo contra rationem limitatæ virtutis identificare suum actum secundum, & adhuc divinitus non posse ab illo cessare, quod solius est Dei proprium, validè verò ab Angelis alienum.

9 Obs. 2. contra quartum conclusionis membrum: Dilectio naturalis Dei est incompatibilis cum ejus odio; sed Angeli mali (Dæmones) odio Deum habent: ergo non illum diligunt amore naturali, seu necessario. ¶ Augetur difficultas: nam, cùm Dæmon sit per culparam aversus à Deo sine supernaturali, nequit esse per amorem ad illum conversus ut ad finem natu-

ralem ; sed hoc sequitur ex nostra conclusione : corruit ergo hæc. Respondet D. Thom. i. p. q. 60. art. 5. quod illi, qui non vident Deum per essentiam (loquitur de Angelis malis) cognoscunt eum per aliquos particulares effectus , qui interdum eorum voluntati contrariantur (ut puta punitionem, & afflictionem eorum in æternum) & hoc modo dicuntur odio habere Deum, cum tamen , in quantum est bonum commune omnium , unumquodque naturaliter diligit plus Deum quam se ipsum : Hæc D. Thom. Quibus adde, pro solvenda urgentia, non opponi aversioni à Deo ut fine supernaturali conversionem ad eum ut finem naturalem , quandò hæc conversio non est efficax , & efficaciter inclinans ad obediendum Deo in omnibus , qualis non est in Dæmoniis , sed ut summum affectio quedam erga Deum non ut judicem , neque ut bonum in se , sed ut sui esse conservatorem : nam, sicut amant sui esse , sic amant illud conservantem ; at hæc dilectio paulò plurius , quam ut speculativa computatur inclinatio.

DUBIUM II.

UTRUM ANGELUS POSSIT PER SE PRIMÒ directè , & immediate peccare contra legem naturalem?

RESOLUTIO.

10 Circa quæstum præsens affirmant Scotistæ cum Scoto , & Suaristæ cum Suario; negant verò Thomistæ cum Magistro

suo , qui i. p. q. 63. ad 3. ait: Naturale est Angelo , quod convertatur motu dilectionis in Deum , secundum quod est principium naturalis esse. Si autem naturale est , stante natura ejus, deesse illi non potest : in sensu autem composito conversionis ad finem naturalem , aversio ab illo esse non potest ; solùm ergo (addit ibi) averti potest à Deo , ut est objectum beatitudinis supernaturalis , amabilisque amore gratuito. Ex quo sequitur , quod indirectè , & mediately à fine etiam avertatur naturali. Id ipsum docet q. 16. de Malo art. 3. ubi generatim docet , primum Angeli peccatum non in aliquo pertinente ad ordinem naturalem constitisse. Et art. 5. ad 10. ait : Liberum arbitrium Diaboli non est naturaliter veribile quantum ad naturalia sua , sed solùm habet veribilitatem respectu supernaturalium , ad quæ potest converti , vel ab eis averti. Ex quibus sic

11 Prob. 2. ratione: Naturale est Angelo (& quia naturale , indefectible , & invertibile) amare Deum Auctorem suum naturalem: ergo peccare nequit contra ipsum ut tales. Ant. ex dictis dub. constat antecedenti , & conseq. prob. nam amor Dei ut Auctoris supernaturalis , si est actualis , excludit omne peccatum contra ipsum ut tales: ergo idem dicendum de amore naturali contra Auctorem naturalem , cùm semper sit actualis.

12 Prob. 3. ex D. Thom. q. 16. de Malo art. 2. ad 4. ubi ait: Semper autem in peccando defectus intellectus , vel rationis , & voluntatis proportionabiliter comitantur. Et i. 2. q.

77. art. 2. *Voluntas numquam in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Unde dicitur Prov. 14. errant, qui operantur malum.* Nunc sic: sed in intellectu Angelico nequit esse defectus moralis circa agibilia naturalia. Hæc minor probatur: omnis defectus moralis intellectus reducitur ad errorem, vel ignorantiam; sed intellectus Angeli circa naturalia nihil errat, vel ignorat: habet enim omnium naturalium scientiam, & species infallibilis, & insuper numquam à consideratione vacat illorum, unde ut inconsideratus peccare possit: ergo tenet minor.

ARGUMENTA.

13 Obs. 1. D. Hier. Epist. 146. ad Dam. dicentem: *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cetera, cum sint liberi arbitrij, in irramque partem possunt suam reflectere voluntatem:* Unde generatim PP. docent, nullam esse creaturam ab intrinsecò impeccabilem. Nec valet distinguere inter actionem circa finem naturalem, & supernaturalem: nam D. Thom. I. p. q. 63. art. 1. ad 2. ait, quod supra actionem naturalem in Angelis est actio liberi arbitrij, secundum quam contingit in eis esse malum: ergo non valet recursus ad discretionem inter dictos fines.

Resp. sustinendo solutionem ex praedicta sumpta discretione, & quod D. Hier. & SS. PP. intelligendi sunt non de peccabilitate omnimoda, & in omnibus operationibus: sufficit enim ad salvandam miseram, & peccatricem creaturem

conditionem, quod saltim contra finem possit deficere supernaturalem, ex quo defectu resultat, quod & à fine divertatur naturali indirectè, quatenus definit ex tunc à conversione efficaci ad illum: & hoc vult D. Thom. dum ponit malitiam in actione naturali, hoc est, malitiam indirectam ex directa aversione à fine supernaturali resultantem.

14 Obs. 2. Lex naturalis dicit, & præcipit servare præceptum supernaturale: ergo Angelus deficiens contra hoc, peccat etiam contra illud. Dist. ant. dicit, & præcipit directè, nego; indirectè, concant. & conseq. sub eadem distinctione. Solutio patet ex terminis, & ex suprà dictis.

15 Obs. 3. Dæmones passim peccant contra Legem naturalem, mentiendo, nocendo &c. ergo ruit conclusio. Resp. hæc peccata directè esse contra finem supernaturalem: operantur enim directè ex odio contra Deum ut Auctorem supernaturalem, ex quo resilit indirectè avercio ab ipso ut Auctore naturali, cui non inficias inius.

DUBIUM III.

UTRUM REPUGNET NATURA INTELLUCTUALIS ESSENTIALITER IMPЕCCABILIS?

16 **D**ubium antecedens peperit hoc præsens, occasione sumpta ex impeccabilitate Angelica contra finem suum naturalem. Supponimus, defactò nullam esse creaturam essentialiter impeccabilem, ex illo Job. c. 4. In Angelis suis reperit

perit pravitatem : quād magis hi , qui habitant domos luteas ? Supponimus itidem, per donum aliquod gratuitum accidentale, extrinsecèque adveniens possibilem esse creaturam impeccabilem , ut contingit in Christi humanitate , & in Beatis. Quæstio est defacto , & ab intrinseco , seu essentialiter ? Affirmant dari posse Magist. in 1. dist. 44. c. 2. N. Bachon. in 2. dist. 38. art. 2. Scot. in 2. dist. 23. q. un. §. Dico igitur , & plures recentiores. Negant tamen communiter Theologi : cum quibus sit

NOSTRA CONCLUSIO:

17 **R**epugnat metaphysicè creatura essentialiter immpeccabilis. Audiamus D. Aug. contra Maxim. lib. 3. c. 12. ibi : *Cuiuscumque natura rationali praestatur, ut peccare non posse : non est hoc natura proprium, sed gratia.* Idem docent D. Hier. Ep. 146. ad Dam. & D. Fulg. in Aug. c. 3. de Fide ad Petrum, ubi ait : *Ideo creature à Deo factas deficere posse peccando : quia ex nihilo condita sunt.* Et D. Thom. præter innumera loca in 1. p. q. 63. art. 1. ibi : *Tam Angelus, quim quecumque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, potest peccare.* Quod extendit ad omnem etiam possibilem, vel creabilem naturam q. 24. de verit. art. 7. in c. ibi : *Respondeo dicendum, quid nulla creatura nec est, nec esse potest, cuius liberum arbitrium sic naturaliter confirmatum in bono.* Et paulò supra rationem dederat : *nisi in divinam naturam convertatur, quod est impossibile.*

18 Ratione prob. 1. Nulla creatura est regula , nec habet sibi inseparabiliter conjunctam regulam rectæ operationis : ergo omnis ea peccare posse debet. Ant. patet : quia in practicis ultimus finis est regula rectè operandi , sicut in speculativis principia sunt ratio rectè demonstrandi ; atqui nulla creatura est, nec habet in se rationem ultimi finis , solius Dei propriam : ergo tenet ant. conseq. verò prob. idem enim artifex scindens potest obliquam facere scissuram : quia nec ipse est regula , nec habet in se inseparabiliter regulam rectificandi suam scissionem : ergo idem dicendum erit de operantibus moraliter.

19 Prob. 2. ratione : nam , si aliqua natura creata esset impeccabilis , haberet ex natura sua omnia principia operativa indefectibilia, tam in linea naturali, quam supernaturali ; haberet enim pro objecto omnne bonum tam naturale , quam supernaturale : ergo ex natura sua perteret principia, virtutesvè supernaturalia , quibus etiam in linea supernatura operaretur , & à fine non recederet supernaturali : ergo talis natura esset supernaturalis : ab ea enim fluenter virtutes supernaturales , sed repugnat substantia creata supernaturalis, ut diximus tract. 2. disp. 1. dub. 6. ergo etiam impeccabilis.

20 Prob. 3. ratione deducta ex D. Thom. loco de Verit. cit. Omnis creatura petit produci ex nihilo : ergo & esse defectibilem. Ant. est certum , & conseq. probatum & D. Fulg. nuper laud. Tum.

quia

qua omnis creatura , sic petens produci , est defectibilis in suo esse; sed operari sequitur ad esse : ergo etiam petit in operari esse defectibilem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

21 Obs. 1. Non repugnat Deum producere creaturam intellectualem determinatam ad bonum , & consequenter non liberam ad malum ; (vel assignetur in quo stat repugnantia) quo in casu impeccabilis erit : ergo hæc dabili est. Resp. 1. questionem hanc esse de natura intellectuali libera. Sed & extensivè ad omnem creaturam idem dicendum , respondetur secundò : quia repugnat intellectus sine voluntate , vel exigentia ad illam: & ideo meritò tr. 4. disp. 1. dub. 1. ex intellectu divino , divinam voluntatem demonstravimus. Si autem datur voluntas , & libertas dari debet juxta D. Bern. tr. de Grat. & lib. arb. ibi : *Vbi voluntas , ibi libertas.* Et Damas. lib. 2. de fide c. 3. ibi : *Id omne , quod ratione uititur , arbitrii quoque libertate preditum est.* Et si demùm libertas datur , utrumque potest , & benè , & malè facere : ergo &c.

22 Obs. 2. Ex conclusionis ratione solum sequitur , quòd ad defectibilitatem in esse , defectibilitas in operando physicè sequatur ; & at defectibilitas in moralis operatione undè sequitur ? Sanè non appetet: ergo nulla est ratio. Resp. 1. quòd ex defectibilitate in physica operatione sequitur moralis : nam sèpè

illa præcipitur , undè ista sequitur, ut , si juvetur , eliciatur actus aliquuj virtutis , quo physicè non elicito , adeò defectus moralis : si autem actus physicus indefectibiliter poneatur , defectus deficeret moralis. Resp. 2. quòd , si ex defectibilitate in esse sequitur defectibilitas in operatione quoad substantiam physicam operationis , potiori titulo sequetur defectibilitas in modo operationis , scilicet moralitate , quæ physicam modificat , & sequitur operationem.

23 Obs. 3. Ex eadem sequitur ratione conclusionis , quòd Angelus impeccabilis est , nisi per miraculum. Hæc patet sequela : quia ex defectibilitate in essendo creaturæ arguit conclusio defectibilitatem in peccando ; atqui Angelus in esse physico deficere non potest , nisi per miraculum : ergo nec nisi per miraculum peccare , quod nullus dum dixit : ergo non tenet ratio. Resp. aliud esse Angelum non posse deficere in actu 2. sine miraculo , & hoc quidem verum est : aliud est , quòd ante omne miraculum non habeat potentiam intrinsecam , ut à Deo anihiletur , & deficiat. Hanc quidem potentiam habet (licet principium positivum corruptionis non habeat) & in ea fundatur defectibilitas moralis , quæ sine miraculo verificatur ; sicut verificatur ejus fundamentum , scilicet potentia intrinseca , ut à Deo anihiletur : Undè præter miraculum potuit Angelus peccare.

24 Obs. 4. Licet in nobis detur sensus communis attingens omnia

nia sensibilia, non obstat, quominus detur sensus particularis aliquod particulare attingens sensibile: ergo similiter, licet defactò nostra voluntas, & Angelica attingant omne bonum, etiam apprens, ratione cuius peccare posse, non obstat quominus à Deo aliqua producatur voluntas attingens aliquod (& non amplius) bonum particulare reale, & non apprens: ergo talis voluntas erit impeccabilis. Resp. negando conseq. & paritatem: quia sensus corporeus aligatur organo corporeo, in quo limitatur; voluntas verò ex una parte est ab illo absoluta, à quo proinde non limitatur; ex alia sequitur ductum intellectus, qui generatim proponit voluntati omne bonum, etiam apprens, ut ipsa feratur circa illud: & quidem rectè, si bonum, & malè, si præ bono malum eligat, in quo consistit peccatum. Ex quo sequitur non esse voluntatem, quæ non sit ita generalis in amore, vel odio prosequendo, sicut intellectus precursor ejus in eidem voluntati proponendo.

25 Obs. 5. Cœli sunt indefectibiles in motu suo, Angeli etiam impeccabiles contra legem naturalem, & tamen facti sunt ex nihilo: ergo hæc ratio non probat indefectibilitatem. Resp. tam Angelos, quam Cœlos esse indefectibiles circa aliquam particularē legem, vel objectum, quod dabile non inficiatur: arguit enim solum aliquam perfectionem, vel bonitatem limitatam; esse verò absolutè indefectibile erga omne objectum, vel præceptum etiam supernaturale, nega-

mus: arguit enim virtutem, & substantiam supernaturalem, & consequenter infinitam, ut diximus supra n. 19. quod cuicunque repugnat creaturæ.

D U B I U M IV.

*UTRUM ANGELI PECCARE POTUERINT
in primo suæ creationis instanti?*

26 **S**upponendum est, Angelos in primo instanti suæ creationis non fuisse beatos beatitudine supernaturali, quia sic non possent peccare; fuisse verò tales beatitudine naturali expressè habetur in D. Thom. 1. p. q. 62. art. 1. ubi duplē assignat beatitudinem, aliam in Visione Dei consistentem, & non per vires naturales acquisitam, aliam quam hic acquirit creatura intellectualis per contemplationem optimi intelligibilis naturalis, scilicet Dei, prout Auctor est naturæ. Primam negat Angelo in primo instanti suæ creationis: de secunda verò ait, quod, quia Angelus (eam) assequi virtute suæ naturæ potuit, fuit creatus bonus, & redit ibi rationem: quia per perfectionem hujusmodi Angelus non acquirit per aliquem motum discursivum, sicut homo, sed statim ei adest propter suæ naturæ dignitatem.

27 Secundò est supponendum, Angelum in primo suæ conditionis instanti defactò non peccasse, ut constat ex illo Jud. Ap. v. 6. Angelos, verò qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium: Ubi supponit, aliquandò fuisse Principes beatos, sed non perseve-

severasse. Et ex illo Ezech. c. 28. v. 15. ubi de Lucifero dicitur : *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuae.* Quæ sententia fuit adeò perpetua mens Conciliorum & SS. PP. ut de opposita dixerit D. Thom. I. p. q. 64. art. 5. à Magistris hac opinio tamquam erronea rationabiliter reprobata est.

28 Quæstio est ergo de possibili : an scilicet potuerit Angelus peccare in primo instanti sui esse ? Circa quam difficultatem partem tueruntur affirmantem Scot. in 2. dist. 5. q. 2. N. Bachon. in 2. dist. 23. art. 3. quos insequuntur Scotistæ, Bachonistæ, Nominales, & communiter recentiores Jesuitæ, quibus favet Pater Suarez, quatenus docet lib. I. c. 2. Angelum potuisse quidem peccare physicè, non verò moraliter. Partem verò negantem defendant cum D. Thom. omnes Thomistæ, D. Bonav. Duran. & plures etiam ex Jesuitica familia, cum quibus sit

ASSERTIO NOSTRA.

29 **I**MPLICAT contradictionem Angelum peccare in primo sui esse instanti. Audiatur pro sua reverentia D. Thom. I. p. q. 63. art. 5. in c. *Dicendum est, quod impossibile fuit Angelum in primo instanti peccasse per inordinatum actum liberi arbitrii.* Et rationem ibi reddit : *Quamvis enim res aliqua in primo instanti, quo esse incipit, simul incipere posse operari, tamen illa operatio, qua simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse.* Exemplum offert in tibia claudicante, cuius claudicatio, si inci-

pit cum esse tibiæ, tribuitur generanti. Et concludit : *Agens autem, quod Angelos in esse produxit, scilicet Deus, nequit esse causa peccati :* Esset autem, si in prima peccassent operatione, sicut generans hominem, in primo instanti claudicantem, causa est claudicationis.

30 Respondent adversarii, rationem D. Thom. tenere in defectu phisico, minimè verò in morali: quia illud naturale, hoc liberum est: si autem liberum in potestate est liberi arbitrii, ut, vel ne sequatur. Sed contra : nam licet hæc valeat responsio pro ceteris post primam sequutis operationibus, minimè verò pro prima: hæc enim etiam ut moralis debet esse à Deo : quia, cum Angelus beat se ad illam eliciendam moveri, & adhuc non sit in actu positus (est enim primus illa operatio) sequeretur, quod, si hæc esset à se, & non specialiter à Deo, ipsum agens, & secundum idem esset simul agens, & passum, quod impossibile est juxta dicta suprà n.

2. Quid ergo ? Constituatur à Deo in actu per hujus speciale concursum, & sic constitutus in actu erit agens, & patiens secundum diversa : agens quidem per motionem, & applicationem Dei; passum verò, quatenus hanc reciperet motionem in se nudè sumpto. Semel ac verò jam per Deum in actu constitutus, ipso facto habilitatur, ut in posterum se liberè moveat ad eliciendos subsecutos sine tali inconvenienti: illos enim elicit ut actuatus jam per Deum, recipit verò nudè sumptus. Vide iterum prædictum num. 2.

31 Prob. 2. Qui specialiter movet ad actum practicum rationis, movet etiam ad actum subsequutum voluntatis: ex illo enim hic infallibiliter sequitur; sed Deus movit specialiter Angelos ad primum eorum dictamen practicum. Minor hæc prob. ex D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. ubi ait: Deliberationem voluntatis esse per deliberationem precedentem rationis, quæ coincidit cum dictamine pratico, & cum hoc (subdit) non procedat in infinitum, oportet, quod finaliter devenientur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, scilicet Deo: ergo juxta D. Thom. actui omni voluntatis morali debet praecedere dictamen practicum; sed de hoc ait D. Thom. deveniendum esse ad aliquod primum, quod à Deo moveatur specialiter: ergo etiam de actu primo voluntatis ad ipsum infallibiliter sequuto: ergo primus actus voluntatis non potuit esse pravus, sicut nec dictamen practicum praecedens. Videatur D. Thom. 1. p. q. 82. art. 4. ad 3.

ADVERSARIORUM MOMENTA.

32 **O** Bl. 1. Angelus in primo instanti habuit quidquid ad peccandum opus est: ergo potuit peccare. Ant. prob. habuit enim in primis potentiam peccandi: alias habuit usum rationis perfectum discernens inter bonum, & malum, atque in utrumque libertatem eligendum, & demùm factus est ex nihilo: quid ergo illi defuit? Por-

ro his de causis potuit peccare in secundo instanti: ergo potuit & in primo. Resp. neg. ant. cuius probationis minorem dist. quoad 2. partem: habuit libertatem quoad specificationem, nego: quoad exercitium subd. libertatem antecedentem, conc; consequentem, nego min. & ultimam conseq. Ut salvetur libertas Angeli in primo instanti non opus est, ut pro tunc possit amare, vel odisse Deum, quæ dicitur libertas quoad specificationem: hanc enim nec Christus habuit, & tamen liber fuit; sufficit habuisse libertatem quoad exercitium, hoc est, ad amandum, vel amorem omitendum. Ultrà quod Magistri Ferre, & à S. Thoma sufficere ajunt libertatem ad eliciendum hunc numero actum, vel alium numero diversum amoris: quam solutionem non admittit N. Paulus.

33 Contra, dices: ergo saltim potuit Angelus peccare omitendo actum amoris, & conversionis in Deum finem supernaturalem, ad quam in primo tenebatur instanti: Dist. conseq. in sensu composito praceptū conversionis, vel potentia consequenti, nego; in sensu diviso, vel potentia antec. conc. conseq. Ad libertatem contradictionis, seu exercitii sat est, si potentia detur ad omitendum, si non adesset praceptum de non omitendo: hac enim ratione diximus tr. 10. disp. 2. dub. 4. Christum Dominum oblatum fuisse, quia ipse voluit, hoc est liberè: cùm tamen in sensu composito Paterni pracepti non potuerit non mori; potuit tamen, quantum erat ex se, si

præ-

præceptum non instaret Patris. ¶ Ad id, quod additur in argumento de sequentibus instantibus, nil urgere dicimus: nam prima operatio erat specialiter à Deo peccare nequeuante; cùm verò respectu cæterarum supponeretur Angelus constitutus jam in actu per primam, non opus erat cursu Dei speciali, sed solùm generali. Undè potuit Angelus peccare: habebat enim potentiam ex una parte peccatricem, & ex alia expediatam, & actuataam.

34 Obs. 2. Sequitur ex coniunctione, quod nec in secunda potuit Angelus peccare operatione: prima enim fuit dispositio, actuatio, & applicatio ad secundam: bona autem operatio nequit conducere, nec concurrere ad secundam pravam: ergo ruit conclusio. Ad hanc respondetur objectionem, operationem primam probam non influere physicè, imò nec physicè applicare ad secundam pravam, solùm ergo est conditio requisita, ut potentia Angelica constituta in actu possit deinde suas exerceire vires proximas in actus subsequentes vagè sumptos, hoc est in bonos, vel in malos: non enim disponit ad illos prima operatio ut bona, vel ut mala moraliter, sed ut actuans physicè.

35 Obs. 3. Angelus in primo instanti potuit mereri: ergo & peccare. Ant. admittitur, & conseq. probatur: quia plus requiritur ad merendum, quam ad peccandum: Malum enim ex quocumque defectu, bonum ex integra causa, declamat tropologica paræmia: ergo, si ad peccandum requiritur libertas contrarieta-

tis: seu quoad specificationem sumpta: ad merendum itidem libertas opus erit ad bonum, & ad malum. Ad argum. resp. concessu antec. neg. conseq. cuius probationis axioma intelligitur de illis requisitis, quæ positivè, vel essentialiter concurrunt ad constitutionem boni operis, cuiusmodi non est libertas contrarietas, sed tantum quid materialiter, & accidentaliter adveniens libertati, ut dicemus in tract. de Voluntario disp. 1. dub. 2. Undè Deus liberè, & bene operatur, estò liberè non sit libertate contrarietas ad bonum, vel malum. Idem dicendum est de Christo, & omnibus Beatis. ¶ Præterquam quod nec ad peccandum requiritur essentialiter libertas ad bonum, & ad malum: Quoniam ab initio diabolus peccat (inquit Joan. 1. Ep. c. 3. v. 8.) quin tamen bonum possit operari. Undè pari erunt gressu bonum, & malum, quantum ad libertatem pro eis requisitam essentialiter.

36 Obs. 4. Homo in instanti suæ usus rationis capax est peccandi, imò peccat, si in Deum se non positivè convertat, ut concors tenet sententia Thomistarum cum D. Th. 1. 2. q. 89. art. 6. ergo etiam Angeli in 1. suæ conditionis initio. Dist: ant. homo potest peccare in primo instanti moralè, conc; physicò, nego ant. & cons. Primum instantis, in quo tenetur homo converti, non est unum physicè, sed plura physica constituentia unum moralè, ita ut, quandò hoc verificatur, jam præcedunt aliqua physica instantia, in quibus homo perfectè,

vel imperfectè operatur aliquas operationes, quibus constituitur in actu, ut possit se movere omnino liberè, & consequenter peccare. Si vero loquamur de primo instanti physico suæ operationis, idem propter eamdem dicendum est rationem, ac diximus de Angelis, esse scilicet specialiter à Deo, & ideo non peccaminosam.

D U B I U M V.

*Quale fuerit primum peccatum
per Angelos commissum?*

37 **S**upponendum est 1. primum Angeli peccatum non fuisse luxuriam carnalem, ut Tertullianus ratus esse dicitur. Magnus quidem Vir! sed in hoc asserto magnoperè depresso se, sed & Angelos non parùm attrivit, dum nobillissimam spiritualem substantiam sic à sua deject sublimitate purissima, ut eam, cum spurcitus brutalibus confederans, fcedaret. Hanc vero sententiam à tam sublimi ingenio, omnigenaque litteratura prædicto alienam, aliud non minus sublimi acumine, altius vero pietate, & sanctitate, Augustini scilicet, ab omnium Theologorum sequela jure abalienavit, inquiens lib. 14. de Civit. Dei. quod Angelus non est fornicator, aut ebriosus, aut aliquid ejusmodi; est tamen superbus & invidus. Sequitur eum D. Thom. 1. p. q. 63. art. 2. in C. dicens: *Spirituellem autem naturam affui non contingit ad bona, quæ sunt propria corpori, sed ad ea, quæ in rebus spiritualibus inveniri possunt.*

38 Supponendum est 2. peccatum primum Angeli nec fuisse invidiam. Constat ex D. Thom. 1. p. q. 63. art. 2. ubi ait: *Post peccatum superbie conequutum est in Angelo peccante malum invidie: ergo supponebat hæc aliud ante se: ergo non fuit primum. Et ratio suadet desumpta ex ipso in 2. dist. 5. q. 1. art. 3. ad 2. ibi: Invidia est dolor alienæ prosperitatis, in quantum est impeditiva aliujus boni proprij.... quod inordinatè desideratur: Ecce ad invidiam inordinatum præsuppositum amorem. Et ita (concludit) invidia presupponit aliquod peccatum: ergo ipsa non potuit esse primum. Sed*

39 Obs. D. Basilium Homili de invidia dicentem: *Quid enim Principem malum Daemonum ad bellum impulit, non invidia, per quam Deus adversarius deprvensus est?* Resp. Basilium solummodo velle Dæmonem per invidiam peccasse, & ab ea impulsum, adversus Deum bellasse, non vero fuisse eam primum ejus malum: Ut enim ait D. Thom. nuper laudatus: *post peccatum superbie, &c.*

40 Iterum supponendum est, odium Dei non fuisse primum Angeli peccatum: nam, ut inquit D. Thom. in 2. dist. 5. q. 1. art. 3. ad 2. voluntati rectæ, qualis erat Angelica in primo instanti, Deus non erat objectum dissontum, quod est objectum odij: Et ita (ait ibi) odium presupponit aliquod peccatum, per quod voluntas deordinatur: & sic non fuit peccatum ejus odij. Nec etiam fuit (supponimus demum) inobedientia; hæc enim explicatur per modum fugæ, & nolitionis, quæ aliquid

positivè malum ipsam motivans debet præsupponere. ¶ Quòd autem post primum peccatum, plura comiserit Diabolus peccata, ut invidiæ, odii, blasphemia, inobedientiæ, & alia, concors est Theologorum consensus.

41 Lis est inter Thomistas, & Jesuitas hinc, & Scotistas indè, assertoribus his primum Angeli peccatum fuisse luxuriam spiritualem (philautiam nomine dictam incompleto, quæ coincidit cum amore proprio, seu sui ipsius) constitue hic amor proprius juxta Scotum in appetitu inordinato propria excellentiæ. Et cùm D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 1. sic definiat superbiam, & in hac 1. p. modò citata doceat superbiam fuisse primum peccatum Angeli, videntur uterque Dr. in hac parte consentanei, & voce tenus dissentanei; at verò subtilis Dr. ut definiat superbiam, addit supra verba Angelici sequentia, *super alios*, hoc est, *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios*: quæ verba, inquit Scotus, si prædictæ desint definitioni, non erit superbiam, sed solum philautia, seu luxuria spiritualis: Et talem fuisse afferit primum Angeli peccatum, non verò superbiam rigorosam: quia non superbii *super alios*, illos sibi supponens, vel despiciens, sed se ipsum exaltans, & in sua exaltatione sibi complacens. Subtilem Doctorem sequuntur Scotistæ, & Angelicum Thomistæ, cum quibus sit



CONCLUSIO.

42 **P**rimum Angeli lapsi peccatum fuit superbia stricte talis. Prob. 1. ex Eccl. 10. *Initium omnis peccati est superbia*. Super quæ D. Aug. lib. de nat. & grat. c. 29. inquit: *Verissimè dictum est: Initium omnis peccati est superbia: quia Diabolus, à quo flevit origo peccati, ipsa dejicit*. Secundò: (scilicet superbiam) ex Tob. 4. ibi: *In ipsa scilicet superbia initium sumpsit omnis perditio*, Ideoque D. Hier. c. 16. superbiam (vocat) propriam Diaboli, primumque peccatum. Et D. Ambr. Epist. ad Demetriadem ait: *In lapsu Diaboli initium peccato superbia est*. Et D. Thom. 1. p. q. 63. art. 2. non solum hanc asserit fuisse peccatum primum, sed & alia in illo tunc primo priora esse non potuisse, ait enim: *Unde peccatum primum Angeli non potest esse aliud, quam superbiam*.

43 Respondent Scotistæ, prædicta, & alia testimonia intelligenda fore de superbia secundum quid, consistente in appetitu excellentiæ sine respectu ad alios, non de superbia propria consistente in appetitu excellentiæ super alios. Et addit Mastrius, nobilis Scotista, quod, si de superbia propria loquantur, de primitate non originis, sed principaliatis intelligentur, hoc est, quod superbia fuit primum, id est principale, non verò primum, quod prius commissum fuit, peccatum.

44 Sed contra instauratur, & prob. 2. conclusio ratione: Verba Scripturæ, & SS. PP. debent in omni sua proprietate, & prout so-

nant intelligi, si ex tali acceptione nullum sequatur inconveniens; sed nullum (vel assignetur) inconveniens sequitur ex quo peccatum primum fuerit superbia rigorosa: ergo fuit reapse.

45 Prob. 3. ratione: Inordinatus appetitus excellentiae propriæ fuit in Luciferō directè oppositus humilitati: ergo fuit propriè superbia. Conseq. est legitima, si ant. probetur; & probatur: Humilitas juxta D. Thom. 2. 2. q. 161. art. 1. ad 1. *Eft virtus, qua quis considerans suum defectum tenet se juxta modum suum;* sed longè ab hac humili consideratione suæ deficientiæ totus se erexit, & direxit Angelus ad attentionem suæ excellentiæ, ex qua ortus est inordinatus appetitus, vel philautia: ergo contrarium opposuit Humilitati exercitium; sed contrarium Humilitati est superbia: ergo hæc fuit primum peccatum. ¶ Si dicas: Contrarium quidem fuisse, non verò simpliciter tale, & consequenter nec superbiam rigorosam: quia non erat respectivè ad, nec super alios. Contra; ad superbiam non hoc requiritur: ergo responsio est nulla. Ant. prob. ex D. Greg. lib. 23. Mor. c. 7. ubi enumerat sic superbiae gradus: Primus, quo quis bonum à se habere existimat. Secundus, quo quis, *etsi* datum desuper credat, putat tamen suis meritis accepisse. Tertius, quo quis jactat se habere, quod non habet. Quis ex his ultimum saltim gradum superbiae rigorosæ non affirmet, cùm de gradu in gradum ad superiorē veniatur assignandum? atqui in nul-

lo eorum insinuatur respectus ad, nec super alios: ergo hic ad superbiam propriè talem non exigitur.

SATISFIT OPPOSITÆ SENTENTIÆ.

46 **O** Bf. 1. D. Augustinum lib. 11. de Gen. ad liter. c. 15. ubi loquens de Luciferō sic ait: *Perversus amor sui privat sancta societate turgidum spiritum;* sed hic perversus sui amor nequit superbiam nominari. Hæc minor prob. nimia complacentia, & delectatio in corpore suo, vel alieno non denominat hominem sic se amantem superbium, arrogantem, vel fastosum: ergo nec Angelum nimia suæ excellentiæ delectatio. Se ipsam solvit hæc auctoritas Augustini: inquit enim, quod amor sui privat gloria turgidum spiritum, at quid innuit turgidum? Verte illud in vulgare idiomā, & idem est ac *spiritu hinba-do*, per quod explicare solemus hominem superbium: ergo amor sui fecit, vel supponebat jam Luciferū superbium: ergo tandem turgere, vel superbire dejectit illum de gratia Dei, & de sancta Sanctorum societate. ¶ Exemplum à libidine desumptum carnali, & luxuriosa, non obest: homo enim tali effreni commissus appetitui, effrenibus comparatur brutis animalibus, in quo plus, quam extollitur, deprimitur, unde non adest motivum ut superbiat; effrenata verò Luciferī arrogantia, orta ex propria sui complacentia, usque ad solium Dei illum extollere, atque cum Deo comparare nixa est, & ausa diceres

simi-

familis ero Altissimo : ergo superbia
fuit illius causa.

47 Obs. 2. Humilitas explicatur per hoc , quod quis alijs minorē se dicit , aliisque se subjicit: ergo ejus contraria superbia debet etiam comparativē ad alios explicari , quatenū subjecere illos ambit , subjici verò illis renuit: ergo non precissē in mera suā celsitudinis complacentia debet fistere superbia: ergo , si hæc complacentia fuit primum Angeli peccatum , ut vult Thomistica sententia , non fuit primum peccatum superbire. Resp. breviter , ad humilitatem non requiri essentialiter se minorem alijs reputari , sed se parvipendere , superiorem verò magnificare , eique profundè subjici : qua de causa , si unus solū crearetur Angelus , qui nulli alteri comparari posset , adhuc esset humilis per hoc , quod se parvi , Deum magni duceret , eique libenter se sumitteret: ergo tantundem de superbia dixeris , scilicet non talem esse , quia super alios subjectum ejus extollat , sed quia sua captus excellentia , alteri excellentiori se non subjecit. Cætera omittimus argumenta : quia non ea sunt , quæ ex dictis haud facile extricentur.



DUBIUM VI.

QUODNAM FUIT OBJECTUM EXCE-
llens , ex quo Angelus primò superbire
ausus est?

CONCLUSIO PRIMA:

48 **Q**uot capita , tot placita , inquit axioma commune , quod maximè in hac verificatur quæstione , in qua ¶ Afferimus primò , objectum in quo superbijt Angelus in primo suo casu , non fuisse , nec esse potuisse omnimodam cum Deo æqualitatem , ut sentiunt plures Scotistæ , (in quos Vazquez inclinat) quibusque favet eorum Magister in 2. dist. 6. q. 1. quantum ad posse , non quantum ad esse. Hanc verò improbat sententiam D. Thom. 1. p. q. 63. art. 3. ibi : Dicendum est , quod Angelus absque omni dubio peccavit appetendo esse ut Deus. Sed hoc potest intelligi dupliciter ; uno modo per equiparantiam ; alio modo per similitudinem. Primo quidem modo non potuit appetere esse ut Deus. Idem afferit D. Anselmus lib. de casu Diaboli c. 4. additque rationem suę auctorati: Si Deus (inquit) cogitari non potest nisi tam solus , ut nihil illi simile cogitari possit , quomodo potuit Diabolus velle quod non potuit cogitare ? Non enim ita obtuse mentis erat , ut nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret. Heinc

49 Prob. 2. ratione nostra assertio : quia nulla potentia appetit sibi efficaciter id , quod est sibi omnino implicitorum , & repug-

nans ; atqui omnino implicat creaturam esse Creatorem : ergo omnino repugnat Angelum creatum appetuisse esse Creatorem , vel cum eo æquiparari. Minor liquet , & conseq. infertur , si vera sit major, quæ prob : nullius enim potentiae extrahitur appetitus ab objecto suo adæquato appetendo ; sed objectum omnino repugnans extra objectum est omnis potentiae appetitivæ : ergo nulla illud appetit.

50 Prob. 3. ratione : Si Angelus ambiret esse sicut Deus per æquiparantiam , ambiret appetitu prosecutionis sui non esse ; sed omnino repugnans est , quod Angelus ambiat sui non esse per hujusmodi appetitum : ergo & esse sicut Deus. Sequela ostenditur majoris : si enim appeteret esse sicut Deus , appeteret esse à se , & per essentiam : ergo appeteret sui non esse , quippe suum esse est ab alio , & per participationem : tenet ergo major.

CONCLUSIO II.

51 **O**bjectum excellens, quod Angelus in primo respexit lapsu , non fuit unio hypostatica , quasi sibi deberetur , vel acquiriri posset viribus propriis : vel invidus se gerens felicitatis humanae , vel reluctans subjectioni Christi sui capitum , ut volunt Suar. Granados , & alii. Assertio hæc supponit , hoc mysterium fuisse Angelis in statu viæ , ut minus quoad substantiam , revelatum : quod deducitur ex Aug. per D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 1. laudato , fa-

vetque ratio : quia membris intellectualibus , tamque sublimi dignitate insignitis debuit (vel saltim decuit) notitia exhiberi sui capitum , cui subjectionem ex tunc humiles præstarent ; atqui Christus est caput nedum hominum , sed vel Angelorum , Apost. teste ad Coloss. 2. ibi. *Qui est caput omnis Principatus , & potestatis : in quem locum ait. D. Tho. Christus est caput non solum hominum , sed etiam Angelorum :* ergo venit in eorum notitiam in statu viæ ¶ Supponit itidem (& ratio id suadet) quod ex tunc impositum fuit illis præceptum , ut Christum caput recognoscerent , & quippe tale cum adorarent : quod coligitur ex ad Hebr. 1. Et cum iterum introducit Primum genitum in Orbem terre , dicit : *Ego adorent eum omnes Angeli Dei.*

52 Quod autem hoc excellensissimum mysterium non fuerit objectum respectu primi casus Angelorum prob. 1. nam objectum , circa quod superbiit Angelus , fuit ultimus finis naturalis , vel supernaturalis à Deo adipiscendus: quia , ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 163. art. 1. *Prius moveatur appetitus in finem , quam in id , quod queritur propter finem ;* sed finis ultimus naturalis appetitus Angelii non potuit esse unio hypostatica : ille enim naturalis est , hæc autem supernaturalis : nec potuit ipsa esse finis supernaturalis , non enim ad hanc creatus est , nec elevatus , sed solummodo ad visionem claram Dei : ergo hæc unio neuter finis fuit.

53 Prob. 2. excludendo titulos , sub quibus unio hypostatica posset esse

esse objectum Angelicæ superbìæ: non enim Angelus tam hebetatæ erat mentis , ut ipsum inter creaturam naturalem , & unionem supernaturalem falleret notissima distantia , & impropositio. Nec incessit invidus felicitatis humanæ : loquimur enim de primo peccato , quod supponimus non fuisse inadvertiam : *Invidia enim* (inquit Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 14.) *Sequitur superlîam, non praeedit* : ergo hæc , non illa fuit peccatum primum. Nec demùm reluctantia subjectionis Christo fuit primum peccatum : hæc enim explicatur per fugam , & nolitionem se subjiciendi : omnis autem fuga , & nolitio oritur ex actu prosecutio- nis , & amoris objecti oppositi illi à quo fugit : *Quia enim bonum queritur* (inquit D. Thom. 1. 2. q. 25. art. 2.) *Ideò refutatur oppositum malum* : ergo ante hunc actum fugiendi , vel nolendi , superbii Angelus ex altero objecto nimis sibi volito: ergo hoc fuit objectum , & non unio.

CONCLUSIO TERTIA.

54 **O**bjectum primum , erga quod Angelus superbii , non fuit tyranica potestas , & imperium violentum , & prætensum super cæteras intellectuales creatureas , illas ambiens dominationi suæ subjugare , atque solio suo subjacere , ut indicant illa verba Isaïæ 14. 13. *Super astra Dei exaltabo solium meum. Quod autem in hoc deliquit, assertit expressè D. Thom. 1. p. q. 63. art. 3. in fine c. ibi: Ex hoc etiam*

consecutum est, quid appetiit aliquem principatum super alia habere: in quo etiam perverse voluit Deo assimilari. Ratio nostræ assertionis est: quia ille , qui vult extolliri in justè super alios , prius se ipsum nimis , & inordinate se amat sine subjectione debita ad bonum summè amabile , quod est Deus, ex quo oritur elatio , & ambitio aliis præsidendi: ergo prior fuit in Angelo inordinatus sui amor , & vanâ complacentia de sua perfectione , & pulchritudine , quam tyranica extollentia super alios: ergo non hæc, sed illa fuit objectum primum suæ elationis , & causa suæ ruinæ. Unde dixit D. Thom. 2. 2. q. 131. art. 1. quid ambitio (sicut præsumptio , quæ affert immoderatam excellentiam) supponit superbiam propriè dictam. Ehinc jam patet ultima conclusio , et

NOSTRA RESOLUTIO:

55 **O**bjectum primum , circa quod Angelus deliquit , fuit beatitudo naturalis , in qua vanè , sed non benè complacuit , non eam ordinando in finem ultimum , & supernaturalem , qui est Deus. Hanc sequuntur sententiam communiter Thomistæ , & prob. 1. ex Ezech. 28. v. 17. ibi: *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo: quæ verba de peccato primo Angeli intelligunt SS. PP. & ex eis constat , elationem eorum ex cumulo excellentium perfectionum , & beatitudinis naturalis , spreta regula , & mensura à Deo præfixa , debitaque in eum*

ordinatione, occasionem accepisse. Consonat D. Thom. 2. contra Gent. c. 109. ibi: *Potuit igitur in voluntate substantiae separata esse peccatum ex hoc, quod proprium bonum, & perfectionem in ultimum finem non ordinavit, sed inhaesit proprio bono ut fini... Unde convenienter dicitur, quod primum peccatum Dæmonis fuit superbia.*

56. Prob. 2. Ratione deductâ ex objectis jam exclusis, circa quæ Angelus potuit intumescere: nam in primis omnimoda cum Deo æquiparantia non fuit primum objectum, nec etiam tyranica potestas, nec demum unio hypostatica, ut probatum manet; sed nec fuit beatitudo supernaturalis, vel aliquod bonum supernum, quod quasi debitum sibi illud concupiverit, vel illud propriis viribus acquisibile præsumpsit. Hec minor prob. (probata jam majori in præcedentibus assertis) beatitudo supernaturalis, & quodlibet donum supernaturale est gratia, utque talis ab Angelo concipiebatur: ergo non potuit concipere solertissima mens Angelica ut debitum, quod gratis dari, vel ipsum nomen gratiæ declarat; nec potuit itidem apprehendere per suam virtutem naturalem acquisibile id, quod supra omnem naturam agnoscebat esse creatam, & creabilem: ergo nec potuit superbire ambiendo, quod impossibile assequi certò cognoscebat. ¶ Ut summum ergo potuit dicto modo appetere beatitudinem supernaturalis virtualiter interpretativè, ut ait N. Paul. n. 107. quatenus, non ordinando suam beatitudinem naturalis in Deum, peccavit, quo im-

peditus est peccato converti ad Deum finem supernaturalem, quandò urgebat eum præceptum conversionis in illum. Unde tandem neutram ordinavit beatitudinem in Deum: cum differentia tamen, quod naturalis fuit objectum primum, & primarium, supernaturalis verò quasi secundarium, & ad primum consecutum, ut idem N. Paul. ait n. 106.

ARGUMENTA CONTRA HANC ULTIMAM resolutionem, & consequenter contra primam.

57. **O** Bf. 1. Ezechielem 28.

v. 2. ubi de Lucifero sic loquitur: *Elevatum est cor tuum: Et dixisti: Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi: ergo nedium similis Deo præsumpsit esse Lucifer, verum & Deus, vel alias quasi Deus, quod etiam suadet opposita Angelorum bonorum exclamatio: Quis sicut Deus! quasi dicerent: Quis potest esse sicut Deus? Quem te ipsum facis, qui, quasi Deus sis, gloriaris? Quis sicut Deus? Nullus: ergo nimis tibi derogas, tibi dum arrogas. Derogas quidem, qui infernum capis, dum arrogans Cœlos scandis. Derogas, dum esse Deus summus temerè pertantas, & esse coluber imus miserè incipis: ergo fuit objectum Dæmonis esse Deum per æquiparantiam. ¶ Confirmat hoc Nazianz. Carm. 6. ubi ait: *Dum Deus esse cupit, terre caligine torus obrutus est.* Et Ugo Viet. tr. 2. c. 4. sic ajens: *Similis esse voluit Aliissimo, non per imitationem, sed per aequalitatem.* Idem tradunt alii PP. apud Suar. lib. 6. de Ang. c. 12. relati: ergo &c.*

Resp.

58 Resp. cum D. Thom. q. 16. de malo art. 3. ad 3. quod testimonia hæc omnia non sic intelligenda sunt, ut omnimodam sonent cum Deo æqualitatem: hanc enim voluntas per solertiſſimum Angelicum intellectum manuducta, cognoscentemque chimericam esse, & vanam appetentiam, incredibile videtur sibi arrogare præsumptisse; appetit verò Angelus participationem alicujus divinæ perfectionis, quam posset, & non debebat habere: & hic appetitus dici potest, fuisse divinitatis, non quidem formaliter, sed virtualiter, & interpretativè: & adhuc sic non primariò, sed consequenter habitus ad primarium actus nimii amoris erga se. Vide D. Thom. I. p. q. 63. art. 3. Sed replicabis, et

59 Obs. 2. Ideò æquiparantia cum Deo non fuisset objectum primi peccati Dæmoniorum: quia impossibilis erat; sed hæc ratio non obstat. Minor hæc multipliciter prob: primò ex Arist. 3. Ethic. c. 2. ubi ait, quod, licet electio non sit impossibilium, voluntas tamen per simplicem complacentiam potest ferri in illa. ¶ 2. Ex D. Thom. I. 2. q. 13. art. 5. ad 1. ubi ait: *Voluntas incompleta est de impossibili, que secundum quosdam velleitas dicitur: quia, si licet, quis vellet illud, si esset possibile.* ¶ 3. Ex illo D. Augustini actu amoris ferventissimo in suis soliloquii explicato: *Si ego possem esse Deus, mallem te, quoniam me esse Deum.* ¶ 4. Ex piissimo affectu, quo plures animæ respiciunt Deum, quem amore vellent diligere infinito, & qui-

dem piissimum est velle. ¶ 5. Ex affectu, quo pœnitens vellet (& quidem meritorie) peccatum suum præteritum non fuisse commissum, quod verè est impossibile. ¶ 6. Ex impiò desiderio, quo damnati volunt Deum non esse, quod non minus est impossibile, quām Angelum Deum esse. ¶ 7. Ex eo quod intellectus potest cognoscere impossibilia: ergo & voluntas ea aliqua simplici amare complacentia. ¶ 8. Ex eo quod intellectus attingit futura conditionata, hoc est, quæ in re sub aliqua ponentur conditiones: ergo & voluntas amare impossibilia sub conditione, quod essent possibilia.

60 Ad hoc respondetur argumentum negando minorem tot, variisque protectam exemplis, & paragiis. Pro cuius solutione priùs nota, aliud esse impossibile simpliciter tale, aliud tale per accidens, & ex suppositione. Primum ex terminis repugnat, & in nullo fieri potest eventu, ut Angelum esse Deum: secundum solum ex suppositione aliqua, per accidens præente, fieri repugnat, non verò ex terminis, & absolutè, ut non peccasse, quod verè potuit non fuisse: ex suppositione verò quod peccatum fuerit, jam non esse est impossibile. Ex his ad testimonia Philosophi, & D. Thomæ ea dic intelligenda de impossibili non ex terminis tali, sed ex suppositione, ut patet ex paradigmate, quo utitur primus, & expositione quam applicat secundus lect. 5. Erat enim sermo de appetitu, quo homo immortalis esse vellet, quod

quod absolutè impossibile non est, sed ex suppositione ordinis ad causas naturales, & pro statu hujus vitæ naturaliter corruptibilis. Quòd autem hæc sit D. Thom. mens, constat ex q. 16. de Malo art. 5. ad 9. ibi: *Nullus tendit ad id, quod existimat esse impossibile; sed est quadam imperfecta voluntas, qua dicitur velleitas, qua scilicet alius vellet &c.* Ubi nota: non ait, qua vult defactò, sed *vellet*, ut innuat non defactò esse voluntatem, sed quòd voluntas esset, si conditio adesset.

61 Ad probationem 3. dic, affectum illum Augustini non solum fuisse conditionatum ex parte objecti, sed & ex parte actus, & ideo defactò non illud voluit, sed hypothesim finxit, in qua, si possibile foret, vellet. De Dæmone autem non modò quòd vellet, sed & quòd voluit actu, & defactò, volunt suadere contrarii. ¶ Ad 4. dic, voluntatem amandi amore infinito vel oriri ex imperitia animarum simplicium (alias piarum) putantium possibilem esse amorem infinitum, quæ ignorantia non appetet in casu Angelorum: vel, si peritæ sint, idem dico, ac de affectu Augustini dictum est. ¶ Ad 5. resp. 1. illud impossibile non esse simpliciter tale: quia absolute potuit creatura non peccasse; esse verò Deum creaturam nec absolute, nec ex ulla præmissa conditione est possibile: unde non tenet paritas. Secundò dico (& forte melius) quòd peccator non vult, quòd peccatum non sit, postquam est commissum, alias vellet, quòd non fuerit quod jam fuit, & hoc impossi-

bile est: quod ergo vult est, non fuisse umquam præsens, & hoc quidem possibile fuit.

62 Ad 6. resp. 1. Damnatos non Deum non esse appetere, cùm non ita ignari sint, ut Deum indefitibilem esse prætereat eos, sed quòd Deus non eos puniat, vel quòd Deus, tūt Deus eos puniens, non sit, quòd possibile est; est enim actus Dei liber punitio illorum. Resp. 2. quòd, si volunt Deum non esse, non est directè, sed indirectè, quantum directè volunt à miseriis relevari, quod fieret, si deesset Deus. Si autem indirectè, & consequenter volunt Deum non esse: jam hoc peccatum supponit aliud primum, & proindè hujus objectum, & non illius terminavit primam Angeli superbiam, de qua loquimur.

63 Ad 7. Nega paritatem: quia plus patet veritas, quam bonitas: est enim illa objectum potentiae universalioris, scilicet intellectus, quam hæc. Unde & Deus, qui cognoscit omnia purè possibilia, non illa amare potest, quia non habent bonitatem: quantò ergo minus poterit voluntas creata amare impossibilia, quæ à bonitate procul plus sunt, quam possibilia? ¶ Ad ultimam respondetur, quòd futurum conditionatum habet causam illi dantem esse, scilicet voluntatem actu volentem quòd, si conditio verificetur, res existat; ast verò impossibile, quam habebit sui causam, cùm ideo dicatur impossibile: quia causa caret, quæ producat illud?

DUBIUM VII.

**AN AD PRIMUM ANGELI PECCATUM
præcesserit aliquis defectus in ejus
intellectu?**

64 **D**ubium hoc dependet ex alio in Scholis excitari solito, an, scilicet, aliquis, sive Angelus, sive homo possit peccare per voluntatem, quin aliquis defectus moralis præcedat in intellectu? Et ideo hanc difficultatem omni creaturæ peccatrici communem prius discutiemus, ut per eam propositæ ad Angelos contractæ viam aernamus. Sed prius nota, quatuor posse ex parte intellectus præcedere defectus: Primus est nescientia, & hæc est carentia scientiæ eorum, ad quæ quis non natus est scienda, nec scire tenetur: & hic defectus non habet rationem mali, culpæ, vel pænæ, potestque illo laborare intellectus Angelicus: quia nulli creato est datum omnia scire, imò omnis necessariò ignorat multa. Secundus est ignorantia, scilicet, respectu illorum, quæ quis aptus natus est scire, & hic defectus importat rationem mali in ignorantie. Tertius est error, quandò, scilicet, nedum res ignoratur, sed insuper intellectus format conceptum oppositum rei, quam ignorat. Quartus est inadvertentia, quandò, scilicet, licet intellectus sit instructus, vel sciens, caret tamen actuali advertentia, quæ, si haberri tenetur, dicitur positiva, & culpabilis; negativa verò & inculpabilis, si contra. His præscitis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

65 **N**ulla potest voluntas ac tu peccare, quin ex parte intellectus aliquis præcedat defectus moralis. Hanc tenent Sententiam Thomistæ contra Scotistas, Suarez, & plures ex Suaristis, & prob. 1. ex D. Thom. q. 16. de Malo art. 2. ad 4. ibi: *Semper autem in peccato defectus intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionaliter se concomitantur.* Idem habet 1. 2. q. 77. art. 2.

66 Prob. 2. ratione: Voluntas creata cæca est, & indiferens erga quodlibet extreum eligendum, sed alijs sequitur ductum intellectus practicè dictantis quid re ipsa eligat faciendum, vel omitendum: ergo priusquam ipsa delinquat, præcedere debet intellectus dicens, & dictans quod malum operetur: ergo sicut ipsa peccat in operando, sic etiam peccat intellectus in dictando. Consequentia hæc patet in consiliante, qui non minus delinquit in suadendo malum, quam consentiens in exequendo illud.

ARGUMENTA CONTRA HANC CONCLUSIONEM.

67 **O** B. 1. intellectus solùm est, ut objectum proponat cum indiferentia voluntati: istius autem illud assimilare, vel desplicere; sed in hoc quod est proponere objectum cum indiferentia, non peccat intellectus: ergo ex parte hujus nullus defectus debet præcede-

cedere moralis. Major videtur certa : Tum , quia eligere hoc , vel illud , est proprium voluntatis. Tum , quia sàpè accidit , quòd intellectus proponit voluntati ut melius servire Deo ; & tamen voluntas amplectitur illum offendere : ergo signum est , quòd intellectus nil aliud est , quàm proponere objectum cum indiferentia voluntati.

68 Pro solutione nota , duplex ex parte intellectus præcedere judicium antequam voluntas operetur: nam sicut voluntas in actu primo nihil aliud explicat , quàm posse ad quodlibet extremum insequendum , & in actu secundo addit determinationem ad hoc præ alio amplectendum , sic ex parte intellectus duplex est judicium assignandum , aliud speculativum proponens utrumque extremum cum indiferentia , & huic correspondet ex parte voluntatis posse utrumque amplecti disjunctivè: aliud judicium practicum , dictans hìc , & nunc hoc præ alio extremorum insequendum esse , & huic correspondet determinatio , & prædilectio voluntatis , hoc præ alio extremum amplectentis. Et ratio huius est summa sympathia potentiarum harum , quarum prima , scilicet intellectus , est juxta D. Thom. I. 2. q. 17. art. I. ad 2. radix libertatis : Ex hoc enim (ait) voluntas potest ad diversa ferri : quia ratio potest habere diversas conceptiones boni. Et ideo Philosophi definitum liberum arbitrium quod est liberum de ratione judicium , quasi ratio sit causa libertatis. Secunda vero , scilicet voluntas , non utcumque habet pro objecto bonum ,

sed bonum ab intellectu propositum , ad distinctionem rerum intellectu carentium , quarum appetitus in res fertur , præente non judicio indiferenti , sed instinctu determinato , ut inquit D. Thom. I. p. q. 83. art. 1.

69 Ex his patet jam solutio ad argum. distinguendo mai. solum est intellectus proponere cum indiferentia , quandò judicium profert speculativum , conc ; quandò dictamen format practicum , nego maj. & concessa min. nego conseq. Ad primam majoris probationem dist. ant eligere ultimè , & terminativè est proprium voluntatis , conc ; initiative , & radicaliter , nego ant. Et itidem dist. ant. secundæ probationis : sàpè intellectus proponit speculativè ut melius servire Deo , & voluntas sequitur offendere illum , conc ; proponit practicè , nego ant. & conseq. Fatemur equidem , intellectum sàpè invitare voluntatem ad utrumque extremum , illa merè proponendo. Hæc autem invitatio solum est theoria: quia voluntas non determinatur usque dum practicè , & detrac-tè ad hoc præ alio amandum per intellectum invitatur.

70 Obs. 2. Ex hac sequi conclusione , quòd omnino impertinens est præmotio physica , quam ideo dari admittimus , & pro viribus propugnamus : quia sine illa voluntas nostra de se indiferens , numquàm ad actum determinaretur secundum ; si autem per dictamen practicum determinatur intellectus , ut quid præmotio hæc ? Resp. I. quòd præmotio physica requiritur , ut intel-

tellectus, qui speculativè, & cum indifferentia proponebat, tandem practicum efformet dictamen, quo mediante, voluntas determinatur per præmotionem intellectus ipsam mediæ præmoventem. Vel dic 2. quod quamvis voluntas creata determinetur per dictamen intellectus practicum tamquam per causam secundam cum ipsa cooperantem, interest ultrà, ut & præmoveatur à Deo, tamquam à causa prima, & libero primo, cui immediatè subjacere debet omne liberum secundum. En exempla: Intellectus per lumen gloriæ determinatus est ex parte potentiae ad visionem Dei, & nihilominus desideramus aliam determinationem ex parte objecti media specie. Aliud: causa inadæquata adjuvatur sufficienter ab alia concusa secunda ad portandum pondus, & tamen quod Deus per modum causæ primæ concurrat immediatè, opus est: ergo similiter in nostro casu.

His addi solent argumenta suadentia læsionem libertatis nostræ voluntatis, quia necessitatur hæc inseparabili dictamen intellectus: sed ea omnia solves ex his, quæ sèpè proposuimus, & feliciter diluimus, desumpta ex læsione, quam adversarii nobis infelicitè objiciunt ex admissione præmotionis. Ea vide inde scientia, & voluntate Dei, & prædestinatione.

SECUNDA CONCLUSIO.

71 **A**nte primum Angeli peccatum nullus error, nullave præcessit ignorantia, sed ut summum aliqua inconsideratio cul-

pabilis. Ita communiter Thomistæ cum D. Thom. 1. 2. q. 77. art. 2. & 1. p. q. 63. art. 1. ad 4. ubi ait, quod contingit peccare sine ignorantia per absentiam solum considerationis eorum, quæ considerari debent. Et concludit: Et hoc modo Angelus peccavit &c. S. Dœct. sequuntur NN. Salm. in hoc tr. disp. 10. dub. 8.

72 Prob. ratione: Angelus habuit à principio nedum notitiam, & scientiam certam omnium, quæ pertinent ad ordinem naturalem, verum & fidem, & revelationem eorum, quæ ad honestè vivendum tam in ordine naturali, quam & supernaturali opus erant: ergo non potuit peccare ex ignorantia, vel errore. Ant. patet ex Ezech. 28. ubi Lucifer refertur plenus sapientia, & decore à die conditionis suæ: in quo differt ab homine, qui à principio suæ creationis usque ad tempus in pura est potentia ad intelligendum: & adhuc postquam uititur ratione, mille laborat ignorantis & erroribus, ut experientia est. Consequentia est legitima quantum ad ignorantiam, & quantum ad errorem clarificare enim incompatibilis est cum notitia, & scientia rei plusquam ignorantia: quia præter ignorare, addit oppositum positivè afferere. Nunc sic; sed aliquis defectus moralis debet præire ex parte intellectus ad peccatum, ut probatum est in prima conclusione: ergo ut minus aliqua tribuenda est Angelo culpabilis inadvertentia, quam habere non deberet, ut peccare verificetur.

ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM
conlusionem.

73 Obs. 1. D. Thomam in 2. ad Annibal. dist. 5. q. 1. art. 1. ad 1. ibi : *Circa judicium eligibilium in Angelo error esse potuit &c.* ergo potuit præcedere error ad peccatum primum. Dist. ant. error formaliter talis, nego ant; virtuialis, & interpretativus coincidens cum inadvertentia, conc. ant. & nego conseq. Quod autem hæc sit ejus mens, constat ex eodem loco, ubi addit: *Intellectus Angelii, licet in eligendis non possit ligari passione, sicut in nobis accidit, potest tamen impediri à recto judicio eligibili per omissionem aliquorum, quæ consideranda sunt.* Ecce D. Thomam objicientem sibi, & solventem se.

74 Obs. 2. Illud judicium inconsideratum, vel inconsideratio, fuit voluntarium, & culpabile, vel non? Si non, corruit conclusio nostra. Si fuit: ergo præcessit voluntas faciens illud voluntarium; sed in hoc peccavit voluntas: ergo præcessit peccatum voluntatis ante omnem actum intellectus: ergo vel sic conclusio ruit. Resp. fatendo primam illam inconsiderationem fuisse culpabilem, & consequenter voluntariam ab actu voluntatis illam præcedente in genere causæ formalis denominantis eam volitam; & nihilominus defendimus, quod hunc actum voluntatis præcessit in genere causæ formalis regulantis (vel etiam in genere causæ efficientis, ut inquit N. Paulus hic) actus intellectus

inconsideratus, sicut præcedit illum quodlibet dictamen practicum, & pravum, quando peccat aliquis: in quo nihil novum inducimus, quod non passim in Schola Thomistica afferatur circa mutuam duarum causarum simul se causantium influentiam.

DUBIUM VIII.

QUOT MORULIS, SIVE INSTANTIBUS
absoluta fuerint bonorum beatitudo,
& malorum ruina Angelorum?

75 PER instans Angelicum ne intelligas aliquam durationem indivisibilem, qualis est instans nostri temporis, quæ tam formaliter, quam virtualiter est indivisibilis; sed talem, quæ licet sit formaliter indivisibilis, est tamen divisibilis virtualiter, quæque coexistere possit parti nostri temporis. Et ratio est, quia instans Angeli taxatur per suam operationem, quæ durare potest per aliquod tempus nostrum divisibile, ut inquit D. Thom. 1. p. q. 63. art. 5. ad 2. ibi : *Angelus est supra tempus rerum corporalium.* Unde instantia diversa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundum successionem in eorum actibus.

76 Missis variis dicendi, vel potius divinandi modis in hac materia, quæ à revelatione divina nullam haurit lucem: communior est Theologorum opinio, quod totum hoc negotium peractum fuit in tribus instantibus, in quorum primo omnes Angeli fuerunt in gratia concreati, operatique tum naturaliter, tum

tum supernaturaliter in Deum , à Deo specialiter moti , & auxiliati. Omnes itidem meruerunt , licet non perfectè : quia solum fuit in eis libertas quoad exercitium , non quoad specificationem. In secundo boni ex plena libertate beatitudinem , mali verò meruerunt aeternam damnationem. In tertio demum illi beatitudinem , isti damnationem effectivè sunt adepti. His præactis , sit

PRIMA CONCLUSIO.

77 **P**rimum instans , in quo tam boni , quam mali Angeli operati sunt dicto modo , fuit indivisible , duransque per correspondentiam ad instans indivisible nostri temporis. Sic D. Thom. 1. p. q. 63. art. 6. ibi: *Probabilior , & Sanctorum dictis magis consuens est* (opinio) quod statim post primum instans suæ creationis Diabolus peccaverit: ergo idem cum proportione dicendum est de bonis. Ratio est , quia transacto primo instanti , in quo Diabolus rectè operatus fuit , si immediatè in sequenti non peccasset , vel esset otiosus , quod de intellectu , & voluntate perfectissimis , & actualissimis non est credendum , vel operaretur bene; sed nec hoc admiti potest. Hæc minor probatur : intellectus , & voluntas Angeli sunt inflexibilis , adharentesque suis respectivè objectis fixè , & immobiliter , saltim in actibus , qui ab ipso , & non à Deo specialiter eliciuntur) ita ut , quod semel cognoscunt , & volunt , semper volunt , & immobiliter cognoscunt , ut expresse tenet D. Thom.

1. p. q. 63. art. 6. ad 3. & 64. art. 2. in C. : ergo , si transacto primo instanti , in quo actus à Deo specialiter veniebat , Diabolus operaretur bene ex omnimoda , & perfecta libertate , semper deberet in bono esse fixè perseverans , numquām verò peccans ; hoc est nequam dictu: ergo tenet minor. Sed

78 Obs. Actus Charitatis , in primo elicitus instanti per bonos Angelos , continuatus est idem numero & in secundo : ergo fuit per eamdem motionem specialem D. elicitus , aliàs esset diversus , sicut & principium ejus ; sed eadem est ratio pro Angelis malis , ac pro bonis : ergo , si isti in secundo instanti actum probum continuarunt , & pravum elicere nequierunt , & illi in secundo instanti peccare non potuerunt. Ad hoc respondetur argum. colligendo in pauca , quæ diffusè à N. Paulo peraguntur , & dicendo , quod in Angelis bonis actus Charitatis in primo elicitus instanti , continuatus fuit & in secundo , ita tamen , ut , licet idem numero fuerit quoad substantiam , aliquam tamen pateretur variationem quoad modum , quatenus in primo instanti regulabatur per judicium determinatum , à Deo specialiter immisum ; in secundo verò per judicium ex propria formatum electione , (non absimili modo , ac in B. V. M. contigit , de qua in ejus diximus tract. II. disp. 3. dub. 2. quod actum eundem numero Charitatis in via elicium continuauit in Patria , sola mediante variatione judicij regulantis , non vero actus

actus regulati.) Unde ille actus erat in primo instanti liber solum quoad exercitium, respectu cuius motio Dei specialis erat simul virtualliter eminenter auxilium, & præmotio efficax, & ideo in secundo instanti relinquens munus motionis specialis, mansit in solo munere auxilij efficaciter premoventis. In malis vero non sic fuit, sed cessante in secundo instanti motione speciali quoad utrumque munus, & succedente solummodo auxilio sufficienti, hoc abusi sunt Diaboli, & in peccatum sunt prolapsi.

CONCLUSIO SECUNDA.

79 **A**ngeli boni in secundo instanti non meruerunt, & simul Deum viderunt, sed transacto secundo instanti, in quo meruerunt, in tertio beati fuerunt. Sic contra Cajet. D. Thom. I. p. q. 63. art. 5. ad 2. ibi: *Vnde relinquitur, quod oportet diversa instantia accipi, quorum in uno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.* Rationem reddit ibi: quia, scilicet, actus meritorius est gratia imperfecta, hoc est vialis, actus vero visionis est gratiae consummatae. ¶ Unde inferatur, quod nec Angelus malus in eodem secundo instanti peccavit, & simul aeternum subiit supplicium: sequeretur enim, quod simul haberet donum fidei, & alias supernaturales virtutes, quae incompatibilis sunt cum statu damnationis.

80 Obs. 1. Meritum, aut demeritum Angelorum est operatio instantanea; sed non repugnat, quod

haec conjugatur cum ejus termino, ut patet in illuminatione Solis, quæ in eodem instanti, in quo ipsa illuminat, terminus etiam est illuminatus: ergo ruit conclusio. ¶ Et confirmatur: nam ex terminis non repugnat conjungi meritum cum præmio, ut patet in augmento gratiae, quod existit in eodem instanti, in quo actus merens illud elicetur, & coexistit: ergo pariter. Resp. ad argumentum, & confirmationem uno verbo, fatendo, quod ex terminis id profecto non repugnat, nisi quando circunstancia, vel requisita sunt incompatibilia, ut sunt fides pro merito, & lumen pro visione requisitum, ut in primo casu: & itidem dona supernaturalia, & damnatio aeterna, ut in secundo.

81 Obs. 2. Sicut meritum est via ad præmium, sic actus Charitatis ad gratiam; sed cum hac ille compatitur in eodem instanti: ergo etiam meritum cum præmio. Dist. maj, sic, & sic, nego, sic & secus, conc. & min. & nego conseq. & paritatem: quia præmium, & meritum pendent a principiis inter se incompossibilibus, scilicet fide, & lumine; non sic gratia, & actus Charitatis, sed quinimodo hic ab illa oritur, & in illa recipitur.

82 Obs. 3. Anima Martyris in primo instanti suæ separationis a corpore habet aureolam Martyris, & est beata; sed in eodem instanti meretur illam: nam priusquam moriatur effectiva, non est illa digna: ergo compatitur meritum cum præmio. Respondeat D. Thom. 2. 2.

q. 124. art. 4. ad 4. concessa majori , negando min. quia meritum (inquit) martyri non est post mortem, sed in ipsa voluntaria substinentia mortis; atqui talis substinentia mortis non est post mortem : ergo nec meritum.

83 Obs. 4. Anima justi moriens aliquibus gravata venialibus, in primo instanti separationis meretur remissionem illorum medio actu Charitatis ferventissimo: ergo conjungit in eodem instanti meritum cum praemio. Respondet D. Thom. q. 7. de Malo art. 11. ad 6. & in 4. dist. 17. q. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad 7. negando ant. quia actus ferventissimus non habet tunc rationem meriti , sed formæ incompatibilis cum venialibus peccatis.

Q V E R E S.

84 **Q**uandiu duraverit per correspondentiam ad tempus nostrum totum resolvere negotium Angelorum, quod in tribus Angelicis instantibus jam diximus fuisse resolutum ? Quantum ad primum instans dictum manet n. 77. Quantum ad 3. si loquamur de inceptione præmii , vel suplicij , hæc etiam fuit instantanea cum proportione ad nostrum instans: quidquid sit , quod hæc novitas esfendi duret , ut verè durabit , in æternum. Quantum ad secundum instans , in quo alii meruerunt, alii demeruerunt , incerta res est. In hoc tamen convenient omnes Theologi , quod via malorum finita fuit ante lapsum Adami , in quo jam

Diaboli dicuntur. Sap. 2. *Invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum.* Et idem videtur dicendum de bonis Angelis. ¶ Verosimile tamen est , non durasse utriusque classis Angelorum viam , nisi per unum instans nostro correspondens : quia bonorum beatitudō , asserit D. Thom. 1. p. q. 63. art. 6. obstenta est per unicam operationem: ergo verosimile est , hanc ad unum nostrum indivisibile instans contractam respondisse ; sed eadem videtur adesse ratio pro malorum duratione: ergo &c. Quin obstet pugna , & altercatio inter bonos , & malos: hæc enim sita fuit in manifestatione , & oppositione affectuum , & dictaminum , quæ in unico potuit exhiberi instanti nostri temporis.

D U B I U M IX.

*UNDE PROVENIAT IN DÆMONE
obstinatio?*

85 **T**ribus in locis agit D. Thom. de obstinatione Dæmonis , scilicet 1. p. q. 64. art. 2. : in 2. dist. 7. q. 2. art. 2. : De verit. q. 24. art. 1. & 2.; ex quibus aliqua munera ergo nostri feligamus , alia compendii gratia mittamus opus est. ¶ Obstinatio nihil est aliud , quam determinatio fortis in malum , & inflexibilis circa bonum , quæ ex dupli oriri potest causa , alia extrinseca , ut negatione auxiliorum Dei: intrinseca alia , natura scilicet peccantis, quæ ea est , ut semel atque aliquid ex plena eligat libertate , semper

illud vult : numquam ab ejus abscedere potest volitione.

86 Origenes, alijs vir sublimis ingenii, omnigenaque litteratura ornatus, in quibus bonus, optimus ; in quibus verò malus, pessimus, Sacrae Scripturæ dictus Scholastæ, inter alia hos effutivit errores, scilicet, liberum arbitrium creatum in quocumque fuerit statu esse vertibile in bonum, & in malum. Undè intulit & Dæmones quandoque converti, & per divinam misericordiam veniam posse consequi ; Angelos quoque bonos posse in malum labi, & vitam æternam abdicare. Sed profectò, qui sic locutus est, Fidem Catholicam abdicavit, & ideò dixit D. Thom. 1. p. laudatus, quod *hæc positio* (Origenis) erit *tamquam erronea reputanda* ; & tenendum est firmiter secundum Fidem Catholicam, quod voluntas bonorum Angelorum confirmata est in bono, & voluntas malorum obstinata est in malo.

87 Hæc Dæmonum obstinatio ut minus à negatione omnis auxiliū tum efficacis, tum sufficientis provenire fatendum nobis est cum omnibus Theologis. Et ratio est, quia jam sunt in termino; collatio verò auxiliorum est via, & medium ad gloriam obtainendam, quæ est terminus contrarius. ¶ Dices: ergo Dæmones non peccabunt: contra illud 1. Ioan. 3. 8. *Quoniam ab initio Diabolus peccat.* Conseq. prob. quia tollitur ab eis virtus proxima, scilicet auxilium sufficiens ad vitandum malum, saltim in ordine supernaturali. Resp. sufficere illi po-

tentiam, & libertatem contradictonis ad malum, vel non malum, vel ad malum hoc, vel illud. Id quod cum proportione de libertate Christi, quantum ad bonum, sèpe diximus. Sed

88 Contra: Si Deus auferat ab homine viatore auxilia omnia sufficientia, non imputabitur ei in peccatum non implere saltim præcepta supernaturalia, ob defectum virtutis proximæ ad implendum ea: ergo pariter: En disparitas: homo ex suo peccato regulariter non prævidet negationem auxiliorum, quæ in peccatum illius subsequetur ei, inquit in plurimum contrarium experitur, idèo dignus judicatur, cui peccatum ex defectu adimptionis præcepti non imputetur: caret enim auxilio necessario, cuius parentiam non prævidit; econtra Dæmones intelligentia solertissimi, ut minus virtualiter, illam præviderunt, & nihilominus peccarunt, undè illam & voluerunt: ob cujus volitionem parentia præsens voluntaria est in causa, & ideò à culpa non aliena.

89 Undè tota devolvitur agitanda difficultas circa intrinsecam rationem obstinationis, an hæc, scilicet, à natura Dæmonum intrinseca proveniat? Circa quam duplex congregatur sententia, alia Scotistarum, & Suaristarum id negantium; alia id afferantium omnium Thomistarum, Duce, & luce eorum Magistro D. Thoma. Ex quo sequens deducitur



CONCLUSIO.

90 **O**bstinatio Dæmonica oritur ex natura sua inflexibili in his, quæ semel perfecta voluit libertate, & electione. Sic D. Thom. i. p. q. 64. art. 2. ubi ad inquirendum causam hujusmodi obstinationis, recurrat ad distinctos apprehendendi, & appetendi modos inter Angelos, & homines: horum quidem mobilem, & flexibilem; illorum verò fixum, & irremeabilem. En illius verba: *Voluntas hominis adharet alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contra eum adherere; voluntas autem Angeli adharet fixè, & immobiliter.* Nunc sic; sed modi apprehendendi, & appetendi sunt intrinseci tam hominibus, quam Angelis, ergo horum obstinatio ab instrinseco naturæ suæ devenit.

91 Prob. 2. ratione: Voluntas sequitur ductum, & modum intellectus eam dirigentis; sed intellectus Angeli, ad humani distinctionem, de rebus judicat fixè & immobiliter: ergo etiam voluntas ejus eas sic diligit vel, despicit. Major est certa, & minor prob. ex D. Thom. q. 24. de verit. art. 10. ubi docet, ex triplici capite oriri in nobis retractationem peccati, & consequenter variationem judicii. Primo ex impetu alicujus passionis vehementis judicium nostrum obnubilans & ofuscans, & hoc in Angelis locum non invenit, cum parte careant sensitiva, intellectum circa suum objectum fallaciter alliciente.

Secundò ex aliquo habitu, ra-

tionē cuius alteratur subjectum, & verificatur illud Philosophi: *Constudo est altera natura.* Ex quo oritur, quod de eodem objecto aliter judicat sanus, aliter infirmus, aliter iracundus, aliter pacatus, aliter consuetudine affectus, aliter insuetus. Hæc autem in Angelo locum non habent: petunt enim potentias inferiores, quæ talibus infectæ habitibus superiores fallaciter alliciunt, & offuscent; in Angelis verò duæ sunt tantum potentiae simplicissimæ, scilicet, intellectus, & voluntas: hæ autem se ipsas nequeunt allicere, nec fallere. Tertio ex aliquo errore, vel ignorantia, quibus sublati media instructione, & recta intelligentia, variatur judicium in hominibus, in Angelis verò, cùm non sit motus discursivus, sed unico & simplici intuitu res cognoscat (si sibi sufficienter objiciantur) certè, fixè, & immobiliter prout sunt in se, non potest supervenire variatio in judicando, & consequenter in eligendo: & inde oritur obstinatio in eo, quod semel judicavit, & elegit.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

92 **O**bl. 1. Angelus, ut dictum est supra n. 71. ex aliqua peccavit in consideratione: ergo pensato, ut ajunt, meliori, potuit illud primum retractare judicium, & itidem illam primam electionem castigare. Concesso ant. nego conseq. quia illa ipsa inconsideratio perfectè (licet iniquè) cognita, & volita fuit ab Angelo: semel autem sic formata, judicium, &

elec^{tio} irrevocabilia redduntur ex suapte natura judicantis, & eligen-
tis.

93 Obs. 2. Augustinum de cor-
rectio. & grat. ubi expressè afferit,
bonis Angelis datum esse non posse
cadere in præmium sui boni operis:
ergo non ineſt ipsis hæc impoten-
tia ex naturæ inflexibilitate: ergo
nec malis obſtinatio. Idem docent
Greg. lib. 23. Moral. c. 4. Isido-
rus lib. de Sum. bono. c. 12. n. 2.
& 3. & Damas. lib. 2. c. 3. ibi;
Nunc autem ea conditione sunt (Angelii)
ut nulla ratione moveri possint, quod non
eorum naturæ, sed gratia constantia tri-
buendum eſt. Ad hæc, & alia SS. PP.
objecta facile resp. ipſos ſolūm in-
tendere, quod natura Angelorum
mutabilis eſt, ac potens cadere: quia
ante primam bonam electionem flexi-
bilis fuit & in bonum, & in ma-
lum: gratia autem Dei efficaci debi-
tum fuit bonum eligere, & in ma-
lum non inclinare.

94 Obs. 3. Angeli mali in pri-
mo instanti dilexerunt Deum, quam
dilectionem in ſecundo certè retrac-
tarunt: ergo inflexibles non sunt.
Si dicas, quod in primo instanti
non ex plena libertate eos fuſſe
operatos, ſed medio judicio à Deo
ipſis immiſſo. Contra: ipſi in pri-
mo instanti meruerunt: ergo & per-
fecta operati ſunt libertate. Resp.
ſuſtinendo ſolutionem inter arguen-
dum datam, & ad ejus instantiam,
quod ad meritum non requiritur ple-
na, hoc eſt, adæquata libertas, tam,
quoad ſpecificationem, quam quoad
exercitium: neque enim Christus
fuit liber ad bonum, & ad malum

& tamen meruit: ſufficit ergo li-
bertas quoad exercitium, quaे verè
reperta fuit in omnibus Angelis in
primo instanti, ut jam n. 32. præ-
diximus.

95 Obs. 4. Dæmones antequām
Christum Deum eſſe noſcerent, mor-
tis ejus fatagebant, Iudam ad hunc
finem inducentes; postquām verò
vim ſenſerunt ejus divinitatis, con-
trarium machinati ſunt, Pilati uxori,
ne moreretur, per ſomnium ſug-
gerentes: ergo non ſunt inflexibi-
les. Resp. Dæmones ſemper, & ir-
revocabiliter adhæſiſſe malo forma-
liter tali: innitentes enim Christum
mori, ipſi malum inferre intende-
bant; id verò vitare fatagenteſ, ſe-
bonum à nobis tollere volebant. Ra-
tio verò diversæ nunc, ac tunc
intentionis, ex diversitate objecti
ſic, vel ſic, hoc eſt certò, vel in-
certò ſibi propositi, oriebatur: ſem-
per tamen in male volendo fixa-
erat.

96 Obs. 5. Sequitur ex concluſio-
ne, Angelos nobis eſſe infelicio-
res, & imperfectiores: quia ſemel
in malum prolapsi, ſuper illud ſi-
ne medella recumbunt in æternum;
ſed hoc nequit admitti: ergo nec
concluſio. Resp. diſt. ſequelam:
eſſe infeliciores abſolutè, nego: ſe-
cundùm quid, ſeu ex ſuppoſi-
tione, conc. ſequel. Et diſtincta ſimi-
liter min. nego conſeq. Ex ſu-
poſitione lapsus fatemur, Angelos
nobis eſſe infeliciores; abſolutè ta-
men, & ex ſe feliciores ſunt:
Tum quia difficultius cadunt ob-
defectum partis rebellis inferioris: Tum
quia, ſemel quod non cadant, num-
quam

quam cadent ; nos econtra facilius labimur , & adhuc postquam surgimus , facile relabimur ex defectu constantiae instando.

97 Obs. 5. Dæmones de peccato à se commisso dolent , saltim propter acerbissimas , quas luunt, pœnas : ergo peccasse nollunt , & quod voluere , retractant. Resp. neg. ant. non enim dolent Dæmones de malo , quod est offensa Dei , sed de malo , quod se ipsis offendit , vel etiam de bono , quo fruuntur boni , & privantur ipsi mali.

C O R O L L A R I A .

98 **E**X dictis infer 1. quid dicendum de obstinatione animæ separatae : si enim hæc in inferno est discursiva , ut probabilius tenuimus disp. præced. n. 91. & consequenter inconstans & mutabilis , erit ejus obstinatio ab extrinseco proveniens , hoc est ratione status , & privationis omnis auxilii tum efficacis , tum sufficiens. Quod si D. Thom. aliquandò comparat , & conformat obstinationem animæ damnatae cum Dæmoniaca , ut in 2. dist. 7. q. 1. art. 2. & q. 24. de verit. art. 11. id intellige , non quantum ad causam adæquatam , quæ in Dæmonie conflatur ex intrinseca ratione suæ naturæ , & extrinseca ratione status , sed quantum ad inadæquatam , quæ est extrinseca ratione status , & auxiliarum negationis. Si vero negeamus , quod ut separata nequit

discurrere , sed iudicare , & eligerre immobiliter , sicut Angelus , erit etiam ejus obstinatio ab intrinseco , ut potens est , dependens.

99 Inferes 2. Dæmones , & animas damnatorum nullum posse efficeri opus bonum morale. Sic expressè D. Thom. pluribus in locis , & præcipue 1. p. q. 64. art. 2. ad 5. ibi : *Actus Demonis est duplex. Quidam , scilicet , ex voluntate delibera- ta procedens... & talis actus Demonis semper est malus : quia , & si aliquan- dò aliquod bonum faciat , non tamen bene facit , sicut dum veritatem dicit , ut decipiat... Alius autem actus Demonis est naturalis , qui bonus esse potest , & at- testatur bonitati natura ; & tamen tali bono actu abutuntur ad malum. Vide etiam illum in 2. dist. 7. q. 1. art. 2.* Et ratio est , quia ex vi primæ electionis sic ultimo , & pravo fini , quem sibi præfixerunt , adhærent , ut nequeant elicere aliquem actum , nisi ex influxu actuali prædicti pravi finis , cuius proinde effectus , & actiones pravi necessariò debent esse. Et hinc

100 Inferes 3. & ultimò , Dæmones semper esse in actuali odio Dei , non ex natura sua , sed ratione status , in quo perpetuò , & indesinenter sunt in assidua consideratione suæ miseriae , & pœnaru. Agnoscent causam eas infi- gentem , & parentiam remissionis in æternum : ex quibus omnibus exi- tialem rabiem , & implacabile con- cipiunt odium in sui punitorem. Nos vero , qui Deum nostrum , & in præsenti amamus , & in æternum

illum amatuos speramus, amorem,
gloriam, laudem, & obsequium ex
nunc, & usque in sacerdolum ei de-
mus, retribuamus, persolvamus:
quia ipso dante, hanc secundam
nostram opellam ad calcem usque,
rudi licet, perduximus, Minerva.

Cedat utinam in laudem ejus, qui
Auctor est omnium: Cedat, & in
gloriam Reginæ Angelorum: Cedat
etiam in obsequium istorum, sed
principiæ Archangeli Michaelis dig-
nissimi Præfulis, ac Principis Mi-
litiae illorum. Cedat, O! Cedat.

FINIS.



INDEX

LOCORUM EX SACRA PAGINA EXCEPTORUM
quæ in hoc continentur

TOMO SECUNDO.

Syllaba : *Pag.* paginam , littera *n.* numerum indigitant.

EX GENESI.

CAp. 1. In principio creavit Deus Cœlum, & terram. pag. 299. n. 20.

Ibidem : Fiant luminaria... ut sint in signa. pag. 346. n. 58.

Ibidem : Vedit Deus cuncta , quæ fecerat , & erant valdè bona. pag. 296. n. 8.

2. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. pag. 280. n. 1. & pag. 249. n. 48.

3. Inimicitias ponam inter te , & mulierem, & semen tuum,& semen illius : ipsa conteret caput tuum. pag. 228. n. 6.

Ibidem : In dolore paries , pag. 239. n. 28.

Ibidem : Pulvis es , & in pulverem reverteris. ibid.

4. Adam verò cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit. pag. 259. n. 17.

Ibidem : Posuitque Dominus signum (in Cain) ut non eum interficeret omnis , qui invenisset eum. pag. 282. n. 7.

8. Sensus enim , & cogitatio huma-

ni cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. pag. 239. n. 28.

22. Quia fecisti rem hanc , & non pepercisti filio tuo... benedicuntur in semine tuo omnes gentes. pag. 274. n. 54.

26. Ego sum Deus Abraham. pag. 301. n. 25.

28. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. pag. 226. n. 1.

Ibidem : Vedit Jacob..... Angelos quoque Dei ascendentes , & descendentes. pag. 318. n. 81.

31. Dixit Angelus Dei ad me....Ego sum Deus Bethel. pag. 301. n. 25.

EX LEVITICO.

12. Mulier si suscepito semine peperit masculum. pag. 255. n. 3.

EX LIBRO NUMERI.

12. Ore enim ad os loquor ei. pag. 277. n. 61.

EX DEUTERONOMIO.

7. Non erit apud te sterilis utriusque sexus. pag. 261. n. 21.

INDEX.

EX LIBRIS REGUM.

- Liber 2. cap. 6. Et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio. pag. 285. n. 14.
 2. 7. Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. pag. 279. n. 54.
 3. 2: Positus est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus pag. 290. n. 26.

EX PARALIPOMENON.

- Liber 2. cap. 6: Tu solus nosti corda filiorum hominum. pag. 147. n. 23. & pag. 348. n. 63.

EX TOBIA.

- 4: In ipsa (*nempe superbia*) initium sumpsit omnis perditio. pag. 371. n. 42.

EX ESTHER.

5. Adamavit eam Rex plusquam omnes mulieres. pag. 285. n. 14.
 15. Quid habes *Aëther*? Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex instituta est. pag. 242. n. 34.

EX JOB.

4. In Angelis suis reperit pravitatem, quantò magis hi, qui habitant domos luteas. p. 363. n. 16.
 35. Si peccaveris, quid ei nocebis? pag. 8. n. 15.
 Ibidem: Si justè egeris quid dona-

bis ei? Aut quid de manu tua accipiet. pag. 34. n. 8.

37. In manu omnium hominum signat, ut neverint singuli opera sua. pag. 346. n. 58.
 38. Numquid ostendisti auroræ Iocum? pag. 29. n. 26.
 41. Ipse (*Lucifer*) est Rex super universos filios superbiae. pag. 117. n. 21.

EX PSALMIS.

8. Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti. pag. 302. n. 27.
 Ibidem: Quid est homo, quod memor es ejus? omnia subjecisti sub pedibus ejus. pag. 349. n. 67.
 21. Longè à salute mea verba delicitorum meorum. pag. 159. n. 2.
 Ibidem: Vota mea reddam in conspectu timentium eum. pag. 180. n. 24.
 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniqutatem: propterea unxi te Deus, Deus tuus oleo lætitiae. pag. 53. n. 37.
 Ibidem: Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. pag. 285. n. 14. & pag. 290. n. 26.
 45: Santificabit tabernaculum suum Altissimus. pag. 231. n. 10.
 Ibidem: Deus in medio ejus non commovebitur. pag. 252. n. 53.
 Ibidem: Adujubabit eam Deus manè diluculo. pag. 228. n. 6. & pag. 252.
 50: Et malum coram te feci. pag. 52. n. 76.

- 64: Beatus quem elegisti, & assumpisti. pag. 125. n. 11.
 68: Quæ non rapui, tunc exolvebam. pag. 34. n. 80.

- 74: Cum accepero tempus, ego iusticias judicabo. pag. 284. n. 12.
 85: Eruisti animam meam ex inferno inferiori. pag. 245. n. 39.
 88: Exprobaverunt commutationem Christi tui. pag. 34. n. 80.
 90: Non accedet ad te malum. pag. 12. n. 27.
 110: Memoriam fecit mirabilem suorum. pag. 63. n. 22.
 122: Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. pag. 259. n. 17.
 131: Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuae. pag. 285. n. 14.
 135: Qui facit mirabilia magna solus. pag. 45. n. 15.
 143: Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno. pag. 245. n. 39.
 146: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. pag. 202. n. 27.
 148: Laudate eum omnes Angeli. pag. 41. n. 7.

EX PROVERBIIS.

- 14: Errant: qui operantur malum, pag. 363. n. 12.
 31: Multæ filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. pag. 238. n. 26.

EX CANT. CANTIC.

- 2: Sicut lilium inter spinas sic amica mea. pag. 228. n. 5.
 3: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula summi. pag. 281. n. 6.

- 4: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. p. 228. n. 5.
 8: Pone me ut signaculum super cōtuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio. pag. 282. n. 7.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

- 2: Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. pag. 385. n. 84.

EX ECCLESIASTICO.

- 1: Ipse creavit illam in Spiritu Sancto. pag. 228. n. 5.
 10: Initium omnis peccati est superbia. pag. 371. n. 42.
 24: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. pag. 230. n. 10.
 Ibidem: In omni populo, & omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi. pag. 238. n. 26.

EX ISAIA.

- 7: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. pag. 255. n. 3. & pag. 257.
 Ibidem: Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligerre bonum: pag. 170. n. 1.
 9: Parvulus enim natus est nobis. pag. 190. n. 21.
 11: Et replebit eum spiritus timoris Domini. pag. 107. n. 29.
 14: Super astra Dei exaltabo solium meum. pag. 375. n. 54.
 41: Annuntiate quæ futura sunt in futurum, & sciemus, quia dicitis

estis vos. pag. 346. num. 57.

46: Nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum , & ab initio , quæ necdum facta sunt. pag. 346. n. 57.

53: Oblatus est , quia ipse voluit. pag. 169. n. 24. & pag. 104. n. 21. & pag. 179. n. 22.

Ibidem : Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longævum :: pro eo , quod laboravit anima ejus , videbit , & saturabitur. Pag. 189. n. 19.

Ibidem : Iustificabit ipse justus servus meus multos , & iniquitates eorum ipse portabit. pag. 205. n. 15.

EX JEREMIA.

17: Pravum est cor omnium , & inscrutabile : Quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor , & probans renes. pag. 348. n. 63.

23: Cœlum , & terram ego impleo. pag. 314. n. 70.

EX EZECHIELI.

28: Elevatum est cor tuum :: & dixisti : Deus ego sum , & in Cathedra Dei sedi. pag. 376. n. 57.

Ibidem : Tu signaculum similitudinis , plenus sapientia , & perfectus decor. pag. 334. n. 20.

Ibidem : Perfectus in viis tuis à die conditionis tuae. pag. 367. n. 27.

Ibidem : Elevatum est cor tuum in decoru tuo: perdidisti sapientiam in decoru tuo. pag. 375. n. 55.

44: Porta hæc clausa erit , & non aprietur , & vir non transibit per eam , quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam. p. 258. n. 14.

EX DANIELE.

9. Tetigit (*id est Gabriel*) me in tempore sacrificij vespertini. pag. 312. n. 62.

EX ZACHARIA.

3: Ecce enim ego adducam servum meum orientem. pag. 205. n. 15.

EX MALACHIA.

3: Ecce ego mitto Angelum meum , & præparabit viam ante faciem meam , & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator , quem vos quæratis , & Angelus testamenti , quem vos vultis. pag. 295. n. 1.

EX MATHEO.

1: Antequam convenienter inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. pag. 259. n. 16.

Ibi: Accepit (*Joseph*) conjugem suam , & non cognoscebat eam , donec peperit filium suum primogenitum. pag. 259. n. 17.

Ibidem : Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. p. 263. n. 25.

3: Hic est filius meus dilectus , in quo mihi complacui. pag. 210. n. 26.

9: Non est opus valentibus Medicus , sed malè habentibus:: non veni vocare justos , sed peccatores. pag. 290. n. 30.

15: Non sum missus nisi ad oves , quæ perierant. pag. 240. n. 30.

16: Quem dicunt homines esse filium hominis ?..... Tu es Christus filius Dei. pag. 56. n. 5.

- 18: Venit enim filius hominis salvare, quod perierat. pag. 39. n. 2.
 19: Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitationis mala in cordibus vestris? pag. 146. n. 20.
 22: Cognita autem Jesus nequitia eorum. pag. 119. n. 2.
 26: Tristis est anima mea usque ad mortem. pag. 124. n. 12. & pag. 166. n. 17.
 Ibidem: Antequam gallus cantet, teme negabis. pag. 146. n. 20.
 27: Erant autem ibi (*juxta Crucem*) mulieres multæ à longè, quæ seculæ erant Jesum à Galilea, ministrantes ei, inter quas erant Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Joseph Mater, & Mater filiorum Zebedæi. pag. 260. n. 19.
 Ibidem: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? pag. 159. n. 2.
 Ultimo: Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra. pag. 130. n. 11.

EX MARCO.

10. Nemo bonus, nisi unus Deus. pag. 310. n. 55.
 Ibid. Filius hominis venit :: dare animam suam redemptionem pro multis. pag. 39. n. 2.
 13: De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque filius, nisi Pater. pag. 131. n. 12.
 14: Tristis est anima mea usque ad mortem. pag. 159. n. 17.
 15: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? pag. 159. n. 2.

EX LUCA.

- 1: Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. pag. 312. n. 62.
 Ibidem: In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo. ibidem.
 Ibidem: Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. pag. 263. n. 25.
 Ibidem: Quoniam virum non cognosco? pag. 254. n. 3. pag. 261.
 Ibidem: Beata, quæ credidisti. pag. 278. n. 63.
 Ibidem: Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. pag. 244. n. 38.
 Ibidem: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemtionem plebis suæ. pag. 40. n. 5.
 2: Peperit filium suum primogenitum. pag. 260. n. 18.
 Ibidem: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator. pag. 192. n. 26.
 Ibidem: Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur. pag. 257. n. 11.
 Ibidem: Erant Pater ejus, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo:: Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. pag. 255. n. 5.
 Ibidem: Et erat subditus illis.
 Ibidem: Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. pag. 100. n. 10.
 3: Cum baptizaretur omnis populus,

- lus, & Jesu baptizato. pag. 159.
n. 2.
- 5: Non egent, qui sani sunt Medico, sed qui malè habent. Non veni vocare justos, sed peccatores. pag. 39. n. 2. & pag. 192. n. 25.
- 7: Profeta magnus surrexit in nobis. pag. 147. n. 24.
- 19: Venit enim filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat. pag. 240. n. 30.
- 23: Dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. pag. 26. n. 61.
- Ultimo: Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? pag. 189. n. 18.

EX JOANNE.

- 3: Et Deus erat Verbum. pag. 56.
n. 2.
- Ibidem: Verbum caro factum est. pag. 55. n. 2. & pag. 56. n. 2. & pag. 73. n. 44.
- Ibidem: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. pag. 96.
n. 1.
- Ibidem: Plenum gratiæ, & veritatis.
- Ibidem: Unigenitus, qui est in sinu Patris. pag. 55. n. 2.
- Ibidem: De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. pag. 88. & pag. 97. n. 2.
2. Ut autem gustavit Architrichinus aquam vinum factam. pag. 55.
n. 2.
- Ibidem: Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus. pag. 260. n. 19.
- 3: Nisi quis renatus fuerit denud,

- non potest videre regnum Dei. pag. 247. n. 43.
- 5: Non potest filius à se facere quidquam. pag. 131. n. 13.
- 5: Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit filio. pag. 130. n. 11.
- 6: Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic videt Patrem. pag. 123. n. 10.
- 7: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. pag. 131.
n. 13.
- 8: Quæ placita sunt ei, facio semper. pag. 168. n. 22. & pag. 190.
- Ibidem: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. pag. 205. n. 14.
- Ibidem: Ego quod vidi apud Patrem loquor. pag. 123. n. 10.
- Ibidem: Antequam Abraham fieret, ego sum. pag. 116. n. 15.
- 10: Hoc mandatum accepi à Patre meo. pag. 178. n. 19.
- Ibidem: Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. pag. 179. n. 22.
- 11: Ubi posuistis eum? pag. 133.
n. 18.
- 12: Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit. pag. 178. n. 19.
- Ibidem: Ubi ego sum, illic & minister meus erit. pag. 290. n. 26.
- 13: Omnia dedit ei Pater in manus. pag. 130. n. 11.
- 14: Philipe, qui videt me, videt & Patrem (meum) pag. 137. n. 2.
- Ibidem: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. pag. 178. n. 19.
- 17.

- 17: Pro illis ego sanctifico me ipsum. pag. 190. n. 21.
 18: Regnum meum non est de hoc mundo. pag. 131. n. 14.
 19: Qui tradidit tibi , majus peccatum habet. pag. 14. n. 30.

EX ACTIBUS APOSTOL.

- 9: Saule , Saule , quid me persequeris ? pag. 160. n. 2.

EX APOSTOLO AD ROMANOS.

- 1: Qui factus est ei ex semine David secundum carnem , qui praedestinatus est filius Dei in virtute. pag. 212. n. 1. & pag. eadem n. 2. & pag. 220. n. 22.

Ibidem : Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiae suae propter remissionem præcedentium delictorum. pag. 193. n. 30.

3. Justitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes , & super omnes , qui credunt in eum : non enim est distinctio : omnes enim peccaverunt. pag. 240. n. 29. & pag. 239.

5: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors , & ita in omnes homines mors intravit , in quo omnes peccaverunt. pag. 226. n. 1.

Ibidem : Sed non sicut delictum, ita & donum : si enim unius delicto multi mortui sunt , multo magis gratia Dei , & donum in gra-

tia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. pag. 25. n. 58.
 Ibidem : Sicut enim per inobedientiam unius hominis , peccatores constituti sunt multi : ita & per unius hominis obeditionem justi constituentur multi. pag. 178. n. 20.

- 8: Corpus quidem mortuum est propter peccatum. pag. 280. n. 1.

Ibidem : Accepistis spiritum adoptionis filiorum. pag. 200. n. 1.

Ibidem : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. pag. 145. n. 18.

Ibidem : Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. pag. 260. n. 18.

- 9: Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent , aut malum :: non ex operibus , sed ex vocante dictum est ei :: Jacob dilexi , Esau autem odio habui. pag. 44. n. 13.

11: Si autem gratia , jam non ex operibus , alioquin gratia jam non est gratia. pag. 30. n. 72.

Ibidem : Quis prior dedit illi , & retribuetur ei ? pag. 34. n. 82.

- 16: Soli sapienti Deo. pag. 310. n. 55.

AD CORINTHIOS.

1. 2. Sapientiam in mysterio , quæ abscondita est. pag. 1.

Ibidem : Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis , nisi spiritus hominis , qui in ipso est. pag. 348. n. 63.

- 1.3: Omnia enim vestra sunt , vos

autem Christi, Christus autem Dei. pag. 132. n. 14.

1. 6: Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? pag. 284. n. 12.

1. 12: Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro. pag. 111. n. 2.

1. 13: Si :: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. pag. 16. n. 35.

Ibidem: Numquam excidit. pag. 286. n. 16.

1. 15: Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. pag. 146. n. 21. & pag. 240. n. 30.

Ibidem: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. pag. 194. n. 30.

2. 5: Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gesit, sive bonum, sive malum. pag. 284. n. 12.

Ibidem: Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. pag. 240. n. 29.

Ibidem: Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. pag. 159. n. 2.

AD GALATAS.

1. Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi. pag. 26. n. 59.

3: Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat. pag. 259. n. 17.

4: Missit Deus filium suum factum ex muliere. pag. 256. n. 5.

Ibidem: Ut adoptionem filiorum recipieremus. pag. 200. n. 1.

AD EPHESIOS.

1. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum. pag. 197. n. 46.

Ibidem: Supra omnem (*id est Christus*) principatum, & potestatem. pag. 116. n. 16.

Ibidem: Ipsum (*id est Christum*) dedit caput supra omnem Ecclesiamque est corpus ipsius. pag. 110. n. 1.

AD PHILIPENSES.

2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. pag. 35. n. 83.

Ibidem: In similitudinem hominum factus. pag. 256. n. 7.

Ibidem: Et habitu inventus ut homo. pag. 50. n. 29.

Ibidem: Humiliavit semetipsum factus obediens :: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omnem nomen, pag. 189. n. 18.

AD COLOSENSES.

1: Primogenitus omnis creaturæ:: ipse est ante omnes :: & ipse est caput corporis Ecclesiæ :: in omnibus ipse primatum tenens. pag. 42. n. 9.

Ibidem: Absconditum fuit (*Incarnationis mysterium*) à seculis, & generationibus. pag. 1.

2: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter :: qui est caput omnis principatus. pag.

115. n. 15. & pag. 116. n. 16.
& pag. 374.

AD TIMOTHEUM.

1. 1: Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere. pag. 240. n. 30.
1. 2: Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. pag. 244. n. 38.
1. 6. Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitantem, inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. pag. 278. n. 65. & pag. 310. n. 55.

AD HEBRÆOS.

1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens. pag. 226. n. 1.
- Ibid. Tantò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. pag. 116. n. 15.
- Ibidem: Cui enim dixit aliquandò Angelorum filius meus es tu? pag. 97. n. 2.
- Ibidem: Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei. pag. 374. n. 51.
- Ibidem: Qui facit Angelos suos spiritus pag. 294. n. 1.
- 2: Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum. pag. 189. n. 38.
- Ibidem: Decebat: qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem

consumare. pag. 123. n. 10.
Ibidem: Propter quem (*id est Christum*) omnia, & per omnia. pag. 116. n. 15.

- Ibidem: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. pag. 82. n. 18.
- 5: Didicit ex iis quæ passus est, obedientiam. pag. 119. n. 2. & pag. 125. n. 15.
- 7: Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. pag. 159. n. 1.

EX D. PETRO.

1. 1: Non corruptibilis auro, vel argento redempti. pag. 34. n. 8.
1. 2: Qui peccatum non fecit (*id est Christus*) pag. 359. n. 1.
2. 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. pag. 313. n. 64.

EX EPIST. B. JOANNIS.

1. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. pag. 44. n. 14.
1. 3: Quoniam ab initio Diabolus peccat pag. 369. n. 35.
1. 4. Deum nemo vidit umquam. pag. 278. n. 65.
1. ult. Ut simus in vero filio ejus (*Jesu Christo*) pag. 200. n. 2.

EX EPIST. B. JUDÆ APOST.

Angelos verò, qui non servave-

vaverunt suum principatum, sed
relinquerunt suum domicilium:::
vinculis æternis sub caligine re-
servavit. pag. 313. n. 64. & pag.
366. n. 27.

EX APOCALYPSI.

5: Dignus est agnus , qui occisus
est accipere virtutem, & divipi-

tatem, & sapientiam. pag. 130.
n. 10.

12: Nec locus inventus est eorum
amplius in Cœlo. pag. 311. n.
58.

20: Apprehendit draconem :: & li-
gavit eum. pag. 313. n. 64.

21: Signum magnum apparuit in Cœ-
lo. pag. 285. n. 14.



INDEX

VERBORUM, ET RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN
hoc continentur

TOMO SECUNDO.

Syllaba *pag.* paginam , littera *n.* numerum indigitant.

A

A Bstractio à materia , quæ est propria Angelorum. pag. 343. n. 52.

Accidens nequit assumi ad subsistentiam , potest verò ad existentiam divinam. pag. 85. n. 26.

Accidentia Eucharistica operantur *ut quod* negative , in quantum non operantur *ut quo.* pag. 162. n. 8.

Actiones divinæ assumptivæ diversarum specie naturarum , specie etiam essent diverse. pag. 50. n. 30.

Adamo non peccante , Christus in mundum non veniret. pag. 39. n. 2.

Adoptionis definitio. pag. 200. n. 1.

Adoptionis filiatio non convenit Christo in quantum homo est. ibid. n. 2.

Amor Dæmonum erga Deum Autorem naturalem explicatur. pag. 361. n. 9. & tom. 3. tr. 13. disp. 1. n. 40.

Amor, quo Christus dilexit Deum,
Tomo II.

prout hic est ratio diligendi creaturas , fuit liber. pag. 171. n. 3. & potiori ratione ille , quo illas in se ipsis dilexit ; necessarius verò ille , quo Deum secundum se dilexit ibidem n. 2. ¶ Ehinc est , quod actus charitatis secundum diversos hos modos attingendi Deum fuit liber , & necessarius , viatoris , & comprehensoris. Unde eadem charitate Christus fruebatur , & merebatur. pag. 172. n. 7.

Amor supernaturalis viae , & patriæ non differunt specie. pag. 286. à n. 16.

Angeli dantur , suntque incorporei. pag. 295. à n. 3. ¶ Eorum existentia etiam ethnicis Philosophis fuit nota. pag. 296. n. 7.

Nequit Angelus habere corpus sibi naturaliter unitum. pag. 300. n. 24. Potest tamen sibi assumere corpus , in quo appareat: ibidem. ¶ Omnes ejus apparitiones , etiam si Deum repræsentent , factæ fuerunt per Angelos. pag. 301. n. 25. ¶ Numerus Angelorum ex-

cedit omnium rerum materialium species. ibid. n. 27. ¶ Sunt ex natura sua incorruptibiles. pag. 309. n. 51. ¶ Sunt in loco, non tamen propriè, sed abusivè. pag. 311. n. 58. ¶ Et sic sunt etiam in tempore. pag. 312. n. 62. ¶ Ratio formalis, per quam Angelus in loco collocatur connaturali est operatio. ibid. n. 63. ¶ Ratio verò, per quam existit in loco violento in actu primo est ejus potentia passiva, in actu autem secundo actualis, & exercita passio, sive cruciatio. pag. 313. n. 64. ¶ Potest collocari in loco divisibili. pag. 314. n. 68. ¶ Non tamen in omni loco, nec ubique, ibidem n. 70. ¶ Potest etiam collocari in puncto tamquam in loco: pag. 315. n. 71. ¶ Sed & potest nullibi esse locorum, si ab omni loco substrahat operationem. ibid. n. 71. ¶ Non verò potest collocari simul in duobus locis adæquatis, licet possit in pluribus inadæquatis, & indistantibus, sive conjunctis. pag. 316. n. 74. ¶ Imò & in pluribus inadæquatis inter se distis, seu distantibus potest esse, quin sit in medio. ibid. n. 75. ¶ Non possunt plures Angeli in eodem esse simul loco eundem numero effectum causantes ut causæ totales principales. pag. 318. n. 79. ¶ Angeli moventur vere localiter, ast comparative ad locum corporeum solum æquivocè moventur. ibid. n. 81. ¶ Motus Angelicus in quo consistat? Ibi-

dem. ¶ Movetur Angelus motu, tum continuo, tum discreto, & in quo uterque consistat? pag. 319. à n. 85. ¶ Potest transire de extremo ad extremum locale, quin transeat per medium, sive hoc sit aliquotum, sive sit indeterminatum. pag. 324. n. 98. ¶ Nequit moveri in instanti. pag. 326. n. 108. ¶ Intellectus Angelicus distinguitur ab ejus natura. pag. 328. n. 1. ¶ Cognoscit se per suam substantiam sibi expositam per modum speciei. ibid. n. 2. non tamen per modum verbi, sed potius indiget ipso. pag. 329. n. 4. ¶ Non cognoscit Deum quidditativè per suam substantiam, neque per speciem creatam illum representantem. ibidem. ¶ Objecta creata sibi extrinseca cognoscit per species sibi superadditas. pag. 331. n. 11. Unde nec cognoscit alium Angelum, neque substantiam materialē per hoc, quod ipsi uniantur per modum speciei. pag. 332. n. 14. ¶ Species, per quas cognoscit objecta, sive materialia, sive spiritualia sunt à Deo infuse, non à rebus sumptæ. pag. 334. & 335. n. 20. & 25. ¶ Angelus non habet intellectum agentem, & passibilem. pag. 337. n. 31. ¶ Non potest esse in anima nostra, vel in alio Angelo, ut in loco. ibid. n. 32. ¶ Illuminatio, & collocutio unius cum alio Angelo qualiter fiat? explicatur. ibid. n. 33. ¶ Species Angelicæ non fluunt veluti passiones ab essentia. pag. 338. n. 34. ¶ Sunt uni-

universales in repræsentando plura numero, specie, vel etiam genere distincta. pag. 339. n. 37. ¶ Suntque eò universiores, quò Angeli superiores. pag. 341. n. 45. ¶ Inferiores comprehendunt superiores. pag. 342. n. 49. ¶ Nequit Angelus naturaliter cognoscere futura libera. pag. 346. n. 57. ¶ Neque potest cognoscere naturaliter aliquod mysterium gratiæ, si ve supernaturale. pag. 351. n. 71. ¶ Nec plura ut plura. pag. 354. n. 81. ¶ Nec operari per discursum formalem. pag. 356. n. 88. ¶ Adhuc circa supernaturalia. pag. 358. n. 96. ¶ Nec facere compositionem logicam ex subjecto, & prædicato. ibid. n. 97. ¶ Per eandem cognitionem, per quam cognoscit suam, & aliorum essentiam, cognoscit etiam sua, & aliorum accidentia. pag. 359. n. 99. ¶ Omnidò necessariò intelligit, & diligit Deum authorem naturalem, & semetipsum. pag. 360. n. 1. ¶ Non potest peccare directè, & immediatè contra legem naturalem. pag. 362. n. 10. ¶ Nequit non esse peccabilis ex conditione creaturæ. pag. 364. n. 17. ¶ Non fuit beatus, nec peccare potuit in primo instanti sui esse. pag. 366. n. 26. 27. & 29. ¶ Ejus primum peccatum quale fuit, vide verbo *peccatum*. ¶ Angeli peccatum aliquem defectum ex parte intellectus supponere debuit. pag. 379. n. 65. ¶ Hic autem defectus non fuit error, vel igno-

rantia, sed ut summum aliqua inadvertentia culpabilis. pag. 381. n. 71. ¶ Quot morulis absolutum fuit negotium primitivum Angelorum. Vide verbo *infans*. Animas separatas discursivas esse, probabile est, & contrarium. pag. 357. n. 91. ¶ Moventur localiter. pag. 318. n. 81. ¶ Nequeunt corpora movere. pag. 296. n. 5. Animæ damnatae nullum valent efficiere bonum morale. pag. 389. n. 99.

Apparitiones omnes, etiam illæ, quæ Deum repræsentant, factæ sunt per Angelos. pag. 301. n. 25.

Auxilians explicatur gratia. pag. 184. n. 5. ¶ Per illam non potuit Christus mereri gratiam habitualem. ibid. n. 6.

B

Bono quolibet assignato creato, aliud melius potest juxta D. Thom. fieri. Quomodo hoc intelligatur? pag. 272. n. 51.

C

Charitas viæ, & patriæ non distinguuntur speciæ, imò potest esse utriusque unus numero actus. pag. 286. à n. 16.

Carmelitæ à seculo IV. Conceptiōnem B. M. Virginis à peccato originali immunem venerati sunt. pag. 236. à n. 24.

Cauſa duplex adæquata potest eundem

- dem num. effectum producere , si
moralis sit. pag. 24. n. 57.
- Causa principalis Incarnationis nulla
fuit , nec potuit esse creatura.
pag. 45. n. 15.
- Causa efficiens numquam potest esse
posterior duratione , quam effec-
tus. pag. 194 n. 32. & pag. 192.
n. 25. & pag. 187. n. 13.
- Christus non veniret , Adamo non
peccante. pag. 38. n. 2. ¶ Non
venit propter remedium peccati
Angelorum , ut sensit Origines.
pag. 44. n. 14. ¶ Veniret verò
pro solo originali , etiam defi-
cientibus omnibus actualibus. Ibid.
Non autem econtra , si deficeret
originale , subessent verò peccata
actualia. ibidem.
- Christus est persona composita pag.
56. n. 6.
- Christus qualiter sanctificetur substancialiter. Vide verbo *humanitas*, & verbo *gratia*. ¶ Habuit etiam gratiam habitualem. pag. 96. n. 1. ¶ Per hanc vero gratiam habitualem non denominatur filius adoptivus , sed solùm naturalis per gratiam unionis. pag. 98. n. 5. ¶ Habuit gratiam habitualem ab instanti sua conceptionis in tota sua intensione , & sine ullo incremento substantiali superaddito in tota ejus vita. pag. 100. n. 10. ¶ Ratione hujus gratiæ habitualis habet omnes virtutes supernaturales , quæ compatiuntur cum unione hypoistica , & visione beata. ibid. n. 11. ¶ Non verò habuit Christus virtutem penitentiae. pag. 104. n. 22. ¶ Ad hanc gratiam habendam dispositus se per proprios actus , & qualiter? pag.
102. n. 17. & 18.
- Christus per gratiam capitalem fuit caput omnium hominum , qui membra sunt Ecclesiæ ; & tales sunt etiam excommunicati , schismatici , cathecumeni , si fidem possideant. Respectu verò hæreticorum , & infidelium solùm est caput in potentia ; damnatorum verò nec actu , nec potentia. pag. 112. n. 6. ¶ Nec etiam fuit caput Adami in statu innocentiae. ibid. n. 7. ¶ Est verò Christus , etiam ut homo , caput Angelorum. pag. 115. n. 15.
- Christus habet præter divinam , etiam humanam cognitionem. pag. 119.
n. 2. Ast non potest intellectus ejus creatus intelligere intellectione divina. pag. 120. n. 3. ¶ Semper habuit scientiam beatam , & consequenter semper fuit beatus , & comprehensor. pag. 123. n. 10.
- Christus habuit scientiam per se infusam , tum naturalem , tum supernaturalem. pag. 124. n. 13.
- Christus per scientiam beatam , si cognosceret (non verò cognoscit) omnia possibilia , esset comprehensor Dei. pag. 127. n. 2. ¶ Per hanc cognoscit scientiam anima Christi quidquid Deus per scientiam vissionis. pag. 130. n. 10. Non verò succelvè solùm , sed & quidditativè. pag. 133. n. 19. ¶ Hæc scientia , seu visio beatifica Christi non est notitia intuitiva futurorum. pag. 134. n. 21.
- Christus per scientiam infusam supernaturalem cognovit omnia entia naturalia in specie , & numero , ne- dum quidditativè , verum & com-

prehensivè, & nedum simul, sed & successivè, & per diversas species. pag. 138. n. 4. 5. & 6. ¶ Potuit etiam in exercitio illius converti ad phantasmata, & discurrere. pag. 148. n. 2. & 8. ¶ Cognovit etiam per illam mysterium SS. Trinitatis quoad an est. pag. 143. n. 14. ¶ Species deservientes prædictæ scientiæ distinguuntur ab ipsa scientia ; & nihilominus perfectior est Angelica, tum in se, tum in speciebus ipsi deservientibus ; cum tamen imperfectior sit secundum quid. pag. 155. n. 17. Christus per scientiam naturalem per se infusam quid cognoverit, ostenditur. pag. 156. n. 20. ¶ Cognovit per eam Angelos uicumque, non verò quidditativer. ibi. n. 21. ¶ Quæ, & qualiter cognoverit per scientias per se infusam, & per se acquisibilem. pag. 156. à n. 20. Christus non potuit peccare, nec in sensu composito unionis hypostaticæ, hoc est conservando illam, nec in diviso, hoc est ammitendo illam per peccatum. pag. 160. n. 4. ¶ Imò, etsi solam existentiam divinam haberet, peccare non posset. pag. 161. n. 7. ¶ Nec venialiter peccare potuit. pag. 165. n. 16. ¶ Incapax fuit contrahendi originale peccatum. ibidem. ¶ Sed & caruit, imò nec habere potuit formitem peccati. pag. 166. n. 18. ¶ Nec capax fuit transgrediendi consilia. pag. 168. n. 23. Christus habuit libertatem humanam, qua liberè fuit usus pag. 170. n. 1. ¶ Ligatus fuit præceptis naturalibus, non verò positivis divinis,

nec humanis. pag. 177. n. 18. & 19. ¶ In ordine verò ad redimendum nos, præcepto fuit abs tractus. ibidem : unde & mori, & mori crucifixus, iussus fuit. pag. 178. n. 20. & 21. Christus sine gratia habituali superad dita unioni non mereretur præmium supernaturale. pag. 183. n. 2. ¶ Non verò meruit per gratiam auxiliantem gratiam habitualē. pag. 184. n. 5. ¶ Mereri potuit incarnationem alterius divinæ personæ ; de facto verò nec suam. pag. 187. n. 12. Imò nec divinitus mereri potuit ipsam. n. 13. Nec etiam mereri potuit continua tionem ipsius. pag. 188. n. 16. ¶ Nec itidem mereri potuit maternitatem Virginis Matris ejus Mariæ. Ibidem. ¶ Meruit verò exaltationem sui nominis, atque sui corporis gloriam. pag. 189. n. 18. ¶ Ab instanti suæ incarnationis semper nobis indefinenter meruit. ibidem n. 20. ¶ Et nihilominus tamen non meruit Angelis gratiam habitualē, nec gloriam esentiālem. pag. 191. n. 24. ¶ Et licet SS. Patrum gratiam non meruerit, habuit tamen in eam aliquem influxum finalem. pag. 193. n. 30. & 31. ¶ Meruit Christus nobis (præsentibus, & ipsum fidelibus sequutis) prædestinationem passi vè sumptam quoad omnes ejus effectus. pag. 197. n. 40.

Christus, ut homo non est filius adoptivus Dei. pag. 200. n. 2. ¶ Nec ut homo, dici potest filius naturalis Spiritus S. vel totius Trinitatis ; potest verò dici talis so-

lius æterni Patris. pag. 208. n. 22.
 Christus , nedum , ut homo , sed &
 absolutè proferendus est prædestina-
 tus. pag. 212. n. 2.
 Christus non dicit relationem realem
 intrinsecam filiationis ad ejus Ma-
 trem ; est verò realiter filius ejus
 pag. 267. n. 37.
 Cœlestia corpora ab initio sui habent
 totam perfectionem in æternum
 habendam , nec augetur hæc , nec
 minuitur. pag. 336. n. 26.
 Concretum personale divinum non
 eget , ut multiplicetur , multiplici
 natura , sed sat est si unam sub
 diversis respiciat modis. pag. 79.
 n. 10.
 Conditiones ad rigorosam iustitiam
 quatuor assignantur. pag. 29. n. 69.
 Cognitio intuitiva explicatur. pag.
 134. n. 20.
 Compositio vera in Christo. pag. 56.
 n. 6.
 Comprehensio quid sit ? pag. 138.
 n. 3. & pag. 342. n. 47.
 Connexio duorum ea non est , ut po-
 tens unum attingere extreum ,
 possit & aliud. pag. 20. n. 47. &
 pag. 139. n. 7. 9. & pag. 142. n.
 12. & pag. 352. n. 78.
 Continentia eminentialis tangitur.
 pag. 87. n. 30.
 Consiliorum transgresio explicatur.
 pag. 168. n. 22.
 Conversio ad phantasmatu quid? pag.
 148. n. 1.
 Contradicторia non semper sunt hæc
 duo extrema : *corporeum* , & *incor-
 poreum* , *mortale* , & *immortale*. pag.
 7. n. 14.
 Corpus Christi non utcumque est in
 speciebus Eucharisticis , sed uni-

tum illis , suplendo vices substan-
 tiæ earum. pag. 311. n. 61.

D

DAmnati nullum opus bonum mo-
 rale efficere valent. pag. 389.
 n. 99.
 Denominatio intrinseca , non omnis
 immutat subjectum intrinsecè. pag.
 6. n. 11. Omnis verò mutatio
 realis , & intrinseca requirit , ut
 aliquid de novo recipiatur. pag.
 58. n. 11.
 Deum obligari per se ipsum ad crea-
 turam , non dedecet , dedecet ve-
 rò sic obligari per creaturam.
 pag. 52. n. 78.
 Deus ex iustitia tenetur acceptare
 satisfactionem Christi. pag. 37.
 n. 91.
 Dispositio non habet pro effectu pri-
 mario expulsionem contrarii , sed
 determinare , & coaptare ad for-
 matum. pag. 133. n. 19. & pag.
 108. n. 31.
 Distinctio specifica , & numerica of-
 fensarum passivè sumptarum unde
 sumatur. pag. 15. n. 33.
 Distinctio specifica , vel numerica
 unionum non possent dari , si da-
 rentur duæ personæ divinæ uni-
 tæ ad eandem humanitatem as-
 sumptam ; nec tunc casus admit-
 tenda esset duplex , sed unica unio.
 pag. 62. n. 19.
 Divinitas nequit esse pars adæqua-
 tè talis , potest verò esse talis in-
 adæquatè. pag. 5. n. 10.
 Dæmones nullum opus bonum mo-
 rale efficere valent ; imo semper
 sunt

- sunt in actuali odio Dei. pag. 389. n. 100.
- Dæmonum dilectio erga Deum auctorem naturalem qualis sit? pag. 362. n. 9. & tomo 3. tr. 13. disp. 1. n. 62.
- Dotes gloriose possunt ab Angelis naturaliter cognosci (imo à sensibus humanis) quia, vel sunt naturales, vel secundum quid supernaturales. pag. 352. à n. 77.
- Dulia distinguitur specificè à latria (ex D. Thoma juxta aliquos) pag. 36. n. 88. & pag. 290.
- Equinam naturam si Verbum, ve Pater assumerent, diceretur ne equus ille Filius Dei Patris, vel Pater Divini Verbi? pag. 211. n. 29. & 30.
- Error (vel ignorantia) practicus & culpabilis ex parte intellectus præire debet semper peccato voluntatis. pag. 363. n. 12.
- Existentia Christi fuit divina, suffactaque pro humana. pag. 67. n. 32.
- Existentia divina potest ad extra communicari, non communicata divina subsistentia. pag. 68. n. 34.

E

- E**cclesiæ dictum, vel factum majoris est authoritatis, quam Augustini, Hieronimi, vel cuiuscumque Sancti. pag. 234. n. 18.
- Effectus gratiæ Christi primarius, & secundarius assignantur. pag. 94. n. 17. ¶ Horum primus est physicus, & finitus; secundus verò moralis, & infinitus ibid. n. 18.
- Effectus primarius gratiæ non est filiatio, est verò solùm secundarius, atque separabilis. pag. 98. n. 5. & pag. 24. n. 12.
- Effectus ab una forma præstitus qualiter per aliam valeat præstari? pag. 97. n. 3. & 4.
- Effectus primarius dispositionis non est expulsivus, sed determinatus ad formam suscipiendam. pag. 103. n. 19. Cujus vide paritatem pag. 108. n. 31.
- Eminentialis continentia tangitur. pag. 87. n. 30.

F

- F**iliatio non est effectus primarius, sed secundarius gratiæ & separabilis ab ea. pag. 98. n. 5.
- Filiatio Christi materna non est relatio ipsi intrinseca, sed extrinseca. pag. 267. n. 37. Est verò realis filiatio. pag. 268. n. 39.
- Filius Dei nullum activum influxum habet in Incarnationem, quem reliquæ non habeant divinæ Personæ. pag. 45. n. 16.
- Finis cui, & finis cuius gratia Incarnationis assignantur, parificanturque. pag. 41. n. 8.
- Fomes peccati à Christo relegandus est pag. 166. n. 18. ¶ Et in quo fomes peccati ab appetitu distinguatur sensitivo? Explicatur pag. 167. n. 19.
- Forma substantialis solitariè sumpta nequit à Verbo assumi pag. 83. n. 22. Nec etiam accidentalis pag. 85. n. 26.

Forma aliqua nequit alicui communicari subjecto, quin ei tribuat denominationem primariam saltem inadæquatam. pag. 105. n. 25.

G

Generatio, & generatum in quo ab efficientia, & effectu distinguantur? pag. 209. n. 25.

Gratia habitualis nequit esse dispositio ad unionem hypostaticam. pag. 52. n. 36.

Gratia Christi trimembris assignatur, scilicet, substancialis, habitualis, capitalis; & quid hæ sint? pag. 88. n. 2.

Gratia formaliter, & substancialiter sanctificans Christum non est unio hypostatica. pag. 90. n. 8. ¶ Est verò natura divina sub munere subsistentiæ absolutæ, & existentiæ. pag. 91. n. 12.

Gratiæ effectus primarius, & secundarius assignantur. pag. 94. n. 17. ¶ Quorum primus in gratia substanciali Christi est physicus, & finitus, secundus verò moralis, infinitusque. ibid. n. 18.

Gratia habitualis ad quid deserviat in Christo ostenditur. pag. 99. n. 7. ¶ Fuit in Christo gratia hæc à primo instanti suæ conceptionis in tota illa intensione (& sine ullo incremento) quam in fine possebat suæ vitæ. pag. 100. n. 10. ¶ Hæc gratia, ejusque virtutes non sunt proprietates ab unione hypostatica dimanantes. pag. 101. n. 14. ¶ Fuit talis hæc Christi gratia, licet aliæ excedens om-

ne m gratiam, omnesque ejus collectivè gradus, tum in Angelis, tum in hominibus repertos, physicè finita, & solùm moraliter infinita pag. 102. n. 15. & pag. 94. n. 17. & 18. ¶ Fuit demum talis gratia ejusdem speciei, atque nostra. pag. 102. n. 16.

Gratia capitalis Christi consistit in recto in gratia habituali dicente de connotato gratiam unionis. pag. 111. n. 3.

Gratia habitualis communicata lapidi non communicaret ei participationem divinæ naturæ quantum ad denominationem sanctæ. pag. 100. n. 9.

Gratia auxilians explicatur. pag. 148. n. 5.

Gaudium summum cum summa fuit compatibili tristitia in Christo secundùm diversa rationes. pag. 124. n. 12.

H

Homo purus (hoc est, qui simul non est Deus) nequit satisfacere neque pro peccato levi. pag. 16. n. 36. ¶ Neque in gratia constitutus pro gravi ex toto rigore justitiæ, ibidem. ¶ Poteat verò cum illa pro peccatis, etiam totius mundi satisfacere solutione imperfecta, & congruentia, communicante Deo potestatem excellentiæ ad effectus sacramentorum producendos. Ibidem. ¶ Nec de potentia Dei absoluta potest homo purus satisfacere perfectè, ad qualitatem pro peccato gravi. ibi. n.

I & J

n. 37. ¶ Si verò offensa contra Deum non esset infinita , posset quidem etiam pro omnibus totius mundi peccatis , tum originalibus , tum actualibus. pag. 17. num. 38. ¶ Nec potest homo purus mereri , vel divinitus , gratiam , ut remissivam offensæ Dei. pag. 20. n. 46.

Homo in primo instanti physico sui esse peccare nequit , potest verò in primo morali. pag. 369. n. 36.

Honor cum offensa activa contrariatur propriè , non verò cum passiva. pag. 13. n. 28.

Humanitas Christi non appetit appetitu adhuc innato , & in actu secundo subsistentiam propriam. pag. 75. n. 51; (7. 3. 6.) appetit verò eam innatè in actu primo ibi. n. 50.

Humanitas eadem potest per tres divinas personas terminari. pag. 76. n. 1. ¶ Nequit verò , retenta subsistentia propria , per divinam terminari personam. pag. 80. n. 13.

Humanitas Christi sanctificatur substantialiter per naturam divinam sub conceptu subsistentiæ absolutæ , & existentiæ. pag. 92. n. 12. & quidem quoad effectum primarium gratiæ sanctificatur physicè finitè , quoad verò secundarium radicandi operationes , & dona sanctificatur moraliter finitè. pag. 94. n. 17. & 18.

Humilitas definitur ex D. Th. & explicatur. pag. 372. n. 45. & pag. 73. n. 47.

Immutatio intrinseca non semper infertur ex denominatione intrinseca. pag. 6. n. 11.

Impeccabilem creaturam intelligibilem repugnat methaphysicè dari. pag. 364. n. 17.

Imperfectio alia positiva , alia negativa est. pag. 125. n. 14.

Incarnationis mysterium est de fide. pag. 1. n. 1. ¶ Nullam involvit contradictionem pag. 3. n. 5.

Incarnatio , seu incarnativa actio distincta fuit specificè à creativa animæ , & productiva humanitatis. pag. 46. n. 17.

Infinitum habet terminos methaphysicos , non physicos. pag. 15. n. 34.

Infinitum unum potest esse maius alio materialiter. pag. 14. n. 31. ¶ Potest etiam multiplicari in esse moris. pag. 23. n. 51. ¶ Immò & in esse physico , si non sit infinitum in omnigena linea. ibi. n. 52.

Innocentia , & pœnitentia , quæ quam excedat? pag. 45. n. 12.

Instrumentum physicum Incarnationis defactò nulla fuit creatura , nec B. V. Maria , pag. 46. n. 18. ¶ Sed verò methaphysicè , & divinitus id fieri posse , defenditur. ibidem 19.

Instrumentum cum vitalitate , & libertate non pugnat , cuius vide plura exempla , sed & probabile contrarium pag. 175. à. n. 14.

In-

Intellectus omnium Angelorum probabile est valde non differre specificè , licet eorum naturæ sic differant. pag. 288. n. 21.

Intellectus opus est , deficiat antecedenter , ut voluntas peccet consequenter. pag. 379. n. 65.

Intuitiva cognitio explicatur. pag. 134. n. 20. ¶ Non distinguitur essentialiter , & specificè ab abstractiva. pag. 152. n. 10.

Invidia definitur. pag. 370. n. 38. Instans angelicum describitur. In pro sui esse operati sunt Angeli benè , in secundo benè , vel malè respectivè , in tertio vitam vel mortem adepti sunt aeternam. pag. 382. à n. 75. ¶ Primum horum fuit indivisible , respondensque nostro instanti temporaneo. pag. 383. n. 77. In secundo Angeli boni non simul meruerunt , Deumque viderunt , sed solummodo meruerunt , & idem proportione servata de Angelis malis intellige. pag. 384. n. 79. ¶ Totum hoc negotium verosimile est absolutum fuisse in tribus instantibus respondentibus tribus nostris temporaneis instantibus. pag. 385. n. 84.

Judicium intellectus aliud speculatum , aliud practicum est. pag. 380. n. 68.

Justificatio in eo , qui habet liberum arbitrium non sit absque motu , sive actu istius. pag. 103. n. 18.

Justitia rigorosa quatuor exigit conditiones. pag. 29. n. 69.

Justitia diffinitur tam in communi , quam in triplici acceptione. pag. 33. n. 79.

Justitia ut virtus specialis datur in Christo. ibid. n. 80. ¶ Hæc Christi justitia ejusdem est speciei atque nostra. ibi n. 80.

L

Atria , & dulia distinguuntur species (ex D. Thom. juxta aliquos) pag. 36. n. 88.

Libertas Christi optimè cohæret cum præcepto , & ejus impeccabilitate. pag. 180. n. 26.

Libertatis requiritur exercitium in adulto , ut hic justificetur. pag. 103. n. 18.

Liberum arbitrium non exigit essentialiter indiferentiam , vel libertatem contrarietas , sat est , si contradictionis eam habeat. pag. 165. n. 15. & pag. 169. n. 24. & pag. 180. à n. 26. usque ad 29. & pag. 368. n. 32. 33. & 35.

Lucifer est caput omnium malorum , etiam hominum , quantum ad externam gubernationem. pag. 117. n. 21.

M

Maria fuit in gratia concepta. pag. 228. n. 4. ¶ Patrona Hispaniæ sub titulo Conceptionis co-clamata. pag. 230. n. 9. Arca Deifera , Noemi , cum arca comparata in sua Conceptione. ibid. n. 10. (ibi) Terra numquam maledicta pag. 231. n. 11. & pag. 235. n. 19. Tota Immacula-

culata , in nullo corrupta. Hor-
tus conclusus , ut nesciat violari,
neque corrumpi. p. 232. n. 12. Ejus
fuit puritatis , qua major sub Deo
nequit intelligi. ibi n. 13. & 14.
& pag. 234. n. 17. Conceden-
dum est Mariæ quidquid excel-
lentius est , si non repugnet , nec
dedecet. pag. 238. n. 27. & pag.
285. n. 15. Et quidquid potuit
Deus illi concedere. pag. 232.
n. 28. & pag. 277. n. 62. ¶ Fuit à Christo Filio suo pecu-
liari , & sibi proportionato mo-
do redempta. pag. 244. à n. 38.
Fuit etiam baptizata. pag. 247.
n. 43. ¶ Fuit in gratia confir-
mata , ne vel in leve peccatum
laberetur. pag. 250. à n. 50. ¶ Numquam cessavit , sed nec cessare
potuit ab amando Deum pag. 251.
n. 51. ¶ Aureolas jure meruit
Martyrii , Virginitatis , & docto-
ratus. pag. 261. n. 22. ¶ Fuit
Virgo *ante* , *in* , & *post* partum pag.
254. à n. 3. ¶ Votum emissit
castitatis , pag. 261. n. 20. Et
juxta aliquos in ventre Matris
illud emissit , & vel Angelos ia-
puritate superavit. pag. 253. n. 1.
¶ Verum initit cum B. Joseph
Matrimonium. pag. 263. n. 26.
¶ Verè fuit Mater Dei. pag. 265.
n. 31. ¶ Non meruit de con-
digno Maternitatem Dei. pag. 270.
n. 45. Meruit verò illam de con-
gruo , pag. 271. n. 46. Meruit
etiam de congruo Incarnationem
Filii ejus. pag. 274. n. 55. &
pag. 272. n. 47. Ejus meritum
in consensu Incarnationis supera-
vit omnium meritum hominum,

& Angelorum. pag. 274. n. 54.
¶ Dignitas Matris Dei quasi in-
finita apparens. pag. 272. n. 50.
Est tamen entitatè naturalis hæc
Maternitas ; concretive verò ad
Spiritum S. & Filium nedum su-
pernaturalis , verū & aliquomodo
infinita. pag. 273. n. 52. ¶ Vedit
iutuitivè Deum , dum vitam adhuc
agebet mortalem , & non semel ,
sed plures. pag. 276. n. 60. ¶
Solummodo recepit sacramenta
Eucharistie , Baptismi , & Con-
firmationis. pag. 279. n. 66. ¶
Verè mortua est Maria , sed quia
ipsa voluit , cùm Deus arbitrio
suo non mori fissus fuisset. pag.
280. n. 2. ¶ Elec̄tio hæc sum-
moperè Deo placuit , & illius me-
moriā agentibus ingentes gra-
tias & favores in hora mortis
concessit. pag. 281. n. 3. ¶ Obiit
B. Maria septuagenaria circiter
estate non præ dolore , sed ex
ardentissimo Dei amore ibi n. 2.
& 5. ¶ Non fuit à Deo iudica-
ta in die suæ mortis , nec in die
iudicii erit judicanda. pag. 283.
n. 11. ¶ Tertia die , irrevolu-
to lapide resurrexit. p. 284. n.
13. ¶ Continuavit actum chari-
tatis viæ cum actu charitatis pa-
triæ. pag. 286. n. 16. ¶ Mariæ
locus in Cœlis , cultus in terris ,
excellētia in se , & beneficē-
tia erga nos , quatuor hæc ali-
quatenus authoritate S. Scripturæ ,
& SS. Patrum insinuantur. pag.
289. à n. 25.

Martyrii aureola non meretur post
mortem , sed ante ipsam in ip-
sa ipsius sustinentia. pag. 384.
n. 82.

- Materia prima non potest solitariè sumpta assumi à Verbo divino. pag. 83. n. 21.
- Medium aliquotum , seu determinatum , & participans, seu communicans explicantur. pag. 323. n. 96.
- Meriti de condigno distinctio à de congruo. pag. 270. n. 45.
- Meritum non repugnat ex terminis cum præmio coniungi. pag. 384. n. 80.
- Meritum præcedere debet præmium in genere causæ efficientis moralis. pag. 103. n. 20.
- Meritum non prærequisit plenam, hoc est, adæquatam seu omnigenam libertatem. pag. 388. n. 94.
- Meritum præmii supernaturalis, sine gratia habituali supperaddita unione, in Christo non potuit esse. pag. 182. n. 2.
- Moralitas duplex in peccato. pag. 8. n. 15.
- Motus localis à simplici mutatione differentia ostenditur. pag. 326. n. 107.
- Movens simul , & motum nihil esse potest. p. 360. n. 2.

N

Numeri omnes inter se specie distinguuntur , & in quantitate se excedunt. pag. 62. n. 19.



O

- O**bligari Deum ad creaturam, ipsum non dedecet, modò non sit à creatura , vel per creaturam. pag. 52. n. 78.
- Obstinatio quid? & quotuplex? pag. 385. n. 85. & unde proveniat dæmoniaca? pag. 387. n. 90.
- Et unde obstinatio animæ dannatae. pag. 389. n. 98.
- Offensa trinominis est. pag. 7. n. 15.
- Offensarum Dei passivè sumptarum unde sumatur discriminus specificum , & numericum ? pag. 15. n. 33.
- Operationes , quæ in nobis naturales sunt , & necessariæ, ut nutritio , augmentatio & fuerunt in Christo liberè. pag. 174. n. 11.
- Easque Christus , nedum liberè, verum & principaliter elicuit. pag. 177. n. 17.
- Ordo omnium partium ad hoc universum pertinentium describitur. pag. 349. n. 67. & pag. 351. n. 74.
- Origenis aliqui errores. pag. 386. n. 86.

P

- P**articipatio formalis prædicati di vini explicatur , & in quibus inveniatur , ostenditur. pag. 93. n. 15.
- Partes hujus universi qualiter inter se connectantur , & ordinentur? des-

- describitur. pag. 349. n. 67. & pag. 351. n. 74.
- Pars nequit esse divinitas adæquatè, potest verò esse inadæquatè talis. pag. 5. n. 10.
- Peccare hominem in primo instanti physico repugnat, potest verò in primo morali. pag. 369. n. 36.
- Peccato præire semper debet error practicus, & culpabilis, vel ignorantia rationis. pag. 362. n. 12.
- Peccatum primum Angelorum non fuit luxuria carnalis. pag. 370. n. 37. Nec fuit invidia ibi n. 38. Nec fuit odium Dei, nec inobedientia, quamvis & alia plura peccata post primum commississe supponamus. n. 40. Fuit ergo primum peccatum superbia strictè talis. pag. 371. n. 42.
- Peccatum *philautie* ab Angelis malis commissum non fuit omnimoda cum Deo æquiparantia. pag. 373. n. 48. Nec fuit unionis hypostaticæ invidum desiderium, nec tyranica usurpatio potestatis super reliquas sibi inferiores cræaturas, sed beatitudo naturalis, in qua vonè complacuerunt, non illam in Deum, ut in ultimum finem ordinando, pag. 374. à n. 51. usque ad 56.
- Peccatum voluntatis defectum ex parte intellectus præsupponere debet. pag. 379. n. 65.
- Peccati plures sunt rationes, scilicet, offendæ, iniuriæ, iniustitiae, malitiæ, & reatus. pag. 7. n. 15.
- Peccatum lathale est simpliciter in-
- finitum in ratione offendæ passiva. pag. 10. n. 21. non verò in ratione offendæ activæ, vel malitiæ, nec demeriti. pag. 8. n. 16. & 18.
- Peccatum veniale non est simpliciter infinitum in ratione offendæ. pag. 13. n. 29.
- Perfectius potest esse aliquid alio, quo tamen poterit non esse magis debitum, & necessarium. pag. 218. n. 17.
- Perfecto quodlibet creato assignato, aliud perfectius potest à Deo fieri iuxta D. Th. Quomodo hoc intelligatur? pag. 272. n. 51.
- Pœnitentia, & innocentia: quæ quam excedat? pag. 43. n. 12.
- Pœnitentiæ virtus non fuit in Christo. pag. 104. n. 22.
- Personæ tres divinæ possunt terminare eamdem naturam humanam. pag. 76. n. 1.
- Persona creata nequit, vel divinitus terminare alienam naturam creatam. pag. 86. n. 29.
- Philautia, id est amor proprius. pag. 371. n. 41.
- Prædestinatio in communi definitur. pag. 212. n. 1.
- Prædestinatio Christi non est ad humanitatem, neque ad unionem hypostaticam, neque ad manifestationem filiationis, neque ad gloriam, sed ad esse Filium Dei. Unde hæc filiatio naturalis est terminus formalis *ad quem* prædestinationis Christi. pag. 214. n. 7. & 8.
- Præmium ex terminis non repugnat coniungi cum merito in eodem instanti. pag. 384. n. 80.

Prænatio physica aliquando est ita eminens, ut ipsa in se contineat rationes, tum auxilii sufficientis, tum & efficacis. pag. 172. n. 5. In primo instanti Angelorum fuit præmotio simul & auxilium efficax. pag. 384. n. 78.

Præputii pellicula, quæ à membro Christi fuit abscissa, assumpta fuerat à Verbo, sed & dimissa fuit, & suspecta per aliam. pag. 70. n. 39.

Privatio formæ potest esse maior, & minor. pag. 14. n. 32.

Proprietates entis, si considerentur per ordinem ad cognitionem, ut cognitio est, hanc terminant primariò; si verò per ordinem ad cognitionem ut scientificam, secundariò. pag. 150. n. 6.

Proprietates diversæ ab eadem specificè natura oriuntur possunt ratione diversæ dispositionis. pag. 266. n. 34. & alio ex titulo. pag. 287. n. 20.

R

Relatio filiationis in Christo respectu suæ Matris non est illi intrinseca, sed extrinseca (realis tamèn) Quæ denominatio per relationem intrinsecè existentem in Matre habetur in Filio. pag. 267. n. 37.

Relatio non specificatur à termino relativo, ut tali, sed ab ipso fundamentaliter accepto. pag. 264. n. 41.

Relatio realis inter Mariam, & ejus Filium non est mutua. pag. 270. n. 43.

Retractavit se expressè aliquando D. Thomàs. pag. 157. n. 23.

S

SAnguis, alias naturalis, seu perfectus, alias nutrimentalis, seu imperfectus. pag. 69. num. 35. Ex his certum est, naturalem Verbum assumpsisse. Et itidem naturalem effusum in triduo unituni suis se Verbo iuxta D. Thom. contra Scotistas asserimus, ibidem. Idem dicimus de capillis, dentibus, & unguibus. pag. 70. num. 39. ¶ Negamus tandem sanguinem nutrimentalem assumpsisse. pag. 71. n. 40.

Satisfactio Christi est valoris simpliciter infiniti in esse moris. pag. 21. n. 48. Et non solùm infinita pro uno, sed & sufficiens, & superabundans pro infinitis offendis, si darentur. pag. 25. n. 58. ¶ Est autem infinita, & superabundans non aliunde, quam ab ipsis operibus Christi connotantibus personam divinam, à qua physicè procedunt, & infinitè valorantur. pag. 28. n. 67.

Satisfactio rigorosa quatuor desiderat conditiones. pag. 29. n. 69. Eas habuit satisfactio Christi n. 70. Non tamen Deum obligaret ut acceptaretur, nisi præmisso pacto formalí, vel virtuali acceptationis. pag. 31. n. 76. Ea propter licet fuerit stricta, non tamen strictissima. pag. 52. n. 78. ¶ Et tamen ex iustitia debuit acceptari à Deo. pag. 37. n. 91.

Schisma quid sit? pag. 112. n. 6.
 Scientia est quadruplex, scilicet,
 beata, per se infusa supernatura-
 lis, per se infusa naturalis, & ac-
 quisita, quæ explicantur. pag.
 122. n. 9. Christo fuit semper
 scientia beata. pag. 123. n. 10.
 Fuit etiam scientia per se infusa,
 tum naturalis, tum supernatura-
 lis. pag. 124. n. 13. ¶ Per bea-
 tam novit Christus quidquid Deus
 per scientiam visionis. pag. 130.
 n. 10. Non quidem successivè, sed
 simul. pag. 133. n. 19. ¶ Per in-
 fusam supernaturalem novit om-
 nia supernaturalia in numero, &
 specie successivè, & per plures spe-
 cies. pag. 138. n. 4. & 5. Eaque
 nedum quidditativè, verum &
 comprehensivè. pag. 139. n. 6. ¶
 Cognovit etiam per eam myste-
 rium Trinitatis quoad *an est*. pag.
 143. n. 14. ¶ Per scientiam natu-
 ralem per se infusam ostenditur,
 quæ Christus cognosceret objec-
 ta? pag. 156. à n. 20. Cognovit
 per eam Angelos utcumque, non
 tamen quidditativè ibidem. ¶
 Scientiam naturalem per se acquisi-
 bilem non comparavit Christus su-
 bitò, sed successivè tractu tem-
 poris. pag. 157. n. 24. Per eam
 solum cognovit, quæ sciri possunt
 per actionem intellectus agentis.
 pag. 158. n. 25.

Scotus Doctor Marianus, & Subtilis
 conclamatus, primus, qui publicè
 in arenam profiliuit, ut immuni-
 tam B. V. Mariæ à peccato vin-
 dicaret originali. pag. 235. n. 21.
 Species in aere non recipiuntur se-
 condùm suum esse representati-

vum, sed secundùm esse natura-
 le. pag. 268. n. 38.
 Species angelicæ semper repræsen-
 tant sua objecta, ut minus quoad
 quid eorum; quoad verò quod eo-
 rum, non nisi connotata existen-
 tia. pag. 347. n. 60. 61. & 66.
 Species sunt, sicut numeri, nulla par
 alteri, sed una altera perfectior.
 pag. 62. n. 19.
 Species deservientes scientiæ super-
 naturali Christi vide V. *Christus*.
 Subsistentia angelica radicaliter sump-
 ta non distinguitur ab illius essen-
 tia, distinguitur verò, si forma-
 liter sumatur. pag. 82. n. 19.
 Supernaturale, aliud in causa, aliud in
 se, aliud simpliciter, aliud secundùm
quid. pag. 352. n. 77. & 80.
 Superbia definitur. pag. 371. n. 41.
 ejusque gradus enumerantur. n. 45.

Theresia (S. M. Nra.) de myste-
 rio loquitur SS. Trinitatis quo-
 ad *an est* à se mirificè cognito. pag.
 143. n. 14.
 Terminus formalis Incarnationis est
 humanitas Christi. pag. 49. n. 27.
 Terminus formalis prædestinationis
 Christi est filiatio Dei naturalis.
 pag. 214. n. 7. & 8.
 Thomas (S.) aliter intelligendus,
 dum ut interpres loquitur Magis-
 tri fent. aliter, dum ut Magister
 docet noster, pag. 154. n. 14. ¶
 Aliquandò se ipsum expressè re-
 traetavit. pag. 157. n. 23.
 Tristitia, & gaudium in summo com-
 patiebatur in Christo secundùm di-
 versà. pag. 124. n. 12.

V

VEniale peccatum & qualiter post mortem remittatur? pag. 385. n. 83.

Verbum divinum nullum influxum activum habet in Incarnationem, quem reliquæ non habeant personæ. pag. 45. n. 16. ¶ Non terminat naturam humanam per aliquid absolutum, sed relativum. pag. 63. n. 23. ¶ Supplevit existentiam creatam per divinam. pag. 67. n. 32. ¶ Priùs aliqua prioritate assumpsit *ut quod* animam, quam humanitatem. pag. 72. n. 43. Non verò materiam primam, quia subsistere impotentem. ibidem. ¶ Si assumeret naturam equinam, equus ille, haudquaquam filius Dei diceretur. pag. 211. n. 29. & 30.

Virginitatis triplex diffinitio, ejusque trimembris divisio. pag. 254. n. 2.

Virtuti omni naturali respondet in linea supernaturali virtus similis. pag. 100. n. 11. ¶ Virtutis effectus primarius non est expellere

contrarium, sed coaptare, & expedire subiectum. pag. 108. n. 31.

Virtutes naturales morales per se acquisibiles non fuerunt in Christo per accidens infusæ. pag. 107. n. 30. & 32.

Unio Verbi divini non fuit facta in natura (hoc est, non resultavit unica natura ex duabus unitis) sed in persona. pag. 66. n. 5.

Unio hypostatica distinguitur realiter ab extremis unitis. pag. 58. n. 11. ¶ Est maxima inter uniones omnes, tam in esse unionis, quam in esse perfectionis. pag. 62. n. 20. ¶ Non autem est ratio sanctificandi animam Christi. pag. 90. n. 8.

Unio Verbi ad corpus, & animam in triduo mortis erat multiplex actu, & una in potentia; econtra ante Christi mortem. pag. 73. n. 47. Universi partes & qualiter inter se ordinentur, & concatenentur? pag. 349. n. 67. & 74.


Voluntas Christi humana liberè operata fuit. pag. 170. n. 1.

Voluntas numquam peccat, quin suo modo præeat peccans intellectus. pag. 379. n. 65.

FINIS.



Joah. 20.
V. 28.



LIBRARY

PINE

LINCOLN

2

621